DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/confutatiodispvt00andr

Confutatio
DISPVTATIONIS
IOANNIS IACOBI GRYNÆI, DE CORNA Domini,

Heidelbergæ IIII. Aprilis. 1584. propositæ.

AVTORE

Iacobo Andreæ D. Præposito Tubingensi.

TVBINGÆ
Excudebat Georgius Gruppenbachius,
Anno 1584.

C. 2.

ILLVSTRISSIMIS

Principibus ac Dominis,

Tr. R. A 55 b. c.

DOMINO GEORGIO FRIDERICO, *Marchioni Brandenburgensi, Borussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Silesiæ, &c. Duci, Burggrauio Norinbergensi, & Rigensi Principi, &c.*

DOMINO LVDOVICO, DVCI WIRTEMBERGENSI *& Teccensi, Comiti Montis Peligardi, &c.*

DOMINO LVDOVICO, LANDGRAVIO *Hassiæ, Comiti in Catzenelbogen, Dietz, Zigenheim, & Nidda, &c.*

Palatinatus Electoralis, & Iunioris Principis Friderici, Filij Palatini Ludouici, &c. Contutoribus.

Gratiam & pacem in Christo.

NON dubium est, Principes Illustrissimi, Domini clementissimi, varia, eaque iniquissima iudicia mihi subeunda & sustinenda fore, quòd impijs conatibus Caluinistarum Theologorum Heidelbergensium me opponam. Qui authoritate Illustrissimi Principis, Ducis Ioannis Casimiri, Palatini, abusi, & Academiam Heidelbergensem, & Ecclesias in Palatinatu Electorali, pietate optimi Principis Ludouici Electoris, fœlicis memorię, benè constitutas, cum tanto offendiculo, & iactura plurimarũ animarum, perturbare conantur.

Iudicia quorundã politicorum de certaminibus Theologicis.

Inprimis verò prudentes huius seculi quàm plurimi viri politici, (qui in nullo aut exiguo discrimine ponunt, quam quisque Religionem profiteatur) vociferabuntur, per Theologorum certamina, & hoc genus scriptionum, Principes committi, & occasionem ad funesta bella dari.

Falsis doctoribus resistendum est.

Quorum clamoribus, non modò testimonium bonæ conscientiæ (quòd pacis & tranquillitatis publicæ studiosissimi simus) sed etiam expressum Dei verbum opponimus, quod seueriter iubet falsis doctoribus resistere, vt ipsorum ora obstruantur. Id, quàm hoc tempore & loco necessarium sit, res ipsa docet.

Mutationes Religionis in Palatinatu quatuor.

Quartã enim, proh dolor, nunc in Palatinatu Electorali, Religionis mutationem publicam, intra paucos annos factam, non sine maximis gemitibus & lachrymis pia corda aspiciunt. Quarum nouissima, si, qua cœpta est viã, processerit, Epicuream tandem sectam pariet, qua omnis Religio ludibrio habebitur.

Prima enim sub Ottone Henrico Palatino ad normam verbi Dei incorruptam susceptа, & magna gratulatione subditorum cùm constituta esset per Illustrissimum Principem Fridericum tertiũ, Electorem Palatinum mutata, Zuuingliana, & Caluiniana doctrina, maxima cum perturbatione plurimarum conscientiarum introducta est. Post cuius mortem, quum pietate Principis Ludouici filij, & Ecclesiæ & Scholæ, A ZVVINGLIANA OMNIVM ORDINVM IMPERII IVDICIO DAMNATA RELIGIONE, repurgatæ essent:

sent: Nunc contra vltimam voluntatem optimi Principis, prius damnata falsa Religio, non solùm denuò instauratur, sed metuendum quoque est, ne filius, Regni heres relictus, contra Testamentum, Imperatoria autoritate confirmatum, & voluntatem vtriusque parentis, in eâdem falsa doctrina educetur.

Grynæus perturbator Academiæ & Ecclesiarum Palatinatus.

Cùm igitur periculosa hæc Religionis mutatio facta, subinde maiora incrementa sumat, mei quoque officij esse existimaui, si publicè testatum facerem, quantum mihi doleret, Ioannis Iacobi Grynæi potissimum operâ, Academiam Heidelbergensem, præclarè constitutam, perturbari, qui annis ab hinc viginti, contrariam doctrinam, in Academia nostra Tubingensi, publicè Disputatione propugnauit, & eiusdem confessione, solenni iuramento confirmata, quòd in ea constanter perseuerare velit, doctoris Theologi apud nos nomen consecutus est. Cuius nunc eum pudere incipit.

Grynæi leuitas & inconstantia.

Grynæi infœlix profectus in studio Theologico.

Quòd si verò tritum illud obijcere voluerit, δευτέρου φροντίδες σοφωτέρου: Posteriores cogitationes meliores, seque decursu tot annorum non parum in doctrina profeciisse, quàm infœlix studiorum eius profectus sit, confutatione Disputationis ipsius docere volui, quam Heidelbergæ proximè præterito mense Aprili publicè discutiendam, non magna cum laude & commendatione sui proposuit. Quod testimonium auditorum, in fine confutationis nostræ positum, confirmat, ad quorum iudicium in progressu Disputationis aliquoties prouocauit.

Testimonium Auditorum de Disputatione Grynæi.

Persuasio Grynæi.

Falsò autem persuasum ei fuisse existimo, quòd hypocrisi & blandiloquentia sua, quibus se passim insinuat, omnibus imponere possit. Res ipsa verò, & Disputationis exitus declarauit, quàm turpiter spe sua frustratus sit, qui cùm ad argumenta opposita respondendum esset, historias & fabulas narrauit.

Cur D. Iacobus Andreæ Refutationem huius Disputationis susceperit.

Cùm igitur intelligerem, refutationem huius Disputationis solidam à multis expeti, quæ tanquam basis & fundamentum mutatæ doctrinę de cœna Domini, in Palatinatu Electorali, iudicaret, ad cuius normam deformatio Scholæ & Ecclesiarum susciperetur: non potui committere, quin doctorem hunc, olim meũ discipulum, officij & conscientiæ suæ commonefacerem, eumque ad tribunal Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, exemplo sociorum Religionis eius, qui in horribili desperatione perierunt, adducerem: cuius testamentum impia & sacrilega audacia violare, eiusque veram, germanam, & simplicem sententiam, tam flagitiosè corrumpere non est veritus.

Id si vel ipsi, vel patronis eius ingratum est, meminisse debent, non solùm nobis, sed etiam ipsi Christo ingratum fuisse, quòd doctrinam Ecclesiarum nostrarum de Cœna Domini piam, synceram, & incorruptam, expressis verbis Testamenti Christi innitentem, sua hypocrisi, & Disputatione impia, flagellare, & publicè insectari, contra testimonium conscientiæ suæ, non erubuit.

Dedicationis causa.

Vobis verò, Principes Illustrissimi, hanc confutationem inscribere, vestroq; nomini consecrare volui, quòd

quod ad Celsitudinem vestram hæc pia cura & solicitudo pertineat, qui Tutores & Curatores quoq; Principis Iunioris filij, ab optimo ac pijssimo Electore Ludouico, fœlicis recordationis, cum Duce Ioanne Casimiro, testamento constituti estis, vt Celsit. vestræ intelligant, quàm impiam & profanam doctrinam, contra expressa verba & sententiam Testamenti Christi, in Scholas & Ecclesias Palatinatus, Caluiniani Theologi introducere conentur. Cuius indignitatis seria consideratione excitatę, de via & ratione commoda cogitent, ne præclara illa indoles filij vnici, eius Regni hæredis relicti, tam miserè corrumpatur, & in tenerrima hac ætate, quæ instar ceræ facilè flectitur, impia & sacrilega opinione Zuuinglianorum & Caluinistarũ, ad totius Palatinatus perniciem, & multorũ millium animarum interitum æternum, imbuatur. Tutores & Curatores filij Electoris Palatini.

Nihil enim dubito, Celsit. vestras pro sua pietate & sapientia facilè intellecturas, qua ratione tantum malum auertant, & offendiculum, quantum in ipsis est, caueatur, aut tollatur. Quod Filius Dei, de cuius honore & gloria agitur, largissima sua benedictione clementer remunerabitur. Cuius Testamentum, vt apud omnes verè pios sanctum, ita inuiolatum vestra quoque pietate, religiosè in hoc Regno conseruandũ est. Quod optimus quoque Princeps Ludouicus vnicè exoptauit, qui syncero animo ac pio zelo, quantum in ipso erat, cauere voluit, ne quisquam contrarium facere, aut tentare audeat, quod subditi quoque magnis gemitibus expetunt. Pietas & zelus Electoris Palatini Ludouici.

Deus Optimus Maximus, Pater Domini nostri Iesu Christi, furoribus Satanæ resistat, doctrinæ cœlestis Votum piorum.

ſtis puritatem in hoc Regno plantatã clementer conſeruet, & tanta offendicula ad nominis ſui gloriam & Eccleſiæ ſalutem mitiget & minuat, ac ſui illuſtri aduentu his certaminibus vel tandem finem faciat, Amen. Bebenhuſij
26. Auguſti
1584.

Celſ. V.

addictiſsimus

Iacobus Andreæ D.

CONFVTATIO DISPVTATIONIS IOANNIS IACOBI GRYNÆI, ANNO 1584. DIE 4. Aprilis Heidelbergæ propositę.

EDIDIT IOANNES IACOBVS GRYNÆus, *Accademiæ Basilienſis Profeſſor, de Euchariſtica controuerſia, Capita quædam (vt ipſe appellat) Doctrinæ Theologicæ, de quibus Mandatu Illuſtriſſimi Principis ac Domini, Domini* IOANNIS CASIMIRI, COMITIS PALATINI *ad Rhenum, Tutoris & Adminiſtratoris Electoralis Palatinatus, Bauariæ Ducis &c: in Academia Heydelbergenſi, ex verbo Dei, fidei orthodoxæ rationem interrogantibus, ſe 4. Aprilis redditurum promiſit.*

Cum autem facilè diuinare potuerit, non defuturos etiã abſentes (quibus breuitate temporis excluſis, quo hæc Diſputatio feſtinanter propoſita fuit, accedere non licuit,) qui eam oppugnaturi eſſent: partim in proœmio, partim in fine Diſputationis ſibi cauere voluit. Nam apertè ſcribit: Se non ſolùm neminem ex abſentibus prouocaſſe, ſed nec animum, nec otium eſſe ad inſtituendam πόρρωθεν velitationem vllam: ſed Deum potius pro illis inuocaturum, & charitate, non conuitijs certaturum, NEC IN ALIENA SCRIPTA CENSORIAM VIRGVLAM *ſibi ſumpturum. Quibus verbis, quaſi ſorex ſuo ſe iudicio, hypocrita, & peſſimam conſcientiam cum inſigni impudentia coniunctam, prodit.* Proteſtatio Grynęi de ſuæ Diſputationis Apologia.

Etenim in præfatione ad Ioannem Caſimirum Palatinum, Ducem, cum rationem dedicationis ſuæ redderet, Celſi-

tud. eius nomini potissimùm inscripsisse testatur, vt exteris Nationibus eius lectio gratior esset.

Si ergo absentes audire, cum illis quoq; per scripta conferre recusat, cur sua non modò in Germania, sed etiam in exteris Regnis & Nationibus vult spargi, & ab omnibus legi? Item, si censoriam suam virgulam in aliena scripta sibi temerè non vult sumere, cur Lutheri, Heroïs illius summi, pia, sancta & doctissima scripta (cuius vmbram, dum viueret, hic Hypocrita aspicere non ausus fuisset) tàm superbè damnat & ridet? Adeò vt etiam eius nomini non pepercerit.

Qui D. Iacobus Andreæ eius Refutationem susceperit.

Etsi verò non defuerunt, qui hominem propter insignem leuitatem, inconstantiam, hypocrisim, & omnibus notam perfidiam, indignum iudicarent, vt cum ipso de Capitibus Religionis Christianæ scripto conferatur: nequaquam tamen intermittere potui, quin quidquid id esset laboris vel molestiæ, propter causas non contemnendas, quibus permotus sum, in me reciperem. Cum enim annis aliquot AD CONFIRMANDA SVA STVDIA *(vt ipse loquebatur.) Academiæ nostræ alumnus fuerit, in qua insignem Hypocritam egit, & Testimonium quoque Doctrinæ publicum sua hypocrisi & strenuis sollicitationibus consecutus esset, officij mei esse arbitratus sum, si qualis esset Ecclesiæ Doctor, quid de ipsius fide & doctrina statuendum sit: & qua conscientia hanc causam agat, omnibus pijs aperirem.*

Conuersatio & cõfessio fidei Grynæi in Academia Tubingensi.

Etenim cum, vt dixi, superioribus annis sese ad Academiam nostram Tubingensem contulisset, & Professorum Theologorum lectiones audiuisset, calore iuuenili, superbiæ & arrogantiæ stimulis excitatus est, vt publicum Testi-

mo-

monium doctrinæ, quod in Schola summum est, Doctoratum appellitant, ambiret. Quia verò Collegium nostrum grauissimas, easque, quod, prob dolor, euentus docuit, minimè vanas causas habebat, cur ipsum à petitione summi huius in Schola honoris repelleret, aut suspenderet, aliquoties me priuatim accedit, & quænam causa huius moræ & diffidentiæ esset, quò minus ad petitionem honorum admitteretur, sollicitè quærit: ego nulla circuitione vsus, rem, vt in rei veritate se habebat, apertè illi exponebam. Quod videlicet Collegium nostrum suspicetur, ipsum in Doctrina veritatis & Confessionis Ecclesiarum nostrarum non fore constantem. Quæ causa etiam fuit, vt ipsi materiam Disputationis de Persona & Testamento Domini nostri Iesu Christi proponerem, de qua publicè responderet, & hac ratione non solùm ingenij vires experiretur, quantum in studio Theologico profeciisset, sed simul etiam Confessionem ingenuam de ea parte doctrinæ publicè ederet, in qua Collegio nostro fides eius suspecta & dubia erat. Cum igitur in ea Doctrina, quam per gratiam Dei nunc annis quàm plurimis contra Zuinglianos & Caluinianos, firmissimis Sacrarum literarum testimonijs propugnauimus, se constantem fore, non modò priuatim in Collegio nostro sanctè promitteret: sed etiam in publica renunciatione, solenni iuramento confirmaret, summus hic honos, cum alijs viris ornatissimis, ei collatus est.

Grynæo cur Disputatio publica de Persona Christi in Academia Tubingēsi proposita sit.

Ne autem Lector de fide nostra dubitet, aut quam doctrinam in publica Disputatione defendendam susceperit Grynæus, hæreat: visum est, integram Disputatio-

tationem, sicut Tubingæ excusa, & quàm plurima exempla passim sparsa sunt, hîc inserere, vt eam deinceps pius Lector cum Heidelbergensi conferre, & collatione facta iudicare possit, quàm infœliciter hic insignis Hypocrita, post suum ab Academia nostra discessum, in sacrarum literarum studio profecerit.

DISPVTATIO

DE MAIESTATE HOMINIS CHRISTI: deq; vera & substantiali corporis & sanguinis eius in Eucharistia, præsentia.

IN QVA, ÆTERNO DEO PATRE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, iuuante: præside, clarissimo Viro D. Iacobo Andreæ, Ecclesiæ & Scholæ Tubingensis Præposito & Cancellario dignissimo, ac sacrosanctæ Theologiæ Doctore & Professore celeberrimo, patrono & præceptore suo reuerenter colendo,

Ioannes Iacobus Grynæus, pridie nonas Februarias, in auditorio Theologico, respondebit.

Tubingæ, 1564.

PIO ET CHRISTIANO LECTORI, Iacobus Andreæ S. D.

HANC DE MAIESTATE HOMInis Christi, veraq; corporis & sanguinis eius, in εὐχαριστίᾳ præsentia, doctrinam, has ob causas potissimum, hoc tempore visum fuit, publicè discutiendam proponere. Altera est, quòd videam quosdam nostri temporis Theologos, doctrinæ, quam nobis

nobis Dominus per D. Lutherum explicatam reliquit, propemodum oblitos, vt eam incognitam, vel prorsus damnent, aut saltem iudicent ad explicationem huius controuersiæ, & veræ præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Sacramento assertionem nihil pertinere, ab eaq; alienissimam esse disputationem, nuper admodum per nos introductam. In qua tamen idem Lutherus, piæ memoriæ, robur sententiæ suæ, ex authoritate sacræ scripturæ, contra omnia aduersæ partis argumenta, posuerit: eaq; vel sola rationis figmenta refutari, & veram corporis & sanguinis Christi præsentiam, asseri & confirmari posse affirmat, si maximè verba Cœnæ, nunquam à Christo dicta essent. Altera est, vt hac ipsa repetitione piæ doctrinæ de Dextra maiestatis Dei & Christi hominis ad eam collocari, auditores nostri excitarentur, ad considerationem doctrinæ aduersariorum nostrorum paulò accuratiorem, qua Ecclesiæ Dei certum aliquem ac definitum locum in cœlo, pro infinita maiestate Dextræ Dei, obtrudunt: vbi iuxta humanam naturam suam collocatus, sedeat, stet, & pro liberrima sua voluntate ambulet Christus. Quod cum beatitudine corporum glorificatorum planè pugnat, cum in illa piorum fœlicitate, nullus sit neque locus, neq; motus de loco in locum, quia neq; in melius neq; in deterius, sed intra sese omnem beatitudinem, quæ Deus erit, posidentes beati homines, extrà nihil requirent. Postremò vt omnes videant, quàm non sit erroris in hac controuersia operculum, homines à definitione huius maiestatis, reuocare: quæ ἄῤῥητος est, & per res naturales vix adumbrari, nulla verò ratione conuenienter & solidè explicari potest. Similitudines enim, sicut in persuadendo & docendo plurimum valent, ita in disputando non modò nihil prosunt, quin etiam plurimum periculi habere comperiuntur, quòd omnis similitudo claudicet, & (quod dicitur) non quatuor pedibus currat. Longè ergo tutissima ratio videtur in hac controuersia, vt hac maiestate hominis Christi, quantum scriptura nobis aperitur, cognita, eaq; corporis & sanguinis eius, in cœnæ dispensatione, iuxta institutentis voluntatem, credita, omnes profanas disputationes de modo præsentiæ, abiiciamus, & in tanti mysterij consideratione, oculos, mentem, siue vt Apostolus ait: πᾶν νόημα εἰς

τὴν ὑπακοὴν τοῦ χριστοῦ αἰχμαλωτίζοντες, simplicissimo verbo Christi, simplicitate fidei nos subijciamus. Acsi vlla in hac controuersia, quæ plurimis annis Ecclesiam Dei exercuit, & cursum Euangelij non parum impediuit, concordia speranda est, quā vnicè omnes verè pij in toto Christiano orbe optant, & auidissimè expetunt: hanc nobis ex hac vna maiestatis Dextræ Dei consideratione, expectandam esse existimo. Et Deo viuorum & mortuorum iudici, rationem reddituros non dubito durissimam, qui, perturbatis Ecclesijs, suas carnales cogitationes mordicus retinent: hanc̄q; maiestatem scrutantes magis quàm adorantes, piæ concordiæ faciendæ desunt. Bene & fœliciter Vale.

DISPVTATIO

DE MAIESTATE HOMINIS CHRISTI: deq; vera & substantiali corporis & sanguinis eius in Eucharistia, præsentia.

PRÆFATIO.

EXtat apud Vincentium Lyrenensem elegantissima similitudo: Imitetur, inquit, animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum successu, numeros suos euoluant & explicent, eadem tamen, quæ erant, permanent. Et paulo pòst: Vnde non dubium est, hanc esse legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratum & pulcherrimum crescendi ordinem, si eas semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis sapientia creatoris præformauerat. Et horrendum peccatum est, si quis noui dogmatis author existat, vel propagator, cuius Christum, Prophetas & Apostolos non habeat authores. Hanc secuti regulam, quam nobis Prophetæ, Apostoli, primitiuæ Ecclesiæ Patres, Confessores & Martyres, de persona Christi eiusq; maiestate tradiderunt, doctrinam, quæ hoc tempore in controuersiam venit, tanquam noua & eruditæ antiquitati ignota esset, breui disputatione repetere & declarare conabimur: vt quod ab Apostolorum temporibus (sicut idem Lyrenensis loquitur) simpliciter credebatur, hoc idem etiam nostro tempore diligentius crederetur.

Conclu-

CONCLVSIONES.

I.

EST autem hæc pia & Apostolica, contra Arij, Nestorij, Eutychetis, Photini, Apollinaris, Samosateni, & similium hæreticorum doctrina, duas in Christo naturas personaliter vnitas esse, quarũ altera, diuina scilicet, cum persona Patris & Spiritus sancti οὐσίᾳ communicat: altera verò humana, de substantia nostra est, caro ex carne nostra, & os ex ossibus nostris. Ephes. 5.

2. Ratione igitur alterius naturæ, Christus creator, & est, & dicitur, per quẽ secula condita & omnia facta sunt, sicut scriptum est: Et sine ipso factũ est nihil. Ratione verò alterius creatura est, cuius initium est ex substantia D. virginis Marię, per Spiritus sancti virtutem. Iohan. 1. Coloss. 1. Genes. 3. Lucæ 1. Hebr. 1.

3. Quemadmodum ergo ex patre ęterno, ab æterno natus verus & vnigenitus est æternus Dei Filius: ita idem in tempore plenitudinis, ratione naturæ assumptæ, verè filius hominis factus, non phantasma, aut vmbram humani corporis, vt Marcionitis placuit, sed verum corpus assumpsit, quod cum nostris ratione essentiæ specie vnum est.

4. Non aũt duo sunt filij, sed vnus idẽq; Christus, & Dei & hominis filius, in vna persona, Iesus Christus. Lucæ 1. Coloss. 2.

5. De vnione verò personali harum duarum naturarum in Christo, cùm hoc tempore non sit eadem omnium sententia, quam tamen nobis in sacris literis, Spiritus sanctus satis perspicuè descripsit, breuiter eam explicare conabimur.

6. Vnionis

6. Vnionis autem, siue vnius quadruplex sese nobis hîc offert ratio, quarum prima est simplicissima & perfectissima, qua tres hypostases, Patris, Filij & Spiritus sancti, essentia vnum sunt.

7. Altera est Naturalis, qua ex materia & forma, quiddam compositum constituitur, vt ex anima & corpore, homo.

8. Tertia est, qua substantia & accidens, subiecto vnum constituunt, sicut albedo & paries subiecto vnum sunt.

9. Postrema est, qua duæ naturę, siue substantiæ, vnum personale constituunt, non tanquam compositum ex partibus tertium quoddã οὐσιῶδες; constituentibus, sed quasi per accidens, vt Scholastici loquũtur, vnum, prẹter naturas & substantias constituentes, non existente tertia quadam per se substantia, quę neque Deus neque homo sit. Quandoquidem vtraque natura, de toto Christo in quid prædicatur, quod in compositis naturalibus non item fit. Dicimus enim: Christus est Deus. Item, Christus est homo: qua ratione non possumus dicere: homo est anima, aut: homo est corpus: cum homo sit quiddam ex vtrisque compositum, tertia scilicet quædam οὐσία existens.

10. Est ergo hęc quarta vnionis ratio, inferior prima: Nunquam enim diuinitas & humanitas, essentia sunt vnum, sicut tres hypostases in diuinitate: & superior quadam ratione secunda, adeoque arctior humanitatis Christi cum diuinitate, quàm animæ cum corpore vnio, personam constituens, existit.

Nulla

11, Nulla verò hîc est fingenda crassa conglutinatio, qua res naturales & corporeæ mutuo contactu sibi inuicem extremitatibus iungantur, aut complexu aliquo, inuicem includantur aut misceantur.

12. Deus enim Spiritus est, & simplicissima essentia: quæ vbicunque esse dicitur, tota est, non habens partem extra partem. Ioan. 4.

13. Homo autem, etsi & ipse spiritus est ex parte, qua ratione etiam spiritui facilè coniungitur, non tamen vt Angeli, sola spirituali constat natura, sed etiam corpore: cuius proprium est habere partem extra partem, quod etiam diuinitatem, naturali quodam contactu attingere non potest: etsi ipsum non minus quàm anima in vnitatem personæ à verbo sit assumptum. 1. Cor. 1. Genes. 2.

14. Neque etiam sola præsentia diuinitatis in homine Christo, definiri potest inseparabilis, & perpetua personalis vnio. Deus enim etiam in Angelis & beatis hominibus est, à quibus in æternum non separabitur, sicut scriptum est: Et sic semper cum Domino erimus, cum quibus tamen personaliter vnitus dici non potest. Religio enim & pietas prohibent dicere: Gabriel est Deus, Paulus est Deus, Petrus est Deus, à quorum Spiritu tamen nunquam recedet Deus. 1. Thess. 4.

15. Omnino verò eorum est improbanda opinio, qui hîc Grammaticam tantùm *ἰδιομάτων*, naturarum in Christo communicationem introducunt, qua homini Christo, siue humanitati eius, præter Maiestatis nomen nihil tribuunt, veritate rei denegata. Qua ratione nihilo plus dignitatis & eminentię in natura humana

mana Christi inesset, quàm quibusuis alijs hominibus.

Ephes. 4. Act. 17. Gene. 1. 16. Res enim creatæ omnes, cùm visibiles tum invisibiles, & quà sunt, & quicquid sunt, ex Deo habent, à quo præsente in ipsis fouentur, & sustentantur.

Ephes. 4. 1. Cor. 14. 17. Non minus repudianda est eorum quoque sententia, qui Christo homini magna quidem, multa & præclara, sed non omnia diuinę Maiestatis dona communicata tribuunt: scilicet in ordinem sanctorum Angelorum aut beatorum hominum eum redigentes, quibus iuxta mensuram donationis Christi quædam, sed non omnia data sunt.

Matth. 28. Psal 8. Ephes. 1. 18. Filio autem hominis scriptura testatur, non aliquam aut magnam, sed omnem potestatem datam, iuxta illud: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Constituens eum ad Dextrã suam in cœlestibus supra omnem principatum ac potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc

Iohan. 3 seculo, verumetiam in futuro. Et iterum: Non ad mensuram dat Deus Spiritum: Pater diligit Filium, & omnia dat in manus eius.

19. Diligenter verò discernendum est inter idiomata humanę naturæ, quę propter vnionem personalem Diuinæ tribuuntur, & idiomata Diuinæ naturæ, quę propter eandem vnionem humanę adscribuntur. Humanitas enim diuinitatem non assumpsit, sed ipsa assumpta est à diuinitate in vnitatem personę, quam infirmam reddere non potest: etsi verè & rectè dicitur persona, quę Deus & homo est, laborare & mori.

Cùm

Cùm è contra humanitas à diuinitate perficiatur, quę realiter ſuas proprietates humanitati communicat, vt ſit non modò viua, ſed viuificatrix quoque, non potens tantùm, ſed etiam omnipotens: humana inquam natura, non ſola diuina.

20. Neque imaginanda aut fingenda eſt alia Dei in Chriſto, quàm in creaturis reliquis, omnibus quo ad οὐσίαν, diuinitatis, præſentia. Quæ vt in creaturis ἐνεργείᾳ diſcernitur, quòd alia in alijs agat, & operetur: ita in Chriſtum tota effunditur, vt iam extra ipſum nihil, ſed in homine, & per hominem Chriſtum omnia in omnibus operetur.

21. Atq; hæc eſt communicatio plenitudinis omnis Deitatis, de qua idem Apoſtolus loquitur: In quo, inquit, ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Et iterum: In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Coloſſ. 1.

22. Neque verò hac reali plenitudinis omnis diuinitatis communicatione, natura humana cum diuina miſcetur, aut, ſicut quibuſdam videtur, planè aboletur: ſed quod diuinę per eſſentiam eſt, id humanæ ſuo modo per accidens communicatur.

23. Quare cum dicitur: vnionem duarum naturarum in Chriſto factam hypoſtaticam, ſeruatis vtriuſq; naturæ proprietatibus, ſobriè admodum intelligendum eſt & explicandum.

24. Neq; enim ita diuinitas Verbi ſuâ energiâ, quæ ipſa eſt ſimpliciſsima, ſeſe intra ſe continet, vt nullã in naturã humanã quaſi trãsfundat perfectionẽ: quin potius humanitas plenitudinis omnis particeps diuinæ Matth 24.

Coloss. 1. naturæ, duarum naturarum in Christo, hac sola κοινωνίᾳ ἰδιωμάτων, hypostatica vnio definienda est.

25. Hoc sanè modo manet substantia humanæ naturę, neque in diuinitatem commutatur, quæ opinio Eutycheti tribuitur: Sed diuinæ naturæ magnificentia ornatur, propterea quòd ad dextram Dei collocata est, & super omnia exaltata.

Actor. 2. Coloss. 3.

26. Humanitatem enim Christi, diuinitati eius, non οὐσίᾳ, sed ἐξουσίᾳ, non essentia, sed potentia, non natura, sed gloria, non substantia, sed maiestate exæquamus.

27. Dextra verò Dei non significat certum aliquem locum beatorum in cœlo, vt quidam falsò opinantur. Apud quem neque dextrum est, neque siniſtrum (quæ si propriè intelligantur, corporum sunt quædam differentię) sed infinitam Dei & immensam potentiam, sapientiam, virtutem & Maiestatem, sicut scriptum est: Dextra Domini fecit virtutem.

Psal. 118.

28. Deum autem vbique esse, scriptura sacra manifestè testatur. Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus.

Iher. 23.

29. Neque verò diuina essentia, ita in rebus creatis esse dicitur, quòd sit earum essentia, sicut Stoicis stultè visum est: sed quia ipse est creator & conseruator omnium. Quoniam sine ipso factū est nihil. Et Christus: Pater meus operatur adhuc, & ego operor.

Ioan. 1. Ioan 5.

30. Duplex verò est consideratio Dei, quarum vna est ratione suæ essentiæ, qua non nisi tribus in diuinitate hypostasibus est communicabilis, quę essentia vnum sunt. Et altera, qua est ἐνεργητικὸς creaturarum. Deus enim qua est, sui ipsius οὐσίᾳ, ita extra creaturas omnes

omnes est, vt earum non sit pars aliqua essentiam rei constituens. Causa verò creationis & gubernationis, omnes creaturę in Deo esse dicuntur, non localiter, non οὐσιοδῶς, sed ἐνεργητικῶς, qua ratione omnia gubernat & conseruat, quæ sunt extra ipsius οὐσίαν.

31. Hinc etiam intelligi potest, quàm aliena à vero Schuenckfeldianorum sit sententia: qui potentiam Dei in rebus omnibus affirmant esse, essentiam verò extra res collocant: cùm potentia Dei, sit ipsissima Dei & simplicissima essentia.

32. Neque verò affingenda est Deo aliqua corporea magnitudo, qua vbique locorum instar aëris diffundatur.

33. Vbicunque enim Deus est, ibi totus est, nempe ὅλως ὅλον, non causa partium, & propter aliud, quàm ipse sit, cum partes diuiduæ, id est, propter quas totum diuiduum est, aliud sint quàm totum, pro ratione scilicet & definitione Spiritus, sicut scriptum legitur: Deus est Spiritus. Ioan. 4.

34. Cùm igitur diuinitas in vnitatẽ personæ assumpserit hominem, cuius ratio & definitio est plenitudinis Dei communicatio, in quo omnis Deitas corporaliter habitat: sequitur, ipsam quoque humanitatem Christi vbiq; præsentẽ esse. Quod cum hoc tempore in controuersiam venerit, iuxta ἀναλογίαν fidei, & sacrę scripturę manifesta testimonia, quantum fieri potest, perspicuè explicandum erit.

35. Triplex autẽ est vnius & eiusdem corporis Christi consideratio: Altera Physica, qua & ipsum naturalibus proprietatibus & affectionibus subiectum fuit,

Esa. 64. 1. Cor. 2. Actor. 2. quod patibile appellamus. Altera est, qua iam est & dicitur impatibile, ratione gloriæ, de qua scriptum est: Quod oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascendit. Tertia est Maiestatis, qua in diuinitatis consortium assumptum, in pari gloria est, & Maiestate, cum Verbo, à quo in vnitatem personæ assumptum est.

36. Iuxta modum physicum, neque fuit, neq; est, neq; erit vnquam vbique diffusum, sicut suprà ostensum est, qua ratione intelligi & explicari debent, omnia scripturæ testimonia, quæ de Christo loquuntur: Matt. 26. quòd mundum reliquerit: Pauperes semper habebitis, Ioan. 16. me autem non semper habebitis. Item: Relinquo mundum. Ex quorum numero & hæc sunt: Surrexit Ioan. 11. non est hîc. Gaudeo propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi, &c.

37. Neque etiã, qua est glorioſum in cœlo, hęc Maiestas ei tribuitur, qua etiam nostra ei similia efficientur, Philip. 3. sicut ad Philipenses scriptum est: Qui transfigurabit corpus nostrum humile, vt conforme reddat corpori suo glorioso, secundũ efficaciam, qua potest etiam subijcere sibi omnia. Neq; enim dilatatur, diffunditur in immensum, aut multiplicatur, quorũ vtrumque cum veritate humani corporis pugnat.

38. Restat tertia Maiestatis ratio, qua sine corporis extensione & diffusione, humanitas Christi à Verbo ita perficitur, vt eadem Maiestate res præsentes habeat, rebusq; presens sit, qua diuinitas: etsi id alio modo fiat in humanitate quàm diuinitate.

39. Humanitas, n. Christi etiam in gloria, creatura est & manet, quæ in diuinam nunquam commutatur: ideoq;

ideoq; eo modo quo diuinitas, vbiq; esse non potest.

40. Creaturam verò appellamus, cuius aliquod initium est in tempore, & quod non ab æterno fuit, quoquo modo sit à Deo, vel ex nihilo conditum, vel ex materia aliqua subiecta productum. Genes. 4. Lucæ 1.

41. Hanc Christi hominis Maiestatem, qua rebus omnibus præsens est, omnia cœlestia & terrestria gubernat, adeoq; ipsum, qui iustissimus etiam cogitationũ nostrarũ iudex futurus est, nihil latet, seq; pijs cùm in verbo tum in Sacramẽtis fruendũ exhibet, Augustinus similitudine capitis, in quo insunt omnes sensus, cum in reliquis membris tantùm sit tactus: alij oculi ac visionis & vocis humanæ: alij solis & radiorũ eius, explicare voluerunt. Quia verò hæc omnia physica sunt, quæ sensu percipiuntur & intelligi possunt, nulla ratione hanc maiestatem diuinam explicare possunt, quæ μεταφυσικὰ καὶ ὑπερτὰ φυσικὰ est, & planè ἀῤῥητῶς: tutissimũ iudicamus, & Deo gratissimũ, remotis absurdis de extensione & multiplicatione corporis Christi, tam sublime mysterium adorare, quàm cum offensione diuinæ Maiestatis, nostrarumq; animarũ periculo, humanis cogitationibus scrutari, & modum alium definire, quàm simplici verbo Christi exprimitur. Luth. Tom. Ger. 3, fol. 501.

42. Neq; verò, dũ ab huiusmodi inquisitione curiosa, homines ad omnipotentiã & ad Dextrã Dei collocati Christi Verbũ reuocamus, omnino cæcos esse volumus, sed in verbo Dei oculatissimos: quod dum vera fide aspiciunt & apprehendunt fideles, quę ὑπόστασις est rerũ sperãdarum, & ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων, longè certiorẽ eius rationẽ scriptura confirmat, quàm quæ hominis intelligentia sibi fabricatur εἴδωλα. Hebr. 11.

43. Atq;

43. Atque hoc modo nisi se inuerteret interdum, & per interualla, nullus Christianorum toto corporeo Christo, si tamen & hoc modo, frueretur in terris.

Luc. 1. Esa. 7. Heb. 1.

44. Eadem fides & religio multa, & numero infinita corpora Christi non admittit. Quod vnum ex semine & substantia diuæ virginis Marię in vnitatem personæ assumptum, sine augmento aut decremento, perpetuò in gloria cœlestis regni retinet & conseruat.

45. Crassam ergo qui corporis Christi diffusionem imaginantur, se non tam veritatem humanæ naturæ negare, quàm Ecclesiam & singula eius membra, toto Christo, quòd in ipsis est, priuare sciant.

46. Ad tollendam hanc de corpore Christi vanam, & omnibus modis absurdam opinionem, Christus accumbens, seque loco pro physica ratione sui corporis non mouens, suum verum corpus & verum sanguinem, iuxta modum perfectionis, per vnionem hypostaticam, acquisitum, discipulis suis cum pane & vino distribuit.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

47. Sicut igitur homo Christus, à plenitudinis Dei inhabitatione corporali, accepit omnem potestatem supra omnes cœlestes & terrestres creaturas: ita & modum accepit, quo rebus omnibus quibus præest, etiam adsit.

48. Atque nihil fingendum est pro ratione & modo creaturarum: sed vt D. Lutherus scriptum reliquit, iuxta naturam & rationem Dextræ Dei: qui modus physicus non est, aut carnalis, sed planè cœlestis & spiritualis, sicut ipsa quoque diuinitas non physica, sed intelligen-

Tom. 3. Ihen. fol. 395.

telligentię humanæ imperſcrutabili ratione rebus omnibus adeſt.

49. Teſtatur enim ſcriptura, Dextram Dei nihil corporeum, diffuſum aut extenſum ſignificare. Modus igitur, quo hæc in omnibus locis præſentia Chriſti deſcribitur, nihil poteſt eſſe extẽſum aut diffuſum, ratione quantitatis, aut dimenſione corporis diſtractum: ſed perfectio ſumma, qua corpus Chriſti in maieſtate ſupra omnes creaturas exaltatum eſt. Atq; hoc modo non ſolùm ratione eius naturæ, quæ ab ęterno Deus eſt: ſed etiam quę in tempore producta, omni plenitudine diuinitatis, corporaliter communicat, omnibus rebus pręſens eſt, quia ſcilicet omnes res ſibi pręſentes habet. Gal. 4. Coloſſ. 1. 2.

50. In hanc ſententiam inter tres modos præſentiæ corporis Chriſti, D. Lutherus diſtinguit, quorum primus eſt corporalis & circumſcriptus, ſicut in terris ambulauit, vbi iuxta magnitudinem corporis ſui loca occupabat. Ad hunc modum, inquit Lutherus, pertinent ſententiæ omnes, quæ loquuntur de Chriſto, quòd Mundum reliquerit.

51. Alter præſentiæ modus, dicitur à Luthero ſpiritualis, & incircumſcriptus, quam Scholaſtici appellant pręſentiam, qua res ſit alicubi definitiuè, iuxta quam nulla quidem loca occupat, ſed ſecundum voluntatem ſuam inſtar viſionis humanique oculi, ſoni, luminis, & coloris, omnia loca perambulat. Hoc modo per lapidem & ſepulchri clauſas ianuas iuit: & in pane & vino cœnę præſens eſſe poteſt, ſi vellet. Matth. 28. Ioan. 20.

53. Tertius modus planè cœleſtis & diuinus eſt,

quo cum Deo vnam personam constituit, qui modus iam commemoratum secundum longè superat, iuxta quem creaturæ omnes ipsi longè præsentiores sunt, quàm iuxta secundum modum.

53. Quod autem Christi corpus in cœna adesse dicitur, à generali illa maiestatis præsentia, non tam respectu sui, quàm nostri distinguendum est.

54. Quemadmodum enim diuina essentia, nec loco nec tempore diuidua est, energia tamen qua eminet quasi extra se, diuidua est locis & temporibus: ita & hęc hominis Christi maiestas diuina, communicata, in se nec loco nec tempore diuidua est, quæ & vbique & semper omnibus rebus creatis adest supereminenter: ratione tamen & modo à se definito, in cœna vel abesse vel adesse corpus eius dicitur: quæ præsentia singularis est, & Sacramentalis dicitur.

55. In cœna igitur Dominica, nõ tàm præsentiam quàm dispensationem corporis & sanguinis Christi agnoscimus, quæ extra eam neque vbique fit, neque semper, sed suis temporibus & locis, quibus cœna Domini vtitur Ecclesia, consuetis.

56. Qua ratione panis & vinum cœnæ, creaturarum reliquarum numero, sicut & aqua Baptismi, eximuntur, quibus non tam iuxta rationem Dextræ Dei (qua ἄῤῥητος est) quàm etiam ad consolationem Ecclesiæ Dei, tanquam cibus & potus vult distribui.

57. In cœna igitur ratione qua cibus & potus dicitur, ipsissimũ Christi corpus, & ipsissimus eius sanguis, cum pane & vino cœnæ Dominicę distribuuntur, ad augendam Dei vitam in nobis, & fidem nostram roborandam.

58. Et

58. Et illud ipsum est essentiale corpus Christi, quoad personam sustinet redemptoris: Et ipsum porrigens non dixit se signum porrigere corporis sui, sed ipsum verũ corpus suum. Quoniam articulus ὁ, si apponatur prędicato, non simpliciter prędicatur de subiecto, sed subiectum dicitur esse ipsum prædicatum.

59. Christus igitur his verbis, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, ipsissimum corpus suum in cœna adesse expressit, rem, inquam, significatam & non signum tantùm: & singulare quiddam est, quòd Christus cum omnibus beneficijs suis, se quoque totum nobis in hoc Sacramento communicare voluit.

60. Sed modum ipse definiuit, non quantitate aut alia quadam ratione absoluta, vt qua patibile aut glorioſum corpus. Inquit enim: quod pro vobis datur, Sanguis, qui pro vobis effunditur. Caro mea verè est cibus, quam ego dabo pro mundi vita. Matt. 26. Lucæ 22. Matth 14. Iohan. 6.

61. Sacramentale verò appellamus hoc Christi corpus, non quòd duo corpora Christi fingamus, sed quòd alio modo idem corpus Christi in cœna præsens sit, quàm quo in cruce passum est.

62. Quare non dubitandum est, hac ratione corpus Christi, cœna vtentibus multò præsentius adesse, quàm ipsum ministrum, per cuius manum hoc Sacramentum dispensatur.

63. Sicut enim diuinitas non extra se res intuetur conditas, quod indigentię esset argumentum, sed in seipsa, in qua etiam sunt, ratione qua earum est causa: Ita & humanitati Christi, eam Maiestatem tribuit sessio ad Dextram Dei, vt non eminus aliquid aspiciat, sed in se præsentem habeat rerum omnium

veritatem, quarum vmbram nos tantùm aspicimus, quibus tamen nos longè viciniores, quàm Deũ ipsum
Galat 4. arbitramur, sicut Apostolus ad Galatas scibit: Postquam cognouistis Deum, quin potius cogniti estis à Deo. Neq; enim homo seipsum tam perfectè cognoscit, quàm à Deo cognoscitur.

Tom. 3. Ger. Ihen. fol. 500. 498. 64. In huiusmodi explicatione Lutherus similitudine oculi & visionis humanę vtitur: Etsi huius energia admirandam eius præsentiam nulla ratione æquare potest, quam humanitas Christi ex diuinitate per vnionem hypostaticam accepit.

Luth. Tom. Ger. Ihen. 3. fol. 478 65. Quò minus etiam verè pios mouere debet, varietas phrasium, quibus in huius mysterij descriptione vtimur, dum corpus Christi in pane, cum pane, sub pane, distribui dicitur.

66. Cum enim Dextræ Dei ratio sit ἀρρητος, quæ corpori Christi etiam modum ἀρρητου tribuit, in summa Maiestate collocato, quę est supra omnia, in omnibus, & per omnia, humana lingua propter defectum intelligentię suæ, hoc modo balbutire cogitur. Quod dum alij ἀκριβῶς considerant, & sub specie contradictionis odiosè exagitant, quàm alieni sint ab hominis Christi Maiestatis cognitione, demonstrant. Et dum phrasium tam seueri sunt censores, ipsi viderint, ne fortè D. Paulum inconstantiæ & vanitatis aliquando
Rom. 9. arguant. Qui cum ad Romanos scribat, Christum esse
2 Cor. 5. Deum in secula, ad Corinthios tamen, quasi huius oblitus, dicat Deum fuisse in Christo: quod aliud certè sonat, quàm Christum esse Deum. Cur igitur in Sacramentali hac vnione explicanda, non liceret nobis

dicere

dicere cum pane, in pane, sub pane, esse corpus Christi: cum ipse Christus dixerit: Hoc est corpus meum?

67. Sed præstat tam sublime arcanum adorare, quàm huius Maiestatis modum, in anguſtias rationis nostræ cogere.

68. Prædicationem verò in verbis cœnæ: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, agnoscimus Sacramentalem, qua panis corpus Christi esse dicitur, quæ scripturæ sacræ neque noua est, neque inusitata.

69. Sicut enim Angeli flamma ignis dicũtur, propter formam, quam ad diuina apud homines subeunda & perficienda ministeria, ad tempus assumunt, cum neque ignis sint, neque flammę, quemadmodum & Spiritus sanctus columba: Ita & panis ac vinum cœnę, corpus & sanguis Christi, propter Sacramentalẽ vnionem, rectè & verè dicuntur, quòd in dispensatione sanctissimi corporis & sanguinis Christi verè præsentis, sicut flamma ignis præsentium angelorum ministerio, seruit. Heb. 1. Luth. To. 3. Ger. fol. 530. 469.

70. Meritò igitur verborum Christi interpretationem reijcimus, cum sententia & vltima voluntate Christi pugnantem, qua verbum Substantiuum Est, per SIGNIFICAT explicatur, vt absentia corporis & sanguinis eius in cœna stabiliatur.

71. Non minus absurda est & ea, quæ pro veritate, figuram tantùm corporis Christi, intelligit, qua noui Testamenti Sacramentum hoc augustissimum, infra veteris instrumenti figuras collocatur.

72. Neque enim Christus signo aut figura corporis sui & sanguinis, cum discipulis ludere voluit, quæ

nihil prestare possunt natura sua ad vitam spiritualem in nobis conseruandam, sed verum corpus & sanguinem sicut in prima, ita & omnibus temporibus, celebrata cœna Dominica ab ipso instituta, exhibere, & nos ad immortalitatem pascere voluit.

73. Hæc loquendi forma, qua τὸ ἐστὸμ verborum Christi retinemus, συνεκδοχὴ appellatur, scripturę sacrę vsitata & familiaris, qua tamẽ non res absentes, sed presentes, & in verbo promissę cum externis siguisin Cœna vescentibus verè exhibentur.

74. Hac Christi hominis maiestate vtcunq; adumbrata, & per fidem cognita, qua in parte multis modis, in negocio cœnæ Dominicę hactenus erratũ sit, facilè intelligi potest. Absurda est imprimis Anabaptistarũ opinio, quæ nuda fractione panis, & memoria mortis Christi, cœnam Domini celebrari posse affirmat. Sermo enim Christi est de vero cibo & potu vitæ ęternæ: quod elementa panis & vini præstare nequeunt. Sed verum corpus & verus sanguis Christi, quæ & verè adsunt, & dispensata in credentibus alimoniã vitæ æternæ præstant. Hæc accepta & hausta, inquit Hilarius, ficiunt, vt Christus sit in nobis & nos in illo.

75. Absurdissimi verò omnium sunt Papistę, qui Ecclesiæ nouum Deum, ex substantia panis & vini fabricatum, obtrudunt: qui tamen è vestigio iterum auolet, priusquàm cibum in sumentibus Sacramentum præstet. Sic enim verba Glossæ sonant. Distin. 2. C. tribus generibus. Certum est, inquit Glossa, quòd species, quàm cito dentibus teritur, tàm citò in cœlum rapitur corpus Christi.

76. Scri-

76. Scriptura autem loquitur de Christo in nobis permanente, dum carnem filij hominis in spiritualem alimoniam nobis cibum & potum pollicetur.

77. Et magicam prorsus agnoscimus Pontificiorum consecrationem, qua sacrificuli recitatione & vi verborum institutionis se Christum è cœlo (quod fingunt) elicere & detrahere posse, opinantur.

78. Eoque maior hęc est superstitio, quòd verbis Christi sua assuunt, quæ neq; apud Euangelistas, aut D. Paulũ leguntur, quibus nõ minus virtutis adscribunt.

79. Notæ enim sunt disputationes Sophistarum, de vocula ENIM, pro qua retinenda, scripturę verba deprauant, quæ ab Apostolo descripta sunt. In Ecclesia malo quinq; verba mea mente loqui, quàm decem millia verborum lingua. Quod quidem de his quinq; verbis intelligunt: Hoc est enim corpus meum.

80. Neque verò propterea nullam aut vanam Ministrorum Ecclesiæ consecrationem esse, sentiendum est, qua panis & vinum in corpus & sanguinem Christi consecrantur: non pontificia quadam incantatione, aut transubstantiatione, aut locali aliqua inclusione, cùm corpus Christi in cœlo, sine physico loco, omnia in se modo cœlesti pręsentia habeat. Sed cùm Elementa panis & vini semel à Christo cõsecrata, hoc est, à Christo in hunc sacrũ vsum destinata sint, vt in Cœna Dominica dispensationi corporis & sanguinis sui seruiant, verè Sacra actio est. Et minister consecrare dicitur, cùm verborũ institutionis recitatione, primam consecrationem, ab ipso Christo factam, Ecclesiæ in memoriam reuocat, cuius vis perpetuò durat, sicut & verbi huius: Germinet terra herbam virentem. Matth. 26. 1. Cor. 11. Gene. 1.

81. Di-

81. Dispensationis enim hæc sunt verba, ratione cuius in cœna vel adesse vel abesse dicitur corpus Christi. Et rectè dictum est: Extra vsum à Christo institutum, nihil habere rationem Sacramenti.

82. Et qui vsum Sacramenti, quo eius substantia definitur, contra voluntatem instituentis peruertunt, Sacramentum aut corpus Christi tractare falsò dicuntur.

83. Schuenckfeldianorum quoque non minus absurda, & ab institutione Christi aliena est opinio, qui dispensationem corporis & sanguinis Christi planè negant, quę in distributione panis & calicis sacrati fiat: Sed dispensationis verba, concionem esse volunt tantùm, de corpore & sanguine Christi: quòd videlicet sint hoc, quod panis & vinum, id est, cibus & potus. Ideoque verborum Christi contextum planè inuertunt, vt τὸ σῶμα subiecti, ἐστι τοῦτο prædicati locum obtineat. Cuius vanitatem D. Paulus in 1. Cor. 11. refutat, vbi τοῦτο coniungit cum subiecto ποτηρίου. Sic enim sonant verba eius: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν τῷ ἐμῷ αἵματι, vt testaretur, hac Pronominis demonstratiui, & articuli cum poculo connexione, ipsissimum sanguinẽ Christi in cœna nobis communicari.

84. Etenim Ioannis sexto capite Christus de sua carne & sanguine prolixè concionatur, quòd verè sint cibus & potus æternę vitæ. In Cœna autem Dominica, hunc cibum & potum cum pane & vino dispensari Sacramentaliter, ipsa institutio clarè docet.

85. Neque verò quenquã offendat, externis & terrenis elementis, hęc cœlestia & spiritualia dispensari.

86. Est

86. Est enim hominis nihil aliud quàm διακονία, cui adest ipse filius Dei & hominis, Christus, per manus ministri ipse verè exhibens corpus & sanguinem suum, Sicut in aspersione aquæ, quę per ministrum fit, suo spiritu regenerat, & prædicationi verbi vocalis, æternus λόγος ad docendos homines adest.

87. Quare vsus panis & vini, non modò gratiarum actioni inseruit, de qua Schuenckfeldiani concionantur, sed dispensationi corporis & sanguinis Christi mysticæ, quam gratiarum actio spirituali refectione facta, in Sacramento comitatur.

88. Non minus hallucinātur Cingliani omnes, qui solius diuinitatis Christi præsentiam in Cœna Domini, corporis verè & sanguinis eius, non nisi symbolicam & figuratam significationem admittunt, corpus Christi, propter visibilem in cœlum ascensum, ita in certo cœli loco physica locatione collocantes, vbi sedeat, stet vel ambulet, vt iuxta humanam naturam, nobiscum in terris commorantibus nihil negocij habeat.

89. Error hic pernicioſus ex ignorantia maiestatis hominis Christi ortus est, quo Christum instar beatorum reliquorum hominū, ita infra Deum collocant, vt plenitudine diuinitatis, quę est æqualis maiestas, gloria & potentia cum Verbo excludatur.

90. Scriptura verò sacra testatur, maiestatē hanc, siue omnis diuinitatis plenitudinis communicationem, homini Christo eam gloriam tribuere, qua super omnes visibiles & inuisibiles creaturas euectus, omnibus rebus adsit: easque non modò vt Deus, sed etiam

vt homo, iuxta hanc plenitudinis θεότητ& communicationem, administret: qui modus humanę rationi planè imperuestigabilis est.

91. Propius quidam ad sententiam nostram accedunt, qui dum homini Christo iam dictam maiestatem tribuunt, qua non homo per Deum, sed Deus per hominem, omnia quę in cœlo sunt & in terra administrat, non modò diuinitatis, sed etiam humanitatis eius præsentiam, eiusque cum pane & vino dispensationem, nobiscum affirmant.

92. Eam verò, dum quasi Sacramentaliter absente, & longo interuallo remoto corpore, per Spiritus sancti virtutem interueniētem fieri definiunt, in hanc Christi hominis maiestatem quoque impingunt.

93. Neque enim Christus homo suo corpore & sanguine ratione Maiestatis absens tantùm per Spiritum sanctum in panis & calicis sacrati dispensatione nobiscum agit, sed corpore & sanguine suo præsentissimè præsens, dum nos sacramentaliter alit, simul etiam Spiritus sanctus sua dona confert.

94. Et perperam eos sentire ac veræ fidei in hoc negocio rationem ignorare existimamus, qui docent: quòd fides res absentes (corpus scilicet & sanguinem Christi) præsentes faciat.

95. Fides enim corpus Christi in Cœna, præsens efficere non potest, quæ suo subiecto determinata est & mensurata, sicut scientia re scibili, quam scientia non facit præsentem, sed ècontra. Similiter quod institutio Christi pręsens pollicetur & offert, fides etiam præsens accipit, & non tanquam absentem & procul remotam rem quęrit.

96. Fru-

96. Fruuntur autem beneficio Christi, soli, qui in hoc sacro conuiuio, vera fide præditi Sacramento vtuntur. Etsi enim ore corporis corpus Christi non sentiant, qui sensus prodesset tantum, quantum crucifixoribus, si in eo solo homo hæreret: fide tamen sentiunt, quę non est nuda de absente Christi corpore speculatio, sed præsentis & inhabitantis Christi vera fruitio.

97. Qui verò sine fide, aut vera pœnitentia, mensam DOMINI accedunt, siue hypocritæ, siue manifestè scelerati (qui tamẽ Ecclesiastica censura arcẽdi erant,) accipiunt non nudum panem, aut vinum bibunt absente Christo, quin ipsis quoque pręsens est Christus corpore & sanguine suo, adeóque propior, quàm ipsi sibi sunt, iudex seueriſſimus, sicut pijs salus & vita.

98. Neque enim Christus in eam Maiestatem collocatus est, vt sit tantùm saluator piorum, sed etiam vt de ingratis supplicium sumat. Sicut scriptum est: Pater neminem iudicat, sed omne iudicium dedit Filio, & potestatem dedit ei iudicandi quoq;, quia Filius hominis est. Quod iudicium cum non sit extra impios, sed etiam in recessu & spiritu impiorum, ijs quoque Christum adesse iudicantem, & iudicium in ipsis exercere pręsentem, non nisi maiestatis Christi ignorantes, negare possunt, sicut scriptum est: Cum sancto sanctus eris, & cum peruersis peruersus eris, non naturâ suâ sed vitio impiorum. Iohan. 5.

99. Etsi verò impœnitentes iudicium hoc nõ sentiunt, tamen cum excæcatio & induratio sint summa pœna in hac vita, quam Christus gratię suæ contem- Rom. 1.

ptoribus infligit, iudicium hoc, sicut & peccatum in foribus dormit, quod tandem desperationem in vltimo agone parit. Iudicium autem, quod in cœna manducatur, sicut reprobis æternum est: ita electis in bonum cedit, quemadmodum Apostolus monet: Cum
1. Cor. 11. iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo damnemur.

100. Neminem verò vsus vocabulorum corporaliter & essentialiter, offendat, quibus authores in hoc negotio vsi, sicut & Apologiæ Augustanæ confessionis inserta sunt.

101. Neq; enim quidquam iuxta huius seculi rationem significant, sed ipsius veræ humanitatis corporis & sanguinis Christi præsentiam, iuxta modum à diuinitate communicatum, nobis incognitum, quem vtcunque similibus quibusdam rebus adumbrare possumus, quo contenti esse debemus.

102. Et cœlestis tota est actio hæc, quæ in cœlo peragitur, non illo Empyreo aut Thalmudico, ad quod imperiti quidam nos nostris cogitationibus ablegare conantur, quod longissimo loci interuallo à nobis distet: sed quod nullo loco physico, solius gratiæ Dei communicatione definitur.

103. Et cum ipsi quoque ex sententia Lutheri vocabulo SPIRITVALITER vsi simus, non ea tamen significatione accipimus, qua nostri in hac controuersia aduersarij. Reuera enim fidem solam adesse sentiunt, non corpus & sanguinem Christi, sed horũ symbola tantùm, panem & vinum: Fides verò sua cogitatione,

tatione aſcendat in remotiſsimum cœli Empyrei locum, in quo corpus Chriſti collocatum ſit. Qua ratione plus virtutis ei tribuunt, quàm corpori Chriſti: quòd illa in remotiſsima loca aſcendere, hoc verò ſeſe ad nos in terram demittere non poſsit.

104. Nos verò per vocabulum (SPIRITVALITER) modum intelligimus cœleſtem, & alterius ſeculi, qui omnibus Phyſicis & terrenis opponatur, quo Chriſtus corpore & ſanguine ſuo verè præſens, in electis ad ſalutem, in reprobis iudicium operatur.

105. Neque veteres per ſurſum corda, aliud voluerunt, quàm quòd mens noſtra extra res aſpectabiles, in diuinę maieſtatis, eiusque præſentis gratiæ conſiderationem, reuocanda ſit.

106. Atq; hæc eſt Confeſſionis Auguſtanæ & Apologiæ, noſtrarumq; Eccleſiarum breuis, perſpicua, vera & ſimplex de Cœna Domini explicatio, qua vera & ſubſtantialis corporis & ſanguinis Chriſti præſentia & diſpenſatio aſſeritur: quam nobis prętер inſtitutionis verba, hęc hominis Chriſti ad Dextram Dei collocati Maieſtatis conſideratio confirmat.

107. Hanc doctrinam ideo retineri ſatagimus, non tam vt præſentia corporis & ſanguinis eius in Cœna, conſeruetur, quàm etiam vt Deum ipſum in omnibus rebus aduerſis, in vera inuocatione, denique in morte ipſa, prętſentem liberatorem retineamus. Cum enim non poſſimus Deum accedere, eumq; inuocare, niſi mediante homine Chriſto, neceſſarium eſt, vt eum ſemper præſentem in cordibus noſtris habeamus: qui idcircò aſcendit in cœlum & omnia implet, vt ſemper cōpareat in conſpectu patris, & interpellet pro nobis. Hebr. 9. Rom. 8.

Confessio Grynæi Pastoris Rôtelani.

HÆC sunt Capita Disputationis Grynæi, publicè in Academia Tubingensi proposita, & ab ipso quoq; ex verbo Domini, eo tempore in publico cœtu Scholastico, defensa. Quam fidem etiam professus est, quamdiu Rôtelanæ Ecclesiæ in Marchionatu Badensi præfuit. Vnde ad Præceptores & alios amicos suos non semel, sed sæpè scripsit, & de suo cum Ecclesijs nostris consensu non obscurè est testatus.

Spes de Grynæo Basileam vocato

Inde cum Basileam vocatus esset, & Ecclesiæ & Scholæ eius loci gratulabamur, quòd non mediocrem spem conciperemus, per gratiam Dei fore, vt aliquando non solùm inclytæ illius Vrbis Ecclesia, cum nostris in pia & syncera Confessione Doctrinæ cœlestis consentiret, & se publicè coniungeret: verùm etiam via pararetur, vt etiam Helueticæ reliquæ Ecclesiæ, quæ iugum & Tyrannidem Pontificiam abiecerant, adducerentur: cùm eiusmodi doctrinam & fidem de Cœna Domini profiterentur à Zvuinglio traditam, cuius FVNDAMENTVM ipse Zvuinglius se per somnium A SPIRITV didicisse, publicè scribit: de quo, ATER AN ALBVS FVERIT, non meminerit. Sed spe & expectatione nostra nos frustratos esse, res ipsa docet. Etsi enim cùm aliquandiu Basileæ ageret, nihilminus quàm ipsius Apostasiam turpissimam à veritatis doctrina semel agnita, & in solenni publica Disputatione professa & propugnata, cogitaremus: tamẽ præter expectationẽ nostram varij rumores de illo ad nos perferuntur, eum in partes Zvuinglianorũ & Caluinianorum inclinare, & tandem etiam fama spargitur, quòd Præceptores suos, quos Tubingæ Theologos habuerat, & qui ei publicum Doctrinæ testimonium tribuerunt, non solùm priuatim, sed etiam in lectionibus publicis contumeliosè & flagitiosè perstringeret. Qua de re cum admonitus essem, ad viros doctos & pios Collegas eius scripsi: qui re-

Fundamentũ opinionis Zvuing. de Cœna Domini.

Zvuingl. in subsidio de Eucharistia, in 2. To. operum Zvuing fol. 249.

Apostasia Grynæi à doctrina veritatis.

Impietas & ingratitudo Grynæi erga suos Præceptores Tubingæ.

qui responderunt, ita cum illo actum esse, vt nihil tale amplius ab eo expectandum sit, illorum consilio acquieui.

Cùm igitur toto hoc tempore, quo Basileæ fuit, Disputationẽ Tubingæ publicè propositam, & ab ipso defensam, non solùm nullo verbo in publico scripto expressa eius mentione facta retractaret, vt ostenderet, se interea melius in doctrina pietatis institutum esse: sed ea per silentium dissimulata, contrariam, eamque impiam & blasphemam, & quidem in aliena Schola proponere non sit veritus: committere non potui, quin de ea, cùm publicè extet, etiam publicè Ecclesiam commonefacerem, & Hypocritæ impietatem omnibus patefacerem.

Disputatio Grynęi in Cacodoxi Consensus Refutatione confutata.

Etsi enim ferè omnia, quæ in illius Disputationis Capitibus continentur, in Refutatione Cacodoxi Consensus Zuinglianorum & Caluinianorum, quem illi Orthodoxum Scripturæ Sacræ & Patrum consensum falsò appellant, nomine Theologorum Vvirtembergicorum nuper in lucem edita, solidè sint confutata, quæ hic Hypocrita ex illo desumpsit & descripsit: tamen operæ pretium me facturum existimaui, si quoque seorsim ea breuiter refutarentur, ac simul etiam pius Lector admoneretur, ex quo loco Refutationis Cacodoxi consensus singula petenda sint, quò breuitatis causa ipsum remittemus.

Ac ne conqueri possit, à nobis quidquàm silentio studiosè præteritum esse, Theses ipsius integras huic Refutationi inseremus, & ad omnia & singula respondebimus, vt collatione facta, Christianus Lector facilè iudicare possit, vtra pars verbo Domini expresso & indubitato, aut humanis cogitationibus & opinionibus nitatur. Deus optimus Maximus, Pater Domini nostri Iesu Christi faxit, vt ad gloriam nominis ipsius diuini, ad confirmationem simplicis fidei piorum, & ad reducendas errantes oueiculas quàm plurimas in Ouile Christi faciat, Amen.

Primùm,

Primùm, quòd Hypocrita in dedicatoria Epistola ad Ducem Ioannem Casimirum, quam etiam examinare visum, à querela exorditur, quæ in Psam. 120. Dauidis extat: Vetus, *inquit*, est militantis in hoc mundo Ecclesię Domini nostri Iesu Christi, & singulorum etiam piorum querela: Heu mihi quòd exulo in Mesech, & habito in tabernaculis Kedar. Diu habitauit Anima mea cum hostibus pacis. Ego pacem expeto, sed dum loquor, ipsi ad bellum se comparant: *animum & iudicium suum de nostris Ecclesijs, earumq; pijs Doctoribus prodit, quos cum Mesech & Kedar, hoc est, cum Armenijs & Arabibus, eo tempore populis barbaris confert, quod perinde est, ac si nostro tempore Turcas & Moscouitas nominet. Eosq; tanquam hostes pacis proclamat, qui perpetuas turbas & bellum contra Ecclesiam Dei meditentur. Imitatur autem Hypocrita noster incendiarios astutos, qui cum domum incenderunt, alios ad restinguendum ignem lamentabili voce exhortantur..*

A 2. fa. 1.

I.

Hypocritica querela Grynæi contra suos Aduersarios.

Cum enim ab initio per Lutherum instauratæ Doctrinæ Euangelij sancta pax & concordia inter Doctores & auditores esset, qui Romani Antichristi Idolomaniæ renunciauerunt, per spiritũ excitatus Zuinglius, de quo ATER AN ALBVS FVERIT, *non meminerit, Concordiam hanc sanctam miserè perturbauit, & Ecclesijs Euangelicis, quæ contra Pontificios in castris constitutæ perpetuas excubias egerunt, nouum bellum indicitur. In quo Lutherus tanquam crassus Papista accusatur, qui Ecclesiæ Dei in Eucharistia impanatum Deum obtrudat. Hic sibi alios quoque coniunxit erroneæ Opinionis socios, qui deinceps Zuingliani ab eodem, exemplo veteris Ecclesiæ, sicut ab Ario, Nestorio, Arriani & Nestoriani,* RECTE *denominati sunt, qui hactenus non modò pacem Ecclesiarum turbârunt falsa & peruer-*

peruersa doctrina: sed etiam horribilium motuum & tristissimorum bellorum causa non fuerunt postrema, quæ aliquot Regnis & prouincijs exitium attulerunt: bipenni Ecclesias, quæ ad illarum curam minimè pertinebant, non legitimè vocati, non modò deformantes, sed à fundamento quoque euertentes, insignem gloriam & nominis celebritatem se consecutos existimant. Quos tanquam acerrimos hostes rectè Decumanis fluctibus conuleris, in quorum vlnis multa millia hominū iactitata tandem miserrimè perierunt. *Et hoc adeò manifestum est, vt Hypocrita noster nullo modo negare possit. Malitiâ ergo insignis sit, necesse est, culpam horum motuum in eos reijcere, qui vel pro veritate pugnârunt, aut aliâs illorum illegitimis & furiosis conatibus restiterunt. Sic enim fur aut latro Patrisfamiliâs & domesticorum vitæ & fortunis insidias, si repellatur, turbarum causam à se remouere, & in Patremfamiliâs Zuingliana hac & hypocritica lamentatione deriuare posset.* II.

Translatio offendiculi dissensionis in innocentes veritatis assertores.

Quapropter cum nusquam venerint Zuingliani Doctores (plærunque per insidias sine legitima vocatione ingressi) vbi turbas non dederint, Spiritum, quo agitantur, non modò veritatis, sed pacis quoque & tranquillitatis publicæ hostem & perturbatorem, ideoq; non Spiritum sanctum, sed ipsissimum Diabolum esse, nemo pius dubitare debet.

Spiritus Zuuing. turbulentus.

Nullam autem nobis gratiam facit Hypocrita, quod correctionis loco addit: Non omnes, qui eos affligunt, eodem loco habendos. *Nam resistere erroribus & prohibere aditum in Ecclesiam falsis Doctoribus, Zuinglianis quidem afflictio est. Nos verò sic iudicamus, eos crudeles esse, & vel ignorantia, vel negligentia peccare, qui non pro viribus, legitimè tamen, huic atro spiritui, veritatis & pacis perturbatori, se non constanter & intrepidè opposuerint, iuxta illud Apostoli: vtinam* EXCINDANTVR, *qui vos conturbant.* III.

Spiritui Zuuinglianorum resistendum.

Gal. 5.

Minimè verò ad illorum malam causam illud Salomonis accommodari potest: Si hominis opera Deo placuerint, etiam inimicorum corda ad pacem conuertentur. *Ipsorum enim neque Doctrinam, neq; opera Deo probari, certum est, qui tanquam manifesti falsarij Testamenti Christi, & in Maiestatem ipsius ad Dexteram virtutis & maiestatis Dei secundum carnem exaltati, summè blasphemi deprehensi & conuicti sunt: ad quos nemo accedere potest, nisi prius à verbo Dei turpiter deficiat.*

IIII. Doctrina & opera Zuuing. Deo non placent.

V. Ibidem.

Cum autem Hypocrita addat: Tùm demum (vt iam de controuersijs domesticorũ, de Religione, loquar) opera nostra Domino Deo nostro placebunt, si bonæ causę optima posuerimus fundamenta: si bonam causam benè egerimus: si deniq; modestiã, lenitatẽ, studiũ veritatis, pacisque reipsa daclarauerimus: *Nos hac breui refutatione apertè demonstrabimus, ipsos neq; bonã causam fouere, neq; vllis bonis fundamẽtis niti, neq; benè ab ipsis agi, neq; modestiã aut lenitatem, multò minus veritatis & pacis studium illis inesse.*

Summa Refutationis Disputationis Grynæi.

VI. Ibidem.

Quod igitur primò omnium scribit: Causę Eucharistiæ, & sententiæ nostræ, cuius nomine quidã litem nobis intendũt, basis adamantina sunt institutionis cœnę Domini verba, quæ Paulus Apostolus numero cõplexus est, quando scripsit: Poculũ benedictionis, cui benedicimus, nonnè cõmunio sanguinis Christi est? Panis, quẽ frangimus, nonnè cõmunio corporis Christi est. 1. Cor. 10. 16. *Respondeo, verba institutionis, seu Testamenti Christi* NEQVAQVAM *posse basim, aut fundamentũ esse opinionis Zuuinglianorũ de cœna Domini. Christus enim expresse & perspicuè dicit:* Hoc EST *corpus meum:* Hic EST *sanguis meus: sed Zuuingliani dicunt:* HOC SIGNIFICAT CORPVS MEVM: HOC SIGNIFICAT SANGVINEM CHRISTI.

Verba Testamenti Christi non possunt esse fundamẽtum opinionis Zuuinglianorum.

Pluri-

Plurimùm siquidem differunt, EST *&* SIGNIFICAT. *Nec facilè creditor sibi satisfieri pateretur, si debitor centum florenos debens, illi per significationem sine pecunia satisfacere cuperet, Verba Testamenti sunt: ideo non permutanda, aut alia in illorum locum reponenda sunt.*

Præterea Bullingerus in suo contumelioso & venenatissimo scripto contra me in lucem edito, apertè testatur: Ex verbis cœnæ Dominicæ nihil probari, neq; loco fundamenti aut basis Doctrinæ nostræ in hac disceptatione collocari posse, quia in controuersia sint, id quod etiam falsò dictus Orthodoxus Consensus confirmat. Si igitur basis & fundamentum Doctrinæ Zuinglianorum iuxta huius Hypocritæ opinionem sunt verba Institutionis: priùs cum suis Tygurinis & authoribus Cacodoxi ipsorum Consensus vespertilionibus transigat, necesse erit, vt si opus sit, in acri hac pugna socios habeat, ad quorũ auxiliũ et præsidium confugere possit.

Bullingerus in scripto contra D. Iacobum Andreæ.

Fol. 116. b. 161. b.

Sic Pauli quoque verba, hîc ab Hypocrita recitata, Calix benedictionis, &c. nequaquam Basis & fundamentum Zuinglianæ opinionis esse possunt. Infrà enim apertè fatentur, se A SCRIPTO *horum verborum recedere, & hoc nomine nos tanquam Capernaitas, seu Papistas accusant, quòd* SCRIPTVM, *seu* τὸ ῥητὸν *vrgeamus. Idemetiam Res ipsa confirmat. Non enim ait Paulus: Panis, quem frangimus* SIGNIFICAT CORPVS CHRISTI: *Calix benedictionis* SIGNIFICAT SANGVINEM CHRISTI: *sed* EST COMMVNIO SEV COMMVNICATIO *corporis & sanguinis Christi: quibus corpus Christi, & sanguis eius communicatur. Contrà verò hæc ipsa verba Testamenti Christi & Apostoli Pauli manifesta & apertissima fundamenta sunt nostræ Doctrinæ & assertionis, quibus nihil addimus, nihil detrahimus, sed* SCRIPTVM, *seu* τὸ ῥητὸν *retinemus & vrgemus, & simplici fide tanquam* FILII DEI

Pauli verba cum opinione Zuing. pugnant. Thesi 26.

Verba Testamenti Christi & Pauli fundamenta nostræ fidei & Confessionis.

omnipotentis & veracis verba honoramus, nihil dubitantes, quin in hoc Mysterio præstare possit, quod perspicuis verbis promisit.

VII. *Quod verò addit:* Non autem iam quæritur: sit ne
Ibidem fac. 2. Christus Iesus omnipotens, verax, omnipræsens, adorandus: de his enim nefarium est dubitare. *Respondeo: Imò maximè hoc quæritur, & à parte nostra affirmatur, a Zuinglianorum autem parte apertè & impiè negatur. Nam manifestè*
Zuuing. omnipotentiã Dei negant. *scripsit Petrus Martyr: Nulla vi diuina fieri posse, vt verum & naturale corpus simul & semel sit in pluribus locis. An verò hoc non est apertè omnipotentiam Christi negare? Contra illud*
Luc. 1. *Angeli: Apud Deum non est impossibile vllum verbum. Ideoque etiam Zuingliani scripserunt: Christum non plura promisisse, quàm potuerit præstare. Non posse autem præstare, vt corpus suum simul sit in cœlo & in terra præsens, quia implicet (ipsorum opinione) contradictionem. Quapropter Christum realem sui corporis in pane præsentiam nequaquam promsisse. Quod etiam Cacodoxus Zuinglianorum Consensus confirmat, sic ergo Christo simul & omnipotentia & veritas derogatur, quando id, quod Christus affirmat, illi pertinaciter negant. Nam Christus ait: Hoc est corpus meum. Zuingliani contrà dicunt:* HOC NON EST CORPVS *Christi:* HOC NON EST *sanguis Christi. Quam impietatem & blasphemiam in Christum, Puer septem annorum intelligere potest.*

Quod absolutè ad omnipræsentiam attinet, nulla quæstio inter nos fuit: An Diuinitas Christi omnipræsens sit? Etsi haudi-
Bullingerus cõtra Brentium. Item in Animaduersionibus super librum Concordiæ Genuæ. *tà pridem etiam hoc negare inceperint Zuingliani, qui dicunt: virtutem Diuinitatis vbique præsentem esse, non autem essentiam Diuinitatis, quæ in cœlo sit. Sed de assumpta Natura humana Christi quæritur. Cum igitur Christus non sit sola Diuinitas, nec sola humanitas, sed simul Deus & homo: si Christum*

omni-

omnipræsentem dixeris, nusquam à λόγῳ humanitatem assumptam personaliter abesse confiteri necesse est. Quod Zuingliani pertinaciter negant, Lutherani constanter affirmant. Sic de adoratione Christi manifesta est Caluinianæ sectæ Patroni Lamperti Danæi horrenda blasphemia, qui ore & calamo blasphemo affirmare audet: Quisquis NON SOLVM *ad diuinitatem, sed quoque ad humanitatem Christi etiam in ipsa Vnione permanentem, tanquam ad obiectum, suam inuocationem & adorationem dirigat, eum ex oro Dei maledictum, blasphemum, Idolatram, damnatum esse.*

Quæ cum ita se habeant, quanta ergo impudentia huius Hypocritæ est, qui affirmare audet, nullam Quæstionem esse, sit ne Christus Iesus omnipotens, verax, omnipræsens, adorandus. De his enim *(inquit)* nefarium foret dubitare. *Impium* VIII.
ergo contradicere & damnare, quod Caluinistas & Zuinglianos facere nunc ostendimus, & in Refutatione Cacodoxi ipsorum Consensus à VVirtembergicis Theologis ad oculum demonstratum est.

Cæterùm ad eiusdem Cacodoxi Consensus Compilatores Hypocritam nostrum remittimus, quando scribit: Sed de verbo- IX.
rum institutionis Cœnæ Domini germana interpretatione, quæstio est: quandoquidem nos quidem sententiam, quam analogia fidei & omnium Sacramentorũ ratio, & collatio docent, bona conscientia, nobis sequendã ducimus: alij verò SCRIPTVM in verbis cœnę retinere malunt: illud interim non animaduertentes, Pontificię Transsubstantiationi, quàm suę Consubstantiationi, illud magis seruire. *Nam vespertilliones illi, qui in causa deplorata sua nomina edere & profiteri non sunt ausi, apertè scribunt: Quæstionem nequaquam esse de sen-*

Status controuersiæ in Doctrina de Cœna Domini.

tentia verborum Institutionis, sed de opinione Lutheri: cum quibus denuò transigendum Grynæo erit, si socios opinionis suæ, & patronos eos retinere voluerit, qui magno & incredibili studio & labore hunc Consensum se compilasse gloriantur, à quo recedere Gryneo religio erit.

Sed ne de nobis, tanquam minùs æquis Censoribus conqueri possit, contra Compilatores omnes Grynæo adstipulamur & fatemur: Quæstionem de Germana verborum Institutionis cœnæ Dominisententia esse, modò Christianus Lector animaduertat, quàm egregiè Zuingliani & Caluiniani dogmatis propugnatores inter se consentiant: quorum alter affirmat, alter negat in eo, quod contra nos propugnandum susceperunt.

Opinionem autem Aduersariorum, qua verba Testamenti Christi deprauant, & ijs sensum contra manifestam literam affingunt, quòd videlicet verborum Christi: Hoc est corpus meum, sensus sit, HOC SIGNIFICAT *corpus meum: nequaquam ex analogia fidei & omnium Sacramentorum ratione & collatione probari posse suo loco ad oculum demonstrabimus. Interim pius lector diligenter obseruet, quod Hypocrita fatetur:* NOS SCRIPTVM IN VERBIS COENÆ RETINERE, *hoc est, verba Christi intelligere & accipere* SICVT *sonant, neq; à sensu literali, vt vocant, recedere. Hæc. n. illorum Confessio de nobis, inquit Lutherus, plus quàm dimidia pars victoriæ est contra Zuinglianos. Et sic quoq; tutissimi sumus, cum Christo veritatis & omnipotentiæ laudem tribuimus, vt qui non mentiatur, & tanquam omnipotens Deus præstare possit, quod verba eius aperte promittunt, vt maximè captum intellectus humani excedant.*

X. Lutherani scriptũ in verbis cœnę Domini retinent.

Somnium autem est Grynæi, quòd fingit: hac assertione nos magis Pontificiæ Transsubstantiationi, quàm nostrę Consubstantiationi seruire. *Cum enim docemus: Christum*

XI. Scriptum verborũ cœnæ Domini nõ confirmat Transsubstantiationem.

Christum pronomine (Hoc) panem demonstrasse, qui Panis sua substantia permansit, sensum literæ, hoc est, vocabuli (Hoc) verum, proprium & germanum retinemus, & Transsubstantiationem Asinorum Thomisticorum apertè damnamus, qui fingunt per nullã potentiã hanc propositionẽ verificari posse, si per Pronomen (Hoc) Panis substãtia intelligatur, seu demonstretur, quod ea facilitate negatur, qua à Thomisticis Asinis affirmatur. Cũ prædicatio neq; visitata, neq; figurata, sed inusitata & Sacramentalis sit, quãdo panis de corpore Christi propter vnionẽ Sacramentalẽ, sicut homo de Deo, vel Deus de homine personaliter in Christo p̃dicatur.

Error Thomisticorum Asinorum.

Prædicatio inusitata Sacramẽtalis.

Sic quoq; nulla Consubstantiatio à nobis docetur: (quam hoc loco, Hypocrita noster affingit) cùm præsentia corporis Christi non sit physica, aut naturalis, sed supernaturalis, diuina & cœlestis, cuius modum sola fides intelligit, sicut infrà docetur.

Contra Consubstantiationis figmentum.

Benè autem *(quod ait Hypocrita)* bonam nostram causam tum demum agemus, si in hac Disputatione mediam, regiamq; ingressi viam, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram nimium deflexerimus. *Vtinam & ipse & socij erroris eius facerent: Sic enim neq; Pontificiam Transsubstantiationem approbarent, nec peculiarem suum errorem de significatione & repræsentatione duntaxat corporis & sanguinis Christi profiterentur. Regia enim & media via hæc est, quando* SCRIPTVM *in verbis cœnæ Domini retinemus, & neq; ad dexteram, neq; ad sinistram deflectimus: sed iuxta Chrysostomi piam admonitionem vbique Deo credimus, etiamsi sensus & ratio reclament, quæ fallere possunt, verba autem Christi, inquit,* FALLERE NON POSSVNT. *Quia ergo dixit: Hoc est corpus meum:* CREDAMVS. *Sic panis substantia retinetur, & præsentia vera & realis corporis & sanguinis Christi in Mysterio hoc asseritur, sicut verba Testamenti Christi habent. Hoc inquam est media & regia via incedere.*

XII.

Regia via in dijudicanda controuersia de cœna Domini.

Homilia 60. ad populum Antiochenum.

Z quin-

Zuingliani verò tantum abeſt, vt in hac via Regia conſiſtant, quin apertè & impudenter affirment, ex verbis Teſtamenti Chriſti germanum ſenſum percipi non poſſe, ſed ALIVD COGITANDVM ESSE, *vt germana ſententia eliciatur, vt textus verborum Chriſti hæc ſit ſententia: Hoc ſignificat corpus meũ: Hoc eſt figura corporis mei. An verò hoc ſit regia via incedere, intelligentis Lectoris iudicio committimus. Item: Manifeſtus abuſus eſt (inquiunt Compilatores Cacodoxi Conſenſus)* VERBORVM COENÆ, *in probando eo,* QVOD EX VERBIS IN QVÆSTIONE *& controuerſia eſt.*

In Conſenſu Orthodoxo fol. 98. 150, 116. b.

Fol. 161.

Multiplex autem vanitas verbis Hypocritæ, quæ ſequuntur, ineſt, cum ait: Quicunque ſeu Transſubſtantiationem, ſeu conſubſtantiationem profitentur, Chriſtum mundi affigunt Elementis, & ex Sacramentis totidem Idola faciunt, eisque alij indiſſimulanter, alij tacitè, iuſtificandi quandam vim tribuunt. Hi nimium ad dexteram feruntur: nec quare Sacramenta ſigilla, non cauſę iuſtitiæ fidei dicantur, ſatis perpendunt.

XIII. Ibidem.

Nos enim neq; Transſubſtantiationẽ neque Conſubſtantiationem aſſerere paulò antè diximus. Nec Chriſtum Elementis Mundi affigimus, qui nullam phyſicam, localem præſentiam docemus: ſed in myſterio corpus Chriſti verè & realiter adeſſe iuxta verba Teſtamenti Chriſti apertiſſima, HOC EST CORPVS MEVM, *conſtanter, intrepidè & bona ac læta conſcientia aſſerimus.*

Qualis præſentia corporis Chriſti in Sacramento aſſeratur.

Quod autem ex Sacramentis totidem Idola facere nos ait Hypocrita: blaſphemiam eſſe dicimus, quæ myſterium hoc conculcat, quam Dominus ſuo tempore in profanatoribus Sacramenti & Teſtamenti ſui horribiliter vindicabit. Nos IN PANE *(cum Auguſtino) dicimus, nobis dari,* QVOD PEPENDIT *in cruce, videlicet corpus Chriſti, quod nequaquam Idolum, ſed*

Blaſphemia de Idolis in Sacramento.

λύτρον

λύτρον & pretium redemptionis nostræ est, sicut Patres loquuntur.

Neque verò tacitè, aut indissimulanter Sacramentis vim iustificandi tribuimus, sed per Sacramentorum legitimum vsum, iustificationem fidei obsignari, & fidem in ipsum Christum in nobis confirmari constanter asserimus. Quod panis & vinum cum nominibus & appellationibus corporis & sanguinis Christi, eorumq; repræsentatione, aut significatione nequaquam efficere possunt.

An Sacramentis vis iustificandi tribuatur.

Qua ratione nequaquam nimiùm ad dexteram ferimur, vt qui non adeo stupidi sumus, vt nobis Hypocritâ hoc tanquam Præceptore opus sit, qui nos doceat: Sacramenta sigilla, non causas iustificationis esse. Quamuis nequaquam eos errare dicimus, qui sano intellectu & hanc ob causam Sacramenta causas iustificationis nostræ dicunt, quòd per Sacramenta Deus gratiam suam iustificantem, qua sola per fidem iustificamur & saluamur, conferat, sicut verba promissionis eius sonant: Qui crediderit ET BAPTIZATVS FVERIT, *saluus erit. Vnde Baptismus Lauacrum Regenerationis & Renouationis in Spiritu sancto ab Apostolo dicitur, qui non significat duntaxat hoc Lauacrum, sicut Zvuingliani somniant, & non minus periculosè ac turpiter de Baptismo, quàm de cœna Domini errant: sed* EST LAVACRVM *Regenerationis,* EST *inquàm, & non significat tantùm. Quod cum negent Zvuingliani, circa extrema laborant, & non regiæ viæ insistunt, vt falsò gloriantur.*

Quomodo Sacramenta causæ iustificationis.

Error Zvuinglianorum de Baptismo.

Qui verò Sacramenta *(inquit Hypocrita)* fingunt nudas & externas professionis Christianę tesseras tantùm esse, vt Catabaptistę, nimiùm deflectunt ad sinistram, Sacramenta videlicet euacuantes. *Quàm libenter Hypocrita à se, suis q; socijs opinionem de nudis signis remoueret, quam in Catabaptistas transferre conatur? Sed obstat Colloqui-*

XIV. Ibidem.

Eadē Catabaptistarum & Caluinianorum de cœna Domini opinio.

um à Caluinianis Theologis Palatinatus Electoralis cum Anabaptistis superioribus annis habitum, in quo Catabaptistæ constanter affirmant, quòd EANDEM *opinionem cum ipsis de cœna Domini profiteantur. Qua ratione etiam, tanquam eiusdem Confessionis socios de cœna Domini Anabaptistas repellere non potuerunt, vt maximè id facere summo studio conati sint, ne propter Anabaptistas apud aduersarios suos hoc nomine malè audire cogantur. Id quod Acta illius colloquij confirmant.*

XV. *Sed videamus, quaso, regiam viam, qua se suique Erroris socios ingredi gloriatur Hypocrita noster:* Nos, *inquit,* verborũ Christi sententiæ insistentes, hanc propositionem, METONYMICAM, in qua signo tribuitur rei signatæ (quæ fidelibus verè confertur in vsu S. cœnæ) NOMEN: panis Eucharistię est corpus Christi, sic interpretamur, quemadmodum Paulus Apostolus, quum dicit: Panem esse communionem corporis Christi.

Metonymica regia via Zvuingliano-rum.

Hæc scilicet media & regia est via, qua Hypocrita noster cum suis Zvuinglianis incedit, & docet, per figuram Grammaticam Metonymiam videlicet, PANI *tribui* NOMEN *corporis Christi. Mirum sanè, si Salomon illi vniuersa sua sapientia non assurgat, & pro tanta reuelatione, & Cherubica atq; Seraphica interpretatione verborum Testamenti Christi gratias agat. Sensus enim verborum Christi (Hoc est corpus meum) secundum Hypocritæ nostri explicationem hic est: Accipite, manducate, Hoc est Panis, qui habet nomen duntaxat corporis Christi, quod nomen cum pane vobis exhibetur. Sed quis fidelium Christi sibi vnquam persuaderi patietur, Christum, in tanto mysterio & Testamento suo, figurâ Grammaticâ ludere voluisse.*

Zvuingliana interpretatio verborum Testamenti Christi.

XVI. *Quòd autem Hypocrita per parenthesin addit:* Rem signatam fidelibus verè conferri in vsu sacrę cœnæ: *præstigiæ verborum sunt adeoq; manifesta fraus & deceptio, vt simplices*

plices circumueniat. Non enim credit aut docet IN PANE, SVB *vel* CVM PANE *corpus Christi in cœna Domini exhiberi & distribui, sicut Patres locuti sunt: qui hoc solùm nomine Mysterium illud summè celebrarunt: sed intelligit hæc de cogitatione fidei, qua creditur, corpus Christi pro nobis traditum esse in mortem, per quam fidem in credentibus Christus gratiam operetur. Quod tam extra vsum, quàm in vsu huius cœnæ fieri potest &c.*

Quomodo res signata in vsu cœnæ conferatur secundũ Zvuinglianos.

Longè verò alia verborum D. Pauli sententia est &c, quum inquit: Panem esse communionem corporis Christi, quæ verba Metonymiam illam Zvuinglianam nequaquam admittunt, quasi communio corporis Christi in eo consistat, quòd Panis duntaxat nomen corporis Christi sortiatur, sed quòd CVM *illo Pane sacrato corpus Christi* VERE *adsit in Mysterio, & distribuatur. Hæc inquam verborum Pauli vera & germana est &c sententia, quæ sine Metonymia (rudi atque indocto vulgo prorsus ignota, quibus non minus, ac eruditis hoc Sacramentũ Christus instituit) ex ipsis verbis, eorũq; propria & minimè figurata significatione sumitur.*

Corporis Christi communicatio quomodo apud Paulũ accipiatur. 1. Cor. 10.

Hæc autem fraus & deceptio ex his, quæ sequuntur, Hypocritæ verbis magis elucet: Nec enim uerò, *inquit*, dubium nobis est, SOLOS fideles corporis Christi participes fieri, quando illos solos Christi insititios & mẽbra esse, ac proinde viuificari, Christo teste, audimus. *Cum autem non tantùm fideles, sed etiam multi infideles & Hypocritæ ad sacram cœnam Domini accedant, si verè crederet in vsu S. cœnæ corpus Christi cum pane distribui, vtique etiam fateri necesse esset,* NON SOLOS *fideles, sed etiam malos Hypocritas, qui pœnitentiam simulant, corp. Christi participes fieri, quod hîc apertè negat. Ex quo manifestũ est, nos Hypocritæ nostro nihil per calumniã affingere, sed verba eius ingenuè & cãdidè interpretari, dũ fraudes ipsius pio lectori mõstramus. Apertè verò contrariũ Apostolus Paulus testatur, videlicet in vsu S. cœna*

XVII.

Infideles etiã corporis Christi participes.

non solùm fideles, sed etiam indignos & impœnitentes corporis Christi participes fieri. Non ait ad viuificationem, sed ad iudicium, quos in vsu huius Sacramenti reos fieri dicit corporis & sanguinis Christi, quia NON DIIVDICENT CORPVS DOMINI. *Non ait, quia nō dijudicant hunc panē ab alio pane, sed nō dijudicant corpus Domini. Sicut suo loco de hoc plura dicentur.*

XVIII. *Quàm vanum autem sit, quòd subiungit:* Quanquam *(inquit)* autem, & de consensu Orthodoxę vetustatis verè gloriari possumus: *in solida Refutatione Cacodoxi Zvuinglianorum & Caluinianorum consensus à Theologis VVirtembergicis apertè demonstratum est. Etenim tota Orthodoxa vetustas (vt Compilatores nominant) cum ipsorum errore διὰ παντὸς & ex Diametro pugnat. Et verè affirmare possum, in toto illorum Compilatorum Cacodoxo Consensu nullam sententiam Doctrinæ & Confessioni nostræ opponi, quæ nō aut manifestè pro nobis faciat, aut per crimen falsi corruptam esse, aut cum ea pugnare videatur. Quo nomine ad ipsos Orthodoxorum Patrum codices prouocamus. Vsque adeo nullus ex Orthodoxis Patribus Zvuinglianorum errori patrocinatur.*

Orthodoxa vetustas pugnat cum erroribus Zvuinglianorum.

Testimonia Patrū in Cacodoxo Cōsensu allata.

XIX. *Accipimus autem pro confesso, quod addit Grynæus:* vt tamen fidem nostram SOLIVS EXPRESSO DEI VERBO NITI ostendamus, NON NISI EX HOC VNO sacram συζήτησιν instituere fert animus. *Quo stante, ex parte nostra certissima victoria est. Si enim fides nostra solius Dei expresso verbo nititur, vbi quæso in verbo Testamenti Christi scriptum legimus:* HOC SIGNIFICAT *corpus meum?* HOC SIGNIFICAT SANGVINEM *meum?* HOC EST FIGVRA MEI CORPORIS? *Vbi expressum Dei verbum? Hæc vestrorum somnia sunt (à spiritu reuelata, de quo Zvuinglius vester,* ATER AN ALBVS FVERIT, *non meminit) quibus*

Fides nostra solo verbo Dei niti debet.

nos

nos ab expresso Testamenti Christi verbo reuocare & auertere conamini, qui dixit: HOC EST CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS. *Ab hoc expresso verbo Christi, quia verbum Testamenti Filij Dei est, ne pilum quidem recedere, aut vllum ex his permutare, aut aliud in eius locum reponere licet. In his verbis* SIMPLEX FIDES *tuta, quieta, secura est, quæ intellectum humanum captiuum ducit in obsequium Christi.*

Ab expresso Dei verbo non recedendum.

Contrà verò Zuinglius sua opinione, quam illi spiritus per somniũ reuelauit, & confirmauit, de quo non meminit ATER AN ALBVS *fuerit, nullius hominis conscientiam aut cor quietum & pacatum reddere potest, quin perpetuò dubitet: An verum sit, quòd verborum Testamenti Christi non alia sententia sit, quàm panem* SIGNIFICARE *duntaxat corpus Christi. Quo nomine ad omnium piorum hominum iudicia prouoco, quod etiam grauissimæ tentationes docebunt.*

Zuinglianorum doctrina non potest conscientiam reddere quietam.

Nihil verò præter hypocrisin spirant, quæ in sequentibus sub specie humilitatis superbè pollicetur Hypocrita. Porrò quum necesse sit contentiosè eum tùm agere, tùm loqui, qui malę causæ patrocinium suscepit: dabo operã, vt sim memor præcepti Pauli Apostoli, quod vt in tota vita, sic etiam in defensione veritatis, pijs omnibus cordi esse debet. Quæcunque, inquit ille, sunt VERA, quæcunque VENERANDA, quęcunque iusta, quæcunquę pura, quęcunque amabilia, quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus est, hęc cogitate, Phil. 4. 8.

XX. A. 3. fac. 2.

Minimè enim vera cogitare & propugnare aduersarium nostrum, nunc partim ostendimus, partim verò in sequentibus longè apertiùs demonstrabimus. Sic nequaquam veneranda, pura, aut amabilis ipsorum est de cœna Domini opinio, sed manifesta Testamenti Christi profanatio, sicut suo loco ostendemus.

Grynæus non docet vera.

Opinio eius non veneranda.

XXI. *Quapropter impudens oratio est, quam subiungit:* Optima enim & sanctissima causa est, *inquit,* quam non dentata charta cum absentibus (quorum neminem prouocamus, parati potius benè tùm precari, tùm facere ijs, qui nobis professionis huius causa minus æqui sunt.) Sed placido & erudito colloquio coràm agere cum ijs, qui veritatis & concordiæ studiũ piè cõiunxerunt:

Causa Grynæi pessima. parati sumus. *Non.n. optimam & sanctissimam, sed pessimam causam, eamq; maximè profanã, & in Christũ blasphemã esse, in Refutatione huius Disputationis docebimus, quam hic Hypocrita*

Oratio eius sub hypocrisi dentata. *cum suis Zuinglianis defendandam suscepit. Et quam dentata charta sit huius Hypocritæ in hac ipsa Disputatione, cum eò peruentum fuerit, demonstrabimus.*

Grynæi malæ conscientiæ certum argumentum. *Pessimæ aũt conscientiæ & causæ indiciũ esse, quòd cũ absentibus agere recusat, ad quos tamen suã chartã perferri et legi optat, omnes mediocriter instituti intelligũt, sicut paulò antè ostẽdimus. Quisquis.n. de rebus sacris aliquid publicis scriptis proponit, eundẽ etiã paratũ esse oportet ad Apologiã, si petitus fuerit, vt respõdeat,*

1. Pet. 3. *& sua defendat, iuxta illud Petri: Estote* SEMPER *parati ad respondendũ* OMNI *petenti rationẽ eius spei, quæ in vobis est, cum omni lenitate & reuerẽtia. Id cũ Grynæus Hypocrita recusat, pessimam causam cum pessima conscientia coniunctam prodit.*

Quod verò de dentata charta scribit, mirum est, quòd Apostolo Paulo pepercerit, qui in exagitandis Pseudoapostolis non edentulus fuit, sed valdè dentatus. Ideoq; quod loco Disputationis, ad-

Benedictio Grynæi qualis sit. *uersarijs suis benè precari & benefacere cupit, illud eius dẽ Apostoli Pauli in ipsum Hypocritã maximè competit:* Rom. 16. 18. *Precor aũt vos fratres (inquit) vt speculemini dissidiorũ & scandalorũ authores,* PRÆTER DOCTRINAM, QVAM VOS DIDICISTIS, ET DECLINATE AB EIS. *Nam qui eiusmodi sunt, Domino*

NB. Auscultа Grynæc. *nostro Iesu Christo non* SERVIVNT, *sed suo ventri, & per* BLANDILO-

DILOQVENTIAM & BENEDICTIONEM *corda hominum minimè malorum* SEDVCVNT. *An verò his verbis Pauli Hypocrita noster non egregiè descriptus ac depictus est?*

Quis.n. negare potest dissidij & scandali autores esse Zuinglianos & Caluinianos, qui præter doctrinã (quã iuxta expressa verba Testamenti Christi magna Concordia nostri Doctores prius suis auditoribus tradiderunt) aliã doctrinã adferunt, quæ rationi humanæ consentanea est. Deinde addunt blandiloquentiã & benedictiones, quib. etiã non malorum corda seducunt. In aduersarijs aũt suis, studiũ contendendi & litigandi accusant, qui contentiosè agant, & alios damnent, quod malæ causæ euidentissimũ argumentum sit. Sed contrà Paulus non modò doctrina, sed etiã exemplo suo pugnat & hos blandiloquos Doctores nõ Christo, sed ventri seruire ait, nec amandos sed declinandos docet, quib. non benedicit, sed eos apertè damnat. Ex quorũ numero est Hymenæus & Alexander, QVOS TRADIDI SATANÆ, *vt discant nõ blasphemare. Item ad Tit. 1. Sũt.n. multi inobediẽtes, vaniloqui &* SEDVCTORES, *maximè qui de circũcisione sunt,* QVOS OPORTET REDARGVI, *qui vniuersas domus subuertũt docentes, quæ nõ oportet, turpis lucri gratia, &c. Quã ob causam* INCREPA EOS DVRE. *Hæc & similia si à nobis in illos dicuntur, contentiosè nos agere & in leges charitatis, mansuetudinis & lenitatis Christianæ grauiter peccare vociferantur. Sed exẽplo Apostoli Pauli cõfirmati, falsos doctores, maximè Coryphæos et Anteſignanos nõ clementer tractandos, sed durè increpandos & damnãdos, & populũ ex verbo Dei diligenter monendum dicimus, vt ab illis tanquam lupis & seductoribus* DECLINENT, *sicut Apostolus loquitur. Talis cum sit etiam insignis Hypocrita noster, nemo miretur, quòd minus clementer ipsius blandiloquentiam & benedictiones accipiamus. Non enim benedictiones, sed maledictiones sunt, specie ouina Lupus rapacissimus tectus, qui nulla spiritus πληροφορίᾳ confir-*

Zuuing. & Caluiniani dissidiorum authores.

Fistula dulce canit, volucrẽ dum decipit Auceps.

1. Tim. 2. Tit. 1.

Falsi Doctores duré increpandi & Satanæ tradendi.

Grynæus non leniter sed durè tractandus.

Grynæi hypocritica benedictionum causa, eiusdē mala conscientia.

confirmatus, sed morsu conscientiæ vulneratus confidenter cum hostibus & aduersarijs erroneæ ipsius opinionis congredi non audet, quam Tubingæ ante annos 20. publicè tanquam hæreticam & impiam damnauit, nunc mala conscientia propugnare infeliciter tentat.

XXII. Collatio sentētiarum, cum quibus grata & vtilis.

Eiusdem farinæ sunt, quæ sequuntur etiam ipsius verba: Delectamur enim erudita & amabili sententiarum collatione, ac sæpe nobis in mentem venit illud Platonis dictum: Μακάριοι δὲ ξυνήκοοι τῶν ἐκ τοῦ σωφρονοῦντος στόματος ἰόντων λόγων: Felices sunt, quibus datur audire sermones è sobrio ore, prudentis nimirum mentis interprete, prodeuntes.

Quidenim Platonis sapientia ad hoc Mysterium, cui stultitia sunt, quæcunque de mysterijs sacris scripta extant: Sed mirum non est, Platonis dicta allegari, cum infrà rationem humanam in rebus diuinis & cœlestibus extollat, & nos vehementer hoc nomine accuset, qui iudicium intellectus humani, sine ratione abijciamus, & in rebus spiritualibus cognoscendis tragicè exagitemus: de quo suo loco plura. Nos contrà dicimus eos BEATOS, *qui ex ore fidelium Ministrorum purum & incorruptum Dei verbum, & eiusdem minimè corrupteas & deprauatas interpretationes audiunt.*

XXIII. Preces piorum ad successum Disputationis Grynæi coniungi non possunt.

Quòd verò addit: Speramus etiam futurum, vt ij, quibus cordi est Ecclesiæ Dei ædificatio, pijs votis ad Deum pro felici successu Disputationis istius Theologicæ, nobis adsint, & vt minimè sint ἀσύμβολοι & mutæ personę in publico congressu, sed conferant suum quoque μέρος ἐπιβάλλον. *Respondemus, Quemadmodum nemo pius, cui ædificatio Ecclesiæ cordi est, hanc Disputationem probare: sic etiam preces quoque coniungere potest, quæ non ad ædi-*

ad ædificationem, sed ad destructionem piè, rectéq; constitutæ Ecclesiæ & Scholæ susceptæ & institutæ est. Quapropter nemo felicem eius euentum & successum vel optare, vel precari potest: sed eam detestari, & se illi pro virili sua simul omnes pios oponere decet: vt coram Deo & hominibus hic Hypocrita cum suis socijs & patronis confundatur. Quod nos ex parte nostra fideliter faciemus.

Disputatio Grynæi detestanda.

Non minus hypocritica & profana est apostrophe & admonitio, quam ad literatam nobilitatem, & alios Iuuenes instituit: De literata autem, *inquit*, Nobilitate, stemmatum, virtutum & ingenij laude florente: deque alijs honestissimis & egregia doctrina perpolitis Iuuenibus, qui cum Musis suis Gratias feliciter coniunxerunt, nobis pollicemur, dignam natalium splendore & ingenijs ipsorum, alacritatem, studiū veri, odium falsi, discendi doctrinam veram & necessariam, liberale desiderium & fauorem. Est enim verè ab Antisthene dictum: οὺς αὐτὸς εὐγενεῖς εἶναι, τοὺς καὶ ἐναρέτους. Itaque virtutum, ac inter has veritatis studio, generosas suas naturas, egregiè testabuntur. *Videtur quidem multis res minimè reprehendenda, quòd professione Christiani & Doctores Theologi Idolorum Ethnicorum appellationibus & seipsos, sibiq; concreditam Iuuentutem oblectent. Sed cùm Dominus per Prophetam Osee testetur, sibi etiam ea nomina displicere, quibus aliquando Deus appellatus, postea ad Idola translata sunt: Auferam, inquit, nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur amplius nominis eorum. Sic etiam Musarum & Gratiarum nomina iam pridem inter Christianos exposa esse debebant. Cum Spiritus sanctus ea conferat & efficiat, quæ Ethnici Musis & Gratijs suis ignotis adscripserunt. Quæ admonitio studiosis vehementer ne-*

XXIIII.

Apostrophe Grynæi ad literatam Iuuentutem.

Ab Idolorū Ethnicorum nominibus Christianis Doctoribus abstinendum.

ceſſaria eſt, vt ſciant, in oculis Dei abominationem eſſe, ſi quæ Spiritus ſancti dona ſunt, Muſis & Idolis tribuant, aut horũ nominibus & appellationibus honori & vero Dei cultui detrahant.

Delectus Academiarum habẽdus, ad quas liberi à parentibus mittuntur.

Deinde Nobilium & ſtudioſæ Iuuentutis parentes quoq; diligenter monendi ſunt, qui liberos ſuos ad Academias mittunt, vt prudenter agant, & inprimis pietatis ac purioris Religionis curã præcipuam habeant, ne ab ineunte ætate peruerſa aliqua & hæretica opinione imbuantur, & hypocriſi ac blandiloquentia falſorũ Doctorum ſeducantur, ne deinceps difficulter, aut nulla prorſus remedia amplius admittant. Quod inprimis propter hanc de cœna Domini controuerſiam neceſſariũ eſt, de qua tenerrimis animis

Ad Zuuinglianas & Caluinia. Scholas liberi non mittendi.

opiniones inſtillantur, quæ rationi humanæ ſunt conſentaneæ, in quibus nulla opus eſt fide, nulla peculiari gratia S. ſancti, virtute & operatione, quam in hoc Myſterio Orthodoxi Patres tantopere commendant. Si enim ex Grammatica Puer figuram didicerit,

Theologia Caluinianorũ & Zuuinglianorum.

quæ METONYMIA *dicitur, qua ſigno nomen rei ſignatæ tribuitur, totius Myſterij cœnæ Domini ratione (ſecundum huius Hypocritæ & reliquorum Zuinglianorum opinionem) planè didicit. Nec quidquam reliquum eſt, quàm vt in Lutheranos tanquam κρεοφάγους, σαρκοφάγους, Ανθρωποφάγους, Cyclopas, Tyeſtas, impanatũ Deum, inuehatur, eosq; tanquã craſſos Papiſtas proclamet, quibus non tantum ſit cerebri, vt intelligere poſſint, panem et vinum* ESSE *& permanere panem & vinum. Hæc, ita me Deus bene amet, eſt Zuinglianorũ & Caluinianorum Theologia, quam deinceps Philoſophia & lumine rationis humanæ confirmant, quæ ſit radius diuinæ ſapientiæ, homini à Deo inditus, vt eius beneficio etiã in rebus ſpiritualibus intelligendis (poſtquam homo regeneratus eſt) vtatur, minimeq; eam contemnat, aut Tragicè in illã inuehatur. Inde fit, quo quis maiore acumine ingenij præditus eſt, eò*

Ingenioſi homines cur Caluiniſmo delectentur.

etiam magis hac Zuingliana & Caluiniana opinione ſeipſum oblectet, ſibiq; placeat. Caterum

XXV. Dedicationis causa.

Cæterùm quòd nomine Illustrissimi Principis, Ducis Ioannis Casimiri Palatini, Theologicam hanc Disputationem ornare se voluisse testatur, tùm quia post Deum Opt. Maximum, Celsitudinis eius ductu & auspicijs felicissimis, in gratiam eorum, qui veritatis cognoscendæ serio ducuntur studio, in Heidelbergensi Academia, Tutelæ Celsitudinis eius hoc tempore cõmissa, illa instituta sit: tùm etiam, vt NON SOLVM GERMANICÆ GENTI: sed etiam EXTERIS populis, eundem vnà nobiscum Iesum Christum crucifixum agnoscentibus, GRATIOR ESSET EIVS LECTIO. Non enim ignorent, nec etiam diffiteantur, tàm nostri, quàm exteri fideles, quantum heroicæ pietati & virtuti eius debeat Respublica & Ecclesia Christiana: cui vt Celsitudinem ipsius, tanquam benignissimum nutritium gloria, beneficentia, præsidijs & successibus florentem, Dominus Iesus Christus, Regum Rex, diu superstitem esse velit, toto pectore orat. *Committere non potui, quin ipse quoq; aliquid Coronidis loco adderem. Sic enim de Epistola sua Dedicatoria, quasi aliâs per me mutilata nihil conqueri poterit: & grata occasio mihi oblata est, qua de periculo admonerem, in quod Caluiniani & Zuingliani Doctores, homines leuissimi, Principes & Respublicas adducunt, quorũ animos peruersa sua opinione semel occupauerint. De quo seriò cogitare poterint, & pia, ac salutaria consilia contẽnere & abijcere nõ debent. Quomodo. n. quæso pius Princeps suo Illustrissimo nomine ad hominis leuissimi Disputationẽ, eamq; in nomẽ, gloriã, maiestatẽ, personã & Testamentũ D. N. Iesu Christi blaphemam abuti patietur? Quæ non ad cognitionem & propagationem (vt Hypocrita iactitat) sed ad oppressionem veritatis Doctrinæ cœlestis instituta est.*

Admonitio de Dedicatione.

Disputatio Grynęi ad oppressionem veritatis instituta.

Quam piæ & sanctæ recordationis Dux Ludouicus Palatinus Elector, pia cura & sollicitudine instaurari curauit, & vt Principes quatuor Tutores constituti eam sartam, tectam, inuiolatamq; conseruare studeant, donec filius adoleuerit, vt paternis insistens vestigijs ipse quoque pium Ecclesiæ nutritium præstet, Testamento curauit. Qua igitur ratione, sine diminutione nominis & honoris Ducis Casimiri, sub auspicio nominis celsitudinis eius, non solùm per vniuersam Germaniã, sed etiã ab exteris populis legetur hæc Disputatio, cuius patrociniũ contra absentes Autor suscipere recusat? Quapropter quisquis gloriæ & nominis sui honori piè consulere cupit, eiusmodi Disputationum patrocinium vt suscipiat, sibi persuaderi non patiatur, nec suo illustri nomine abuti huius farinæ hominibus amplius permittat. Neq; verò vnum Grynæum tantùm hunc peruersum Doctorem nunc habet Electoralis Palatinatus: sed non minus insignem Hypocritam Tossanum habet, qui impudentia & malitia alterum longè superat. Cum enim Mompelgardensi Ecclesiæ superioribus annis aliquãdiu præesset, & apud Tutores Illustrissimi Principis Friderici Comitis VVirtembergensis & Mompelgardensis, nomine Zuinglianismi & Caluinianismi accusatus esset, eundemque summus eo tempore Præfectus eius Hypocrisi deceptus cũ Consiliarijs reliquis, diligenter apud commemoratos Principes excusasset, missis eò Legatis politicis & Ecclesiasticis viris, veritatem cognoscere voluerunt. Vocatus igitur Tossanus Mompelgardi in conspectum Commissariorum, præsente summo Præfecto VVilhelmo Krantz, viro generis nobilitate, sapientia & rerum vsu præstantissimo, & Religionis synceræ amantissimo, &c. reliquisq; eius loci Consiliarijs, vt suæ fidei & Confessionis rationem redderet: se per omnia Augustanæ Confessioni in Articulo de cœna Domini assentiri, neque aliam doctrinam amplecti intrepidè affirmabat. Cum verò vrgere-

Abusus nominis Illustrissimorum principum ad veritatem Doctrinæ cœlestis opprimẽdam.

Daniel Tossanus Aulicus concionator.

Historia de Danielis Tossani fide & Confessione.

vrgeretur, id eum non seriò dicere, sed contrariam opinionem in corde suo fouere, constanter semper negauit. Nihil autem remittentibus Theologis, qui à Principibus Curatoribus Comitis Friderici, &c. missi erant, cum subinde magis, magisq; ad ingenuam, minimeq; simulatam Confessionem edendam apud ipsum instarent, & colloquium in tertiam ferè vsque horam pomeridianam extraheretur, tandem cum magno gemitu in hæc verba erupit: Quandoquidem omninò scire vultis, quæ sit mea sententia, fateor me vobiscum minimè sentire. Cuius contrarium tamen tribus ferè integris horis Commissarijs persuadere conabatur. Qua Confessione non sine indignatione, & magna animi perturbatione audita, primarius Præfectus eum ex consilio discedere iussit. Quo absente Commissarios ac reliquos Consiliarios allocutus est his verbis: Ego omnes & singulos vos viros bonos & veraces esse minimè dubito: sed hoc ingenuè fateor, si quis mihi etiam iuramento confirmasset, Tossanum hæc dixisse, nisi ex ipsius ore proprio audiuissem, me nunquam creditурum fuisse. Cuius causa paucis deinceps interiectis diebus parens eius Petrus Tossanus nos Theologos alloquitur, & rogat, vt humaniter cum filio ipsius agamus: Ipsum enim facilè posse motum in vrbe excitare. Cui cum nos diceremus, num hanc pietatem ab ipso didicisset? Respondit Pater cum gemitu, & contractis vertebris: TALI EST INGENIO. Et vera me scribere, testes sunt adhuc viui viri boni & fide dignissimi, quod etiam ipsa Acta loquuntur. Num verò Princeps Illustrissimus eiusmodi hominibus suam, suorumq; animam, æternamq; salutem committeret? Eosq; Ecclesias & Scholas sub nominis sui autoritate perturbare permittet? De quibus nullo priuato affectu, aut carnali, & priuato odio eiusmodi scribo: sed pietatis & officij mei rationes id à me exigere nihil dubitaui, cum non modò ad perturbandas Ecclesias in Palatinatu piè & sanctè consti-

Oratio VVilhelmi Krantz de Tossano.

Confessio Petri Tossani de filio Daniele Tossano.

tutas accesserit, sed nostrarum Ecclesiarum, quæ vicinæ sunt, doctrinam & piam Concordiam cum Palatinatus Ministris, sanctæ memoriæ viuo Electore Ludouico, piè coluerunt, apud Ducem Ioannem Casimirum non modò suspectam, sed tanquam falsam, hæreticam & damnatam, planè exosam reddere studeant. Operæ pretium igitur & Celsitudini ipsius minimè ingratum officium me facturum existimaui, si hæc duo lumina, vt sibi videntur, Caluinianæ & Zuinglianæ sectæ, breuiter suis veris Elogijs ornarem, vt quales sint, si Celsitudo ipsius nondum sciat, quærere, & deinceps sibi ab illis cauere possit, ac mutationem illam Ecclesiæ & Scholæ Palatinatus periculorũ & offendiculorum plenissimam sibi persuaderi non sinat, quam hi duo per Amanum illum Celsitudini ipsius inspirant. Quo nomine Celsitudo eius mihi non irascetur, si negotij veritatem rectè cognouerit, nihil dubito. Amore enim æternæ Celsitud. ipsius, suorumq;, adeoq; totius inclyti Palatinatus salutis hunc laborem in me recepi, vt ex refutatione absurdissimæ huius Disputationis intelligere incipiant, quàm miserè ab his Hypocritis decepti sint. Qui nullum felicem successum sibi, tanquam in causa mala & deplorata promittere possunt. Quod non prius credant Lectores, quàm perspicua & solida Refutatione huius Disputationis ad oculum per gratiam Dei demonstrauero. Et hæc ad Refutationem Proœmij Disputationis huius sufficiant.

Ne autem Hypocrita Grynæus conqueri possit, ipsius Disputationis capitibus Heidelbergæ 4. Aprilis propositis, quidquam à me vel additum, vel detractum, & vt Lectori sententiarum facilior collatio esset: primùm ipsius verba, sicut Heidelbergæ impressa sunt, bona fide descripta recitabo. Deinceps singulis Capitibus ordine Refutationem breuem & solidam subiungam, & iudicio pij Lectoris totum negotium ex verbo Domini dijudicandum committam.

GRYNÆ-

GRYNÆVS.

DE Controuersia circa Rem Eucharisticam Capita quædam, ideo proposita, vt de ijs placida & erudita collatio E DIVINIS potissimum Scripturis instituatur. Titulus Disputationis Grynæi.

IACOBVS ANDREÆ.

RECTÈ ab initio monet Grynæus, Collationem potissimùm E DIVINIS SCRIPTVRIS *instituendam esse. Nam sola Scriptura sacra vnicum est fidei nostræ fundamentum, qua fides vera nititur. Quæ etiam ad sui explicationem sufficit, nec aliunde veritatis explicatio petenda est. Ex quo constat, cùm circa Doctrinam de cœna Domini in Scriptura nihil habeamus, quàm verba Testamenti Christi, & quæ de his Apostolus Paulus scripsit, ex his potissimùm veram & germanam sententiam petendam esse.* Cur è diuinis Scripturis potissimùm collatio instituenda sit.

Perperam ergo faciunt Cacodoxi Consensus Compilatores, qui non ad verba Testamenti respiciendum, sed aliud cogitandum esse docent, vt veram Sacramenti Cœnæ Domini sententiam assequamur. Item: Explicationem veritatis in scriptis Orthodoxorum Patrum inquirendam, & ex ijs petendam esse, de qua etiam nemo rectè statuere possit, nisi illorum scripta consuluerit, & perspecta habeat. Cuius contrarium Theodorus Beza primarius huius sectæ propugnator scripsit: Alij, inquit, ad ORTHODOXORVM PATRVM, *vt vocant, scripta confugiunt, sed quos tandem quæso ex tanto numero deligemus? Ego affirmo, vix posse* QVENQVAM *illorum dari,* QVI NON ET SECVM IPSE *& ab* ALIIS MVLTIS *in rebus, & ijs maximi momenti dissentiat. Item,* EX SOLO SCRIPTO VERBO *sapere nos oportet,* NEC ALIVNDE *quidem* VLLA VERBI INTER- Orthodoxi Consensus Compilatorum opinio de diiudicatione huius controuersiæ. Fol. 98.

" In Præfatione " super nouum " Testamentum. " Theodori Bezę " testimoniũ de " Patribus Ortho " doxis & illorũ " scriptis.

INTERPRETATIO PETENDA EST. *Hactenus verba Bezæ. Quæ quomodo cum Compilatorum Cacodoxi Consensus opinione consistant, quem laborem tamen summè commendauit Beza, ipsi viderint.*

GRYNÆVS.

1. Quum Sanctorum communio à nobis postulet, vt itidem simus affecti, eandem charitatē habeamus, vt vnanimes, & sententijs vni simus, nihilque geramus per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestia alios nobis præstantiores existimemus; Phil. 2. 3. 4. 5. illud initiò testamur, testatumque esse volumus, hanc, de re Eucharistica, Disputationem Theologicam, non aliam ob causam à nobis esse institutam, quàm vt ea primùm quidem Ecclesiæ ędificationi: & pię ac ingenioſæ Iuuentutis (veritatis cognoscendæ liberali studio flagrantis) institutioni: deinde verò, Dei æterni, & magni Domini nostri Iesu Christi gloriæ, seruiat. Oramus itaque eundem omnipotentem, veracem, æternum Dei filium, qui dixit: Vbi sunt duò, vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum: Matth. 18. 20. vt ille Theologicæ isti τῇ συζητήσει, velut Epistates intereſſe & prędesse, & sancto suo Spiritu Xystarcha, cogitationes, dictaque nostra omnia moderari, inque omnem veritatem nos ducere, dignetur. Pios verò omnes, quibus φιλαλήθεια καὶ φιλαδελφία, veritas & charitas fraterna cordi est, amanter & officiosè rogamus, vt pijs votis, studijsque nobis adesse: omnia, vt Sanctos decet, candidè interpretari velint: sintque memores grauissimi dicti:

2. Atteſtatio Grynæi de sua Disputatione. Causæ finales Disputationis Grynæanæ, scilicet.

3. Inuocatio numinis diuini.

4. Adhortatio ad fratres.

Quot-

Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus: quòd si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis reteget. Attamen in eo, ad quod peruenimus, eâdem incedamus regula, & itidē simus affecti, Phil. 3. v. 15. 16.

Iacobvs andreæ.

Salomon inquit: Quomodo, si Spina ingrediatur in manum temulenti: sic parabola est in ore stultorum. Idem de Præfatione huius Disputationis quoq; sentiendum est. In qua Grynæus concionatur, quid à nobis communio sanctorum postulet, videlicet vt itidem sentiamus, vnanimes & sententijs vni simus. Id si verè ex animo & corde sentit, cur à simplicitate verborum Testamenti Christi & eius simplici sententia recedit, in qua ante motum Sacramentarium certamen vnanimes nostri fuerunt? Cur nobis de ea litem mouet? Reipsa verò demonstrabimus, hanc Disputationem ipsius minimè Theologicam, sed profanam & impiam, neque ædificationi Ecclesiæ, neq; piæ Iuuentutis institutioni, neque gloriæ Christi seruire. Quapropter quòd orat, vt Christus huic Disputationi intersit & præsit iuxta promissionem suam: Vbi duo, vel tres, &c. sciat, ad ipsos & socios erroris sui, hanc promissionē nihil pertinere. Non. n. in nomine. sed in abusu nominis Christi, & non ad nominis ipsius gloriam. sed contra eius gloriam hic cœtus coactus est, vt error pernitiosus & damnatus innocenti Iuuentuti ex parte ipsius instilletur. Etsi nihilominus Christū affuisse nihil dubito, vt per synceros Doctores hic Hypocrita publicè corā vniuerso cœtu Scholastico confundatur, & posito supercilio se denuo ad eos recipiat, quibus hæ ipsius nugæ gratæ sunt. Pessimè etiam D. Pauli ad Philippenses verba suo instituto accommodat Hypocrita, quæ Apostolus non ad seductores, & in errore pertinaciter

1. Prouerb. 26.

Hypocritica simulatio studij pacis & concordiæ in Grynæo.

2. Disputatio Grynæi minimè Theologica.

3. Oratio & Inuocatio Grynæi inutilis.

4.

perseuerantes, sed ad suos γνησίους filios & discipulos syncerosi doctrina Christi scripsit, quibus Deus reuelat, si quid aliter sentiant, qui rectè monentibus & veritatem monstrantibus se non opponunt, sed iuxta eius Apostoli dictum, spiritus Prophetarum Prophetis subiecti sint. De ijs verò, qui semel atque iterum admoniti & erroris conuicti cedere nolunt, ad Titum scribit: Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem REIICE, vt qui noris EVERSVM ESSE eum, qui sit eiusmodi, & peccare, vt qui suopte iudicio sit damnatus. Nam modus etiam esse debet admonitionum apud eos, qui semper discunt, & nunquam ad intelligentiã veritatis perueniunt, vt Apostolus loquitur.

1. Cor. 12.

Tit. 3.

Modus in Disputationibus, admonitionibus & colloquijs esse debet.

2. Tim. 3.

GRYNÆVS.

II.

Propositio. 1. De sacrosancta Domini nostri Iesu Christi cœna, quum non idem omnibus, qui Euangelium profitentur, & è Babylone occidentali egressi, à Pontificiorum matæologia alieni sunt, VIDEATVR. Propositum nobis est, placidè & verè ostendere, tùm de quibus eius doctrinæ capitibus, & quatenus conueniat ijs, qui cæteroquin sententijs dissident: tum de quibus omnino non conueniat. Ita enim futurum est, vt nobis citra Andabaptismum, & præiudicia iniqua, conferre in Domino liceat: & vt candida sententiarum partis vtriusque collatio, seruiat CHARITATI declarandæ, & illustrandæ veritati, de qua præclarè pronunciauit Clemens Alexandrinus: Ἀνίκητον ἡ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δὲ καταλύεται. Inuicta est veritas, falsa autem opinio dissoluitur.

2.

3.

4.

5.

IACOBVS ANDREÆ.

Quanta πληροφία Spiritus & fiducia causæ sit in Grynæo, suo Aristotelico δοκεῖ ostendit. Non enim quæ ex verbo Domini asserimus, nobis VIDENTVR, *sed* SVNT VERA, *& ea verissima esse firmiter credimus & statuimus, iuxta Apostoli: vnicuiq; sua Mens* SATIS *faciat, hoc est, de sua sententia quisq; certus sit, minimeq; dubitet. Hoc enim verè & propriè est credere. Sed Hypocrita noster pro sua, quam Christianam prædicat, modestia, ἐποχὴν Academicam laudat, qua ita sententiam nostram asseramus, ne tamen aduersariam, eiq; contrariam opinionem contra charitatem fraternam damnemus. Siquidem contrariæ huius opinionis assertores è Babilone egressi, Euangelium quoq; profiteantur. Sed Euangelium minimè ab illis prædicari, qui manifestos errores defendunt, & secũ alios in errorẽ adducunt, Paulus ad Galat. aperiè docet: Miror, inquit, vos ita citò, deserto eo, qui vocârat vos in gratiam Christi, trasferri in* ALIVD EVANGELIVM. *Quod non est aliud, sed* NONNVLLI *vos turbant, & volunt inuertere Euangelium Christi. Quibus verbis Apostolus docet, falsos Doctores* INVERSVM EVANGELIVM *habere, quod prædicant, in cuius fide nemini salutem promittit, sed gratia Christi excidisse monet, quotquot falsis Doctoribus fidem habent.*

1. Grynæi Academica Epoche in controuersia de cœna Domini.

Rom 14.

Εποχὴ in rebus fidei non habet locum.

Εποχὴ Grynæana & Zuingliana.

Zuingliani & Caluiniani non prædicant Euangelium. Gal. 1.

Falsi Doctores nõ prædicant verum Euangelium de Christo.

Sic non omnes qui è Babylone occidentali egressi sunt, verum Euangelium, sed INVERSVM *profitentur, erroribus & hæresibus contaminatum. De quibus Apostolus: Opera carnis, inquit, manifesta sunt, quæ sunt adulterium, scortatio, &c. inter quas &* HÆRESES *numerat, & addit: Qui talia agant, Regni Dei non fore hæredes. Et Christus ipse: Væ vobis scribæ & Pharisæi Hypocritæ quoniam circumitis mare, & aridam, ve*

Non omnes sunt Euangelici, qui Papæ Idolatriæ renunciant. Gal 5.

faciatis vnum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ duplo magis, quàm vos estis. Sic rectè in Zuinglianos & Caluinistas accommodatur hæc Christi sententia: Væ vobis Zuingliani & Caluinistæ Hypocritæ, qui circumitis mare & aridam, vt ex Papista faciatis Zuinglianum vel Caluinistam: & cum factus fuerit, facitis eum filium Gehennæ duplo magis, quàm vos estis. Prius enim humanis traditionibus fascinati, claritatem & gloriam Christi non rectè perspicere potuerunt: Nunc autem à Caluinianis & Zuinglianis seducti, longè horribilius in Christum Iesum, eiusq; Maiestatem & Testamentum sanctissimum sunt blasphemi, eius omnipotentiæ & veritati derogantes, & Sacramenta profanantes, quàm in & sub Papatu vnquam fuerunt.

Dura conditio Zuuing. & Caluinistarum coram Deo.

Vehementer enim & toto cœlo errant, qui existimant, salutis portum attigisse eos, qui iugum & Tyrannidem Pontificiam excusserunt. Ioannes inquit: Antichristi multi sunt. Non vnus tantùm est Antichristus, Romanus videlicet: sed illi quoque Antichristi sunt, qui se Maiestati Christi & sacrosancto ipsius Testamento opponunt, eumq; in suis verbis mendacij & vanitatis arguunt, quia mysterium hoc suo humano intellectu capere non possunt, quod sola fides intelligit. Ideoque Lutherus seriò optauit, Zuinglium adhuc Papistam fuisse, cum contra ipsum scriberet. Sic enim maiorem spem conuersionis & salutis eius habiturum, quòd facilius in viam veritatis reduci posset. Et frustra effugium in eo quærunt, quòd in vna atque altera duntaxat parte à nobis dissentiant. Siquidem nullus hæreticorum omnes articulos fidei negauit, sed singuli vnum atque alterum duntaxat impugnarunt, in reliquis omnibus cum Catholicis consentientes, qui tamen nihilominus tanquam hæretici damnati, neq; illorum doctrina tanquam Euangelica prædicata aut recepta fuit.

1. Ioan. 4.

Zuingliani & Caluiniani etiam Antichristi.

In maiore Confessione de cœna Domini.

Effugium Caluinistarum.

Refutatio eiusdē.

Sed

Sed videamus, de quibus Doctrinæ capitibus in articulo de Cœna Domini nobiscum consentiant, & in quibus à nobis dissentiant, quod Aduersarius noster se ostensurum promittit, & ea fide præstat, qua totam causam agit. 2.

Inprimis verò ipsum admonitum volumus, ne, quam hîc prædicat, Clementis Alexandrini sententiæ obliuiscatur, videlicet, quòd veritas inuicta sit, falsa autem opinio dissoluatur. Cum enim Christus ipse sit veritas, qui hæc verba locutus est: Hoc est corpus meum, inuicti etiam perpetuò permanebunt, qui simplici sententiæ horum verborum insistentes, ne ad pilum ab illis se ad humanam glossam abduci patiuntur. 3. Veritas inuicta, falsitas dissoluetur. Doctrina Ecclesiarum nostrarum de cœna Domini inuicta.

Zuinglianorum autem falsa opinio iampridem varijs modis dissoluta est, quòd suis diuersis, imò contradictorijs interpretationibus verborum Testamenti Christi, alter alterius fundamenta euertit, sicut infrà dicetur. Nec Andabatorum more pugnabimus, aut iniquis præiudicijs quenquam grauare cupimus, sed veritati illustrandæ vnicè incumbemus. 4. Doctrina Zuinglianorum dissoluta.

Quòd verò de charitate declaranda subinde concionatur Hypocrita noster, eamq; illustrationi veritatis hîc præmittit, sciat, contra eam minimè peccari, si iuxta Apostoli admonitionem seductores DVRITER *reprehendantur, eorumq; opinio apertè & confidenter damnetur, quod huic Hypocritæ, suiq; erroris socijs minimè gratum est, qui teneras aures habent, & facilè offenduntur, scilicet, si ipsorum Errores seriò perstringantur, & seueriter damnentur.* 5. Dura reprehensio falsorum Doctorũ non pugnat cum charitate Christiana.

GRYNÆVS.

III.

Controuersia de S. Eucharistia (quę tametsi duriter Ecclesiam longo tempore exercuit: & Papistis magnæ, illiberali tamen, voluptati fuit: HOC TAMEN BONI HABET, quòd ad vindicandam sacrosanctam 1. 2. 3.

De quibus nulla sit controuersia.

Christi Iesu cœnam ab ἀρτολατρείᾳ Missę, & ad veritatem illustrandam plurimùm fecit) hactenus non est
4. de cœnæ Domini principijs externis & internis: si, inquam, ea rectè considerentur, de quibus hæc nostra διήγησις, quam subiungimus, verè & perspicuè agit.

IACOBVS ANDREÆ.

Controuersiam Sacramentariam satis longo tempore Ecclesiam Dei duriter exercuisse omnibus notum est, Sed qui eius causæ fuerint, Zuingliani ipsi viderint, quid ad illud Christi in no-
1. *uissimo die responsuri sint: Væ homini, per quem veniunt offendi-*
2. Matth. 18. *cula. Quorum iudicium eò maius & durius futurum, quòd huius controuersiæ nullum modum aut finem adhuc videamus: sed subinde lis ex lite oriatur, & in alias plures partes doctrinæ Christianæ subinde latius diffundatur. Cuius vel causam, vel culpam Aduersarij nostri* NVLLO *modo in nos deriuare possunt, qui in simplicitate fidei verborum Testamenti Christi permanemus, nec ab ea tantillum nos abduci patimur. Hanc simplicitatem dum Zuingliani perturbare nō desinunt, iudiciū suum habituri sunt, quod eos effugere, & simplicitati fidei seipsos subijcere optaremus.*

3. *Quòd autem hoc boni certamen Sacramentarium habuisse Hypocrita affirmat, quia per hoc cœna Domini ab ἀρτολατρείᾳ Missæ vindicata sit, vanissimum Hypocritæ commentum est. Nam Anno, &c. 22. priusquam hæc controuersia mota est, Lutherus contra Sophistas Pontificios, inprimis verò contra Regem Angliæ, & Asinos Thomisticos grauiter pugnauit, & obtinuit: per Pronomen (Hoc) in verbis Testamenti panem demonstrari, & Papisticam adorationem, apertis verbis, peculiari libello edito refutauit & damnauit, vt ad illustrationem veritatis infelici testi,*

Artolatria nō per certamen de cœna Domini sublata.

De captiuitate Babylonica Tom. 2. lat. fol. 227. Item contra Regē Angliæ eodem To. fol. 558. b. 559. a

testi, & pernicioso hoc certamine minimè opus fuerit. Deinde ex parte Zvuinglianorum veritas Doctrinæ de cœna Domini nequaquam illustrata, sed turpissimè & flagitiosè corrupta & depraua ta est: contrà verò à Luthero ita explicata & confirmata est, vt in alijs Doctrinæ Christianæ partibus explicandis non maiorem sibi fidem habendam apertè testatus sit, quàm in illustratione & confirmatione veræ Doctrinæ de cœna Domini contra Zvuinglianos & Sacramentarios omnes probauerit: vsque adeo de certitudine Doctrinæ suæ in hac parte nihil Heros ille insignis dubitauit, sicut infrà dicetur.

Doctrina de cœna Domini à Zvuing. non illustrata, sed corrupta.

Ad Capita verò quod attinet, in quibus hactenus consensus sit, videlicet, de externis & internis principijs (vt noster Hypocrita appellat) quoniam propria Conscientia ipsum accusat, ἐπανόρθωτιν addit: si, inquam, ea rectè considerentur. *Intelligit autem, si sensu Zvuingliano accipiantur. Quapropter accuratum examen eorum quoque suscipiemus.* 4.

GRYNÆVS.

IV.

Nam si spectes principia externa, videlicet causas efficientes & finales sacræ Eucharistiæ, controuersia nulla est inter eos, qui diligunt veritatem & pacem, nec quod dici solet, in scirpo nodum quærunt.

IACOBVS ANDREÆ.

Quemadmodum Zvuingliani & Caluiniani Doctores neque pacem, neque veritatem diligunt: sed mendacium sequuntur, & vbique locorum, quòcunque perueniunt, turbas dant: sic etiam de causa efficiente, hoc est, de persona D. N. Iesu Christi nulla quidem disceptatio est, quòd cœnam Dominicam instituerit, sed de ipsa

de ipsa persona summa inter nos & illos controuersia est, in cuius vera agnitione vita & salus nostra consistat, sicut scriptum est: Hæc est vita æterna, vt te Patrem cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: ad quam controuersiam hanc de cœna Domini deuolutam iri tandem Lutherus ante annos quinquaginta prædixit. Sed vt singula suo loco tractentur, quomodo consensum de causa efficiente Hypocrita explicet, videamus.

GRYNÆVS.

V.

De efficiente causa quatenus conueniat.

De cœnæ Dominicæ causa efficiente PRINCIPE, hoc est, de eius auctore, conuenit alioquin dissidentibus de hisce aphorismis omnibus.

I. Cœna Domini instituta est à Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo.

II. Qui etiam verè adest & præest legitimæ dispensationi verbi sui & Sacramentorum.

III. Verba institutionis vera & immota sunt: summaque τῇ πληροφορίᾳ, hoc est, certitudine, amplectenda sunt.

IV. Iesus Christus est omnipotens, & ipsa adeò omnipotentia: nam si λόγον respicias, est Iehouah, natura Deus: æternus, immensus.

V. Omnia, quęcunque & cœnam instituens, & aliâs quoque nobis pollicitus est Dominus noster Iesus Christus, ea sanctissimè præstat.

IACOBVS ANDREÆ.

Vanitas Gryn. 1. 2. *Sicut de eo nulla controuersia est, quòd Christus & non alius auctor sit Eucharistiæ, à quo Cœna Dominica instituta est: Sic*

AN VE-

AN VERE *adsit. Item, quomodo verba institutionis vera & immota sint, & summa πληροφορία, hoc est, certitudine amplectenda sint. Item: Christus quomodo omnipotens esse dicatur, & ea sanctissimè præstet, quæ in Eucharistia promiserit, inter nos & Zvuinglianos atq; Caluinianos acerrimum certamen est.* 3. 4. 5.

Nam quod ad præsentiam Christi in cœna Dominica attinet, cum Christus ex duabus naturis, diuina & humana constet, quarum neutra Christus est, sed quemadmodum Athanasius in suo Symbolo loquitur: Sicut caro & anima rationalis est vnus homo: sic Deus & homo vnus est Christus: Ita etiam cum de præsentia Christi in S. cœna quæritur, aut disseritur, non de sola diuina Natura, quæ non est totus Christus: sed etiam de humana Natura & maximè de corporis & sanguinis eius præsentia sermo est: An secundum verba Testamenti Christi: HOC EST CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS, *&c. verè adsint. Tum enim verè Christus adesse dicitur, quando non solùm secundum Diuinitatem, verùm etiam secundum Humanitatem suam adesse creditur: cùm non sint duo, alter Deus, alter homo: sed* VNVS, *idemque Christus in vna indiuisa & inseparabili persona Deus & homo.* Certamen de præsentia Christi in S. cœna.

In hac Controuersia Lutherani, quos sic vocant, cuius nominis tamen nos minimè pudet, cùm eius Doctrinæ nos non pudeat, affirmatiuam tenent, & firmiter credunt ac confitentur, quòd TOTVS CHRISTVS, *Deus & homo, in sacra sua cœna, suo vero corpore & sanguine* REALITER *adsit, & omnibus vescentibus in S. cœna, in Mysterio distribuatur, dignis ad vitam, indignis ad iudicium.* Confessio Lutheranorum de præsentia Christi in S. cœna.

Zvuingliani verò & Caluiniani negatiuam defendere conantur, videlicet, Christum quidem Diuinitate adesse, sed sua humanitate à pane & vino cœnæ abesse, quantum summum cæ- Zvuinglianorum & Caluinianorum confessio.

lum ab infima terra distat. Qualis igitur consensus inter nos & aduersarios nostros sit de vera præsentia Christi in dispensatione Sacramentorum, quem hoc loco Hypocrita tantoperè prædicat, ipse viderit.

3. Zuingliani verba Christi tanquam immota & vera nō amplectuntur.

Vtinam verò tanta πληροφορίᾳ & certitudine verba institutionis vera & immota amplecterentur Aduersarij nostri, quanta hoc loco à Grynæo prædicatur. Sic enim omnis controuersia de Cœna Domini sublata esset. Nam, vt Damascenus inquit, de hoc Mysterio nihil aliud habemus, quàm quòd verbum Christi est verum, omnipotens, & efficax, modus autem inscrutabilis. Quibus quisquis simpliciter crediderit, nemini luem mouebit, & seipsum ab infinitis absurdis, minimeque necessarijs quæstionibus liberabit, quibus superba & curiosa ingenia se inuoluunt, quæ mysterium hoc humano intellectu comprehendere, non sola fide intelligere volunt.

4. Blasphema doctrina Caluinistarum de omnipotentia Christi.

Sic IESVM CHRISTVM *omnipotentem esse, nobiscum ore quidem fatentur: quando autem ad explicationem omnipotentiæ peruentum est, idem, quod hoc loco Hypocrita noster, respondent: Non solùm omnipotentem, sed ipsam omnipotentiam esse, videlicet si λόγον respicias, qui est Iehouah, naturâ Deus, æternus, immensus. Si verò vlterius quæratur: Cum* CHRISTVS *non solùm sit Deus, verùm etiam homo: An humanitas in vnitatem personæ Filij Dei assumpta, etiam realiter facta sit particeps omnipotentiæ, atque hac participatione omnipotens facta? Ibi aut altum est silentium, vt suam Nestorianam impietatem, quibus possunt rationibus & phrasibus ambiguis & flexiloquis tegant: aut blasphemo ore euomunt: quòd humana Natura assumpta in vnitatem personæ Filij Dei, omnipotentiæ Dei in omnem æternitatem neque*

Nullus consensus de omnipotentia Christi.

capax,

capax, neque particeps facta sit, aut fieri possit: habeat autem creatam potestatem, mediam inter potentiam Dei & Angelorum, ac reliquorum beatorum hominum. Hic scilicet etiam consensus est de omnipotentia Christi, quem hoc loco Hypocrita apud imperitos vafrè & astutè prædicat, ne vlterius in ipsorum impiam, blasphemam & Nestorianam opinionem de persona Christi inquiratur.

Accedit ad hanc blasphemiam alia quoque non minus horrenda, quæ ex illa nascitur, videlicet, quòd dicere non verentur: Christum non plura promisisse, quàm præstare possit. Cùm autem nulla vi diuina fieri possit, vt vnum & idem numero corpus sit simul & semel in pluribus diuersis locis præsens: ideo Christum quoque sui corporis Realem præsentiam in terris in Eucharistia non promisisse. Quapropter in verbis Testamenti Christi vocabulum EST, *(iuxta reuelationem Zuinglio à Spiritu* (ATRO) *factam in somno) per* SIGNIFICAT *interpretandum esse.*

Blasphemia contra potentiam Christi.

Petrus Martyr.

Ex quibus omnibus constat de causa efficiente, hoc est, de autore cœnæ Dominicæ adeo nullum inter nos & Aduersarios nostros consensum esse, vt si maximè hæc de Eucharistia mota controuersia componeretur, nulla tamen Concordia in æternum cum Zuinglianis & Caluinianis bona & illæsa conscientia & inuiolata veritate & gloria Christi, iniri posset; nisi horrendas suas blasphemias, quas ore & scriptis in Christi personam euomuerunt, agnoscant, reuocent, & Christo saluatori nostro suum honorem restituant. Nam Christo autori suam potentiam & Maiestatem derogant, personam diuidunt, & separatione Naturarum facta, aperti Nestoriani sunt.

GRYNÆVS.

VI.

De cauſis famulãtibus, quatenus conueniat.

De eiuſdem myſticæ cœnæ cauſis famulantibus, hi quoque aphoriſmi extra controuerſiam, inter eos, qui non ſunt planè contentioſi, habentur.

I. Miniſtri Verbi legitimè vocati, dum ſuo munere in Verbi & Sacramentorum liturgia & diſpenſatione funguntur, Dei cooperarij, ſeu adminiſtri ſunt. 1. Cor. 3. 9.

II. Eos itaque ſolos præconio Verbi Dei & Sacramentorum liturgia in Eccleſia defungi oportet: quum ſint diſpenſatores myſteriorum Dei, & Miniſtri Chriſti. 1. Cor. 4. 11. Matth. 28. 19.

III. Fidis hiſce D. noſtri Ieſu Chriſti Miniſtris, quando λειτουργοῦντες, ſuas in Eccleſia partes decenter & ordine obeunt, non diſcedendum eſt, vel latum vnguem, à Domini Ieſu præcepto & exemplo. 1. Corin. 11. 23.

IIII. Sunt autem illi Miniſtri ſpiritus viuificantis, non occidentis literę, 2. Cor. 3. 6. Meminerint autem pij, Miniſterio externo eius cohoneſtandi ergò, phraſi Sacramentali effectum Miniſterij interni hoc Pauli dicto, alijsque ſimilibus, tribui.

IACOBVS ANDREÆ.

Etſi quæ in tribus Aphoriſmis hîc ponit Grynæus, per ſe vera ſunt: tamen aliquid eum ſub his occultare, vel hoc indicio ſe prodit, quod in Theſi ſexta ponit: hos aphoriſmos extra controuerſiam INTER EOS, QVI NON *planè contentioſi ſint, haberi. Nam de ordinario Miniſterio omnia verè & rectè dicuntur. In ca-*

In casu autem necessitatis, quando Ministri Ecclesiæ absunt, vel haberi non possunt, sicut concionari illis, quibus ordinariè Ministerium in Ecclesia non est commendatum, non modò licitum, sed etiam præceptum est: ita etiam Sacramenta administrare posse, nihil dubitamus. Sic tempore necessitatis absentibus viris, licitū est mulieribus infantes baptizare, quod minimè licere Caluiniani cum Zvuinglianis opinantur. Sicut enim in cœna Domini nihil aliud, quàm panem & vinum (quæ nomina corporis & sanguinis Christi sortita, eadem duntaxat significent & repræsentent) manu ministri dispensari docent: Sic Baptismum quoque regenerationem duntaxat significare, obsignare & confirmare, non autem conferre falsò putant, & peruersè docent. Ideoque parùm referre arbitrantur in eiusmodi casu necessitatis, siue infans baptizetur, siue sine Baptismo decedat. Cum autem populus noui Testamenti non sit adcertum tempus alligatus, sicut Israelitarum circumcisioni octauus dies destinatus fuit: & promissio extet: Qui crediderit & Baptizatus fuerit saluus erit: piè & rectè faciunt fideles Parentes, quòd Baptismum recens natorum non differunt, & periculo mortis præsente baptizant, ne sine Baptismo decedant. Quo testificantur, quanti faciant fœdus Domini nostri Iesu Christi, quod nobiscum & cum liberis nostris iniuit.

Error Zvuinglianorum de Baptismo.

Rectè fit, quòd infantes citò, postquam nati sunt, baptizantur.

Fœdus Domini per Baptismū nobiscum initum.

Quid verò & quàm magnificè Hypocrita noster de Sacramentis credat & sentiat, quarto Aphorismo huius sextæ Theseos haud obscurè indicat. Cùm enim mentionem faceret Spiritus viuificantis, & literæ occidentis, addit: Meminerint autem pij, Ministerio externo EIVS COHONESTANDI ERGO, phrasi Sacramentali, effectum Ministerij interni hoc Pauli dicto, alijsque similibus, tribui. *Quibus verbis manifestum errorem suum prodit, qui ex ignorantia veræ & germanæ sententiæ verborum D. Pauli natus est, quæ*

Quàm magnificè Grynæus de Sacramentis sentiat.

Deprauatio sentẽtiæ verborũ Pauli de Spiritu & litera.

2. Cor. 3.

ad Corinthios extant: Litera occidit: Spiritus autem viuificat. Nam per literam intelligit Hypocrita noster Rs externas, Ceremonias & Elementa externi Ministerij, sicut infrà Thesi vigesima prima apertè scribit: quod à mente & sententia verborum Pauli alieniſsimum eſt. Etenim Paulus per vocabulum (LITERA) intelligit Legem seu Decalogum,

Litera quid apud Paulũ significet.

Lex cur litera dicatur.

quem ideo literam vocat, quòd fuerit literis descripta, in tabulis lapideis. Et nisi alia doctrina accedat, manet Litera, hoc eſt, non reddit homines coram Deo meliores, sed deteriores, & occidit. Vbi enim non eſt Lex, ibi quoque non eſt transgreſsio. Et concupiſcentiam, (inquit Paulus) neſciebam, niſi Lex diceret, non concupiſces. Sed peccatum occaſione accepta,

Rom. 7.

Quomodo Lex sine Euangelio homines coram Deo deteriores faciat.

genuit in me omnem concupiſcentiam PER ILLVD MANDATVM. *Nam abſque lege, peccatum eſt mortuum. Ego enim viuus eram ſine Lege quondam. Mandati autem illius aduentu peccatum reuixit. At ego mortuus ſum, & repertum eſt illud mandatum, quod (inſtitutum) erat ad vitam, mihi cedere ad mortem. His verbis ſui ipſius optimus interpres eſt Paulus Apoſtolus, ex quibus manifeſtum eſt, quòd per* LITERAM *intelligat Legem: quæ neminem viuificat, ſed occidit: quæ non tollit, ſed auget peccatum: non occidit, ſed excitat quaſi à mortuis peccatum, vt reuiuiſcat. Quò enim magis peccatum prohibet, eò plus naturæ cupiditas aduerſus Deum & Legem eius excitatur, iuxta illud vulgare: Nitimur in vetitum ſemper, cupimus q́ negata.*

Hæc cum non modò ignoraret, ſed etiam turpiſsimè contemneret Hypocrita noſter, vt qui à Luthero horum verborum Diui Pauli optimo interprete nihil diſcere, ſed ſi viueret, eum docere cuperet, quemadmodum etiam inflato Spiritu ad Academiam noſtram acceſsit, non vt à Profeſſoribus Theologis, tan-

gis, tanquam à Præceptoribus aliquid disceret, sed VT SVA STVDIA CONFIRMARET, *sicut semper loqui solebat; factum est, vt in eum errorem delaberetur: quo per literam externas Ceremonias intellexit, phantasmata Origenis secutus, qui ad hunc modum in sacris literis lusit.* Error Grynæi de Litera.

Horribilis verò error sub his verbis Ecclesiæ Dei per Hypocritam propinatur, quòd ait: Ministerio externo EIVS COHONESTANDI ERGO, PHRASI SACRAMENTALI EFFECTVM ministerij interni, hoc Pauli dicto tribui. *Nam sicut infrà audiemus, Phrases Sacramentales secundum opinionem Zuinglij per* SIGNIFICAT *intelligendæ & accipiendæ sunt, videlicet per Metonymiam, qua signa rerum signatarum nomina & appellationes duntaxat sortiuntur. Qua ratione Euangelium prædicatum, quod sonat in auribus auditorum, non* ERIT *potentia Dei ad salutem omni credenti, sed iuxta opinionem Hypocritæ nostri, significabit tantùm potentiam Dei, cuius* COHONESTANDI TANTVM ERGO *hæc potentia ei tribuitur, non autem reuera sit.* Sacramẽtales phrases quomodo à Zuinglianis intelligantur.

Hinc vides, Christiane Lector, quò tandem Diabolus hos Hypocritas perducat. Simulant hi Doctores, se Schwenckfeldij doctrinam minimè probare: sed quid is quæso aliud egit, quàm vt ad hunc modum Ministerium verbi & Sacramentorum euacuaret? eiq; omnem VIM *diuinam, quam ex ordinatione & institutione Christi habet, detraheret? eamq; soli Spiritui sancto ita tribuit, vt qui per egena illa Elementa diuinas & spirituales Res in Electis suis non operetur, sed relinquat hominibus externa administranda & exhibenda: ipse verò seipso diuina & spiritualia operetur. Quid quæso aliud Hypoc. noster scribit? de quo infrà in*

Thesi

Thesis 21. refutatione plura dicemus. Nunc admonuisse sufficiat, quàm turpiter manifesta verba Pauli deprauet, eorumq; verum & genuinum sensum peruertat, vt ad suum errorem aliquo modo detorquere possit.

Præterea & hoc valdè ineptum est, quòd Spiritus sancti virtutem, & quæ per Sacramenta operatur, MINISTERIVM *interius, superbus Hypocrita appellat. Dominus enim & non minister est Christus cum Spiritu sancto, qui non ministrat nunc, sed per nostrum Ministerium potenter operatur, quod in verbo promisit. Sed fortassis nouitate sermonis Lectorem oblectari, & opinionem de tanti viri eruditione* CONFIRMARI *sperauit, sicut ipse quandoque studia sua confirmauit.*

GRYNÆVS.

VII.

De finibus, quatenus conueniat.

Iam verò, si de finibus sacrę Eucharistiæ cogites, neutri eorum, quibus Dominus nondum dedit τὸ αὐτὸ φρονεῖν, seu idipsum per omnia sapere, de hisce capitibus, litigant.

I. Cœnà Domini est efficax Sacramentum nostræ cum Christo Iesu consociationis. 1. Cor. 10. 16.

II. Homo internus spiritualem alimoniam in S. cœna percipit: quandoquidem in ea cibus non ventris, sed mentis, fidelibus exhibetur.

III. Mors Domini nostri Iesu Christi per fidem, cœnâ hac vtentibus, est annuncianda, Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 25. 26.

IV. Vnus panis & vnum corpus multi sumus: nam omnes vnius panis simus participes, 1. Cor. 10. 17. Ideo diligendi sunt nobis ὁμοσπόνδοι καὶ ὁμοτράπεζοι, id est, Mensæ eiusdem consortes fratres.

V. Tàm

V. Tàm Verbum & Sacramenta foris, quàm Spitus sanctus intus testantur, nos iam per fidem incedere, & non per aspectum. 2. Cor. 5. vers. 7. inhabitare Christum per fidem in cordibus nostris, Ephes. 3. v. 17.

Iacobvs andreæ.

Tanta est audacia & impudentia Hypocritæ nostri operculo simulatæ industriæ & humilitatis tecta, vt persuasum habeat, neminem de veritate sermonis ipsius dubitaturum: sed quæcunq; dixerit, aut scripserit, omnes statim credituros, cum res longè aliter se habeat. Nam quod temerè & contra conscientiam affirmat, neutros de Aphorismis litigare, quos septimæ Thesi subiunxit, de tribus potissimum contrarium res ipsa loquitur.

Et enim quod ad primum aphorismum attinet, cœnam Domini esse efficax Sacramentum nostræ cum Christo consociationis, quis Sacramentariæ controuersiæ tàm ignarus est, vt nesciat, de hac ipsa efficacia Sacramenti & consociatione litigari? Nam etsi in eo conuenit, quòd cœna Domini sit Sacramentum nostræ cum Christo consociationis: In eo tamen non conuenit, qualis sit illa consociatio. Maximè verò de germana sententia verborum D. Pauli 1. Cor. 10. controuertitur: Panis quem frangimus, nonnè communicatio corporis Christi est? Quæ verba Zuingliani longè aliter, quàm nostri, intelligunt & interpretantur, qui nullam aliam Consociationem norunt, aut nouisse volunt, quàm illam, quòd Filius Dei factus sit homo, & nostram humanã Naturam in vnitatem suæ Personæ assumpserit. Carnem autem & sanguinem suum in Mysterio per Sacramentum Realiter nobis, CVM, IN, *vel* SVB *pane communicari, & supernaturali ac cœlesti modo nos cum illo consociari, pertinaciter negant: sicut*

Pag. 1. 2. cap. 1. & 6. *Compilatores cacodoxi consensus quoque contra Consensum Orthodoxorum Patrum acriter contendunt. Nam post incarnationem nullam carnis Christi cum carne nostra realem consociationem nouerunt, quæ Sacramenti propria est: sed duntaxat spiritualem illam per fidem, quam sola communicatione beneficiorum Christi definiunt, quæ nobis sua carne & sanguine per passionem & mortem suam meruerit. Longè verò aliter ex sententia verborum Christi & Apostoli eius de mystica illa consociatione in vsu huius cœlestis mysterij locuti sunt Orthodoxi Patres, quod & nos sentimus & credimus, de quo suo loco plura dicemus.*

2. Caro Christi quomodo esca mentis non ventris sit.

Sic consensus quidem, si verba spectes, quoque in hoc est, quòd dicit: Hominem internã spiritualem alimoniam percipere, quandoquidem in ea cibus non ventris, sed mentis fidelibus exhibeatur. Sed quod ad sententiam attinet, plurimùm à nobis dissentiunt. Nam si de spirituali alimonia quæras, sibijpsis non constant. Aliâs enim dicunt panem & vinum esse illam alimoniam spiritualem, quia sortiantur nomen & appellationem corporis & sanguinis Christi, quæ repræsentent: Aliâs dicunt esse corpus & sanguinem Christi, quatenus pro nobis in mortem tradita sunt, adeoque omnia ipsius merita: Aliâs gratiam Spiritus sancti, quam in fidelibus in vsu huius S. cœnæ operetur. Esse autem ipsum Christi corpus in pane, cœlesti & supernaturali modo præsens, quod nos spiritualem alimoniam appellamus & intelligimus, hoc neq; credunt, neq; docent, sed pertinaciter oppugnant. Ideoq; etiam nec percipi docent. Quod enim non adest, id quoq; non percipitur: siquidem præsentia accipimus, absentia autem expectamus, & de illis cogitamus, donec præsentia fiant.

Et longè alio sensu quoq; Orthodoxi Patres, quos semper in ore habent aduersarij nostri, spiritualem illam alimoniam mentis, non ventris cibum appellant, quam Zuingliani & Caluiniani intelligunt & interpretantur. Sicut enim non solùm mens,

sed

sed etiam venter, hoc est, vniuersum corpus, adeoque non altera tantùm pars hominis, sed totus homo redemptus est corpore & sanguine Christi, Filij Dei: sic etiam corpus & sanguis eius totius hominis Animæ & corporis, spiritualis alimonia est, vnde corporibus nostris, quæ Eucharistiam in fide accipiunt, læta expectatio & spes resurrectionis nostri corporis confirmatur, sicut Irenæus præclarè concionatur. Inde verò nequaquam sequitur, quòd instar alterius cibi in ventrem traijciatur, digeratur, & in vniuersum corpus dispensetur. Hæc enim in mysterio fiunt, de quibus nihil carnale imaginandum est: sicut Orthodoxi Patres sæpè monent, de quo pius Lector plura in Refutatione Cacodoxi Consensus videre potest, pag. 136. 386. 388.

Corpus & sanguis Christi quomodo nõ solùm mentis, sed totius hominis spiritualis cibus sit.

Caro Christi quomodo non sit ventris cibus.

Sic quoque quod ad sententiam & explicationem verborum Pauli: Vnus panis & vnum corpus multi sumus: non vna & eadem, sed longè diuersissima est interpretatio & intelligentia. Zuingliani enim de spirituali vnitate & coniunctione intelligunt, quæ duntaxat fit per fidem in participatione beneficiorum Christi, sine reali præsentia corporis & sanguinis Christi, & quæ solos fideles comprehendat: Nos contrà de externo cœtu & societate intelligimus, & sic etiam de illis, qui non sunt vera & viua membra Christi, sicut contextus verborum Pauli apertè confirmat, maximè sequentia verba, cum addit: Nam OMNES VNIVS PANIS PARTICIPES SVMVS, *inter quos sanè multi sunt indigni, mali, & non verè pœnitentes, qui non minus mysteriorum Dei participes fiunt, quàm verè fideles, sed ad iudicium. De quo in Refutatione Cacodoxi Consensus plura: pag. 107. 160. 175. 303. 569. 570. 658. 660.*

Vnus panis, & vnũ corp. multi, quomodo intelligendum.

Quintus aphorismus etiam apertũ errorẽ continet, quo Hypocrita verbũ & Sacramẽta sine S. definit: quasi verbũ & Sacram. nihil aliud sint, quàm Res externæ sine spiritu. Contrà verò nos cũ Ecclesia Dei vera docemus, Sacramenta nõ solùm externis signis,

Error de Sacramẽtis sine Spiritu.

Baptismus duobus constat.

sed etiam internis & spiritualibus rebus constare. Sic Baptismi aqua sine Spiritu sancto non est Baptismus: sed aqua cum spiritu, sicut scriptum est:

Ioan 3.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.

Eucharistia duabus rebus constat.

Similiter panis & vinum Eucharistiæ sine corpore & sanguine Christi, non sunt Sacramenta. Quapropter nisi errorem suum prodere voluisset Hypocrita, loco vocabuli (Sacramenta) signa externa dicere debuisset, quæ sunt pars Sacramentorum, non ipsa integra Sacramenta.

Pag. 158, 169.

De quo plura in Refutatione Cacodoxi Consensus Lector videre potest.

Christus Totus nobis adest in Sacramentis.

Etsi verò nunc per fidem incedimus, non tamen simpliciter à Christo abſumus, aut ille abest à nobis, vt in Sacramentis tantùm corporis & sanguinis illius typus & figura nobis offeratur. Fides enim externâ formâ panis & vini opertum Christi corpus & sanguinem verè præsentem intuetur: vt Augustinus loquitur. Sic per fidem in nostris cordibus habitat Christus totus, Deus & Homo, non figuratiuè, Symbolicè, sed Realiter & verè.

Zvuingliani dimidium Christum in Sacramentis præsentem docent.

Quod Zvuingliani minimè credunt, sed de spiritu Christi duntaxat intelligunt & interpretantur.

Causa huius Erroris.

Cum de corpore Christi non aliter cogitare possint, quàm de alterius hominis corpore, & sicut in suo cacodoxo consensu loquuntur: Non aliter quàm veritas corporis iubet.

Fol. 4. a.

Quibus cogitationibus ipsos Capernaitas superant, sicut infrà dicetur.

GRYNÆVS.

VIII.

Porrò si pia mens considerabit sacrosanctæ istius cœnæ principia interna, animaduertet, ne quidem de hisce δὶς διὰ πασῶν, id est bis per omnia differre aduersarias alioquin sententias, sed de nonnullis capitibus conuenire dissidentibus: ijs, inquam, qui lugent contri-

contritionem Ioſephi, & Eccleſię paci conſultum eſſe cupiunt.

Iacobvs andreæ.

Διὰ δὶς διὰ πασῶν, *hoc eſt, bis per omnia Zuinglianorum & Lutheranorum hac de re ſententias differre in explicatione & Refutatione ſequentis Theſis docebimus. Fruſtrà autem tacitè cordatis & ſyncteris Eccleſiæ Doctoribus, qui ſe erroribus Zuinglianorum opponunt, obijcit Hypocrita, quaſi contritionem Ioſephi non lugeant. Imò ex animo nobis dolet, non minus quòd illorum cum vera Eccleſia conſenſus per errores Zuinglianorum perturbatur, quàm quòd diriſsiſsimas perſecutiones Papiſtarum ſuſtinent. Cum ab illis plus periculi, æternæ videlicet ſalutis, eis impendeat, dum errorem fugientes, in contrarios & non minus pernicioſos & blaſphemos incurrunt, quo nomine illorum Animabus parum conſultum eſt, ſicut ſuprà monuimus.*

Diſſenſio Zuuing. & Lutheranorum.

Dolor ſuper contritione Ioſephi.

Grynæus.

IX.

Enimuerò ſi Materialem cauſam ſpectes, Euchariſtiam duabus rebus, Terrena & cœleſti conſtare, Irenęo Martyri ſubſcribentes, vtrique confitentur. Ac illam quidem αἰσθητὴν, ſenſibilem: hanc verò νοητὴν, intelligibilem, quæ per fidem intelligatur, rectè omnes cenſent. Res enim terrenę, panis, inquam, & vinum Domini, etiam externis ſenſibus & organis dignoſcuntur & diſcernuntur: Cœleſtes autem, videlicet corpus & ſanguis Chriſti per fidem tùm intelliguntur, tùm percipiuntur. Nec enim de iſtarum rerum participatione, quicquam conſtare poſſet, niſi fide intelligeremus, non panis & vini ſolùm, ſed etiam cor-

De correlatiuis quatenus conueniat.

am corporis & sanguinis Christi, nos in mystico hoc Epulo magis, magisque participes fieri.

IACOBVS ANDREÆ.

Dissensio de partibus substantialibus cœnæ Dominicæ.

Hîc malitiáne, an verò impudentia Hypocritæ magis accusanda sit, dubito. Nam quod ad partes substantiales Eucharistiæ attinet, quas ille Materiales appellat, ei minimè ignotum est: Zuinglianos ratione Materiæ de re cœlesti, seu corpore & sanguine Christi, quod nusquam in terris, sed SOLVM IN COELO SIT: *In terris verò, vbicunque cœna Domini celebratur, nihil præter panem & vinum statuere, cum Relatione ad corpus & sanguinem Christi. Quæ Relatio consistat in eo, quòd panis & vinum duntaxat nomen & appellationem corporis & sanguinis Christi sortiantur, eaque significent atque repræsentent. Nec quidquam me fingere hac in parte, ipsorum scilicet Orthodoxus Consensus confirmat, in quo millies hæc opinio peruersa, quasi vera de Eucharistia doctrina, inculcatur. Quanta igitur impudentia est, quòd Hypocrita tam audacter asserere audet, de Materiali causa Eucharistiæ inter partes litigantes consensum esse? Si enim rei cœlestis veram præsentiam crederent, omnis controuersia de cœna Domini sublata esset, quod minimè faciunt, de quo in Refutatione Cacodoxi consensus pag. 24. 58.*

Vide in Refutatione cacodoxi consensus pag. 24. 58.

Quid per Res sensibiles Patres intellexerint.

Deinde malitia & astutia in eo quoq; conspicitur, quòd phrasim loquendi, qua primitiuæ Ecclesiæ Patres vsi sunt, longè aliter accipiat, quàm illorum mens fuerit. Recte.n. illi dixerunt: Rem terrenam sensibilem: cœlestem autem intelligibilem esse: Item per fidem intelligi & percipi: sed non eo sensu, quo Hypocrita accipit. Illi.n. hoc dicere voluerũt, quomodo corpus Christi sit IN PANE. *Item: quòd* EXTERIVS *panis,* INTERIVS *corpus Christi sit: hoc non ratione humana, aut sensibus percipi posse: sed per solam fidẽ intelligi, quæ verbis Testamẽti credit, idq; S. S. virtutem* POTENTIALITER *operari in hoc Mysterio, quod*

Vide in Refutatione cacodoxi consensus.

omnem

omnem humani ingenij captum excedat. Hypocrita autem noster cum suis Zvuinglianis per Rem intelligibilem, non corpus & sanguinem Christi, sed nihil aliud, quàm Relationem iam commemoratã panis & vini ad significationẽ & repræsentationẽ corporis & sanguinis Christi intelligit, sicut paulò pòst apertis verbis declarabit. Quapropter malitiosa fraus & deceptio est, dum nobiscum & cum antiquis Doctoribus loquitur, & nouos errores sub illorum verbis occultat, res in Theologo detestanda.

Sic, quæ sequuntur verba, cui malitia huius Hypocritæ ignota est, quis fraudem & errorem subesse cogitare posset? Neq; n. nobis de istarum rerum participatione quidquam constare posset, nisi fide intelligeremus, non panis & vini SOLVM, *sed etiam corporis & sanguinis Christi nos in mystico hoc Epulo magis magisq; participes fieri. Syncerus igitur Theologus, si à syncero & candido Theologo hæc scripta essent, sic acciperet, sicut verba sonant, videlicet, quotquot panem & vinum Eucharistiæ accipiunt, eosdem etiam accipere corpus & sanguinẽ Christi, propter quæ hoc mysticum Epulum appellatur, quòd cum pane & vino corpus & sanguis Christi in mysterio distribuãtur & accipiantur. Verùm nihil minus his verbis vult aut credit Hypocrita noster, sed planè contrarium, videlicet, neq;* IN PANE, *neq;* SVB, *vel* CVM *pane corpus & sanguinem Christi adesse. Quisquis enim hoc credat, eum tot Idola fabricare dicit, quotquot panis in Mensa Domini positi sunt: Sed duntaxat panem & vinum esse docet, quibus dum vescitur cõmunicans, sibi in memoriam reuocat, corpus Christi pro nobis in mortem traditũ, & sanguinem eius pro peccatis nostris effusum esse. Et hoc modo hunc panem & vinum confirmare fidem sumentis, per quam beneficiorum Christi particeps fiat: nequaquam verò corpus Christi adesse, aut manibus Ministri dispensari, & ore vescentium sumi, sicut paulò pòst apertissimis verbis dicet.*

Mysticum Epulum cur cœna Domini dicta.

Falsa opinio Zvuinglianorum de Eucharistia.

Quo-

Quomodo autem in sententia Irenæi de substantia & definitione Eucharistiæ ludant Zuingliani & Caluiniani ex Refu-
Pag. 164. 172. 177. 186, 207. 431, 562. *tatione Cacodoxi ipsorum Consensus pio Lectori petere licebit, vbi hæc copiosè explicata, & illorum manifesta fraus & deceptio apertè demonstrata est.*

Cum enim negare non possint de sententia Orthodoxorum Patrum, DVO *ad integritatem Sacramenti requiri, videlicet* REM *terrenam &* REM *cœlestem, tanquam partes ad integram Sacramenti* RATIONEM *pertinentes: illud tamen ad finem Sacramenti duntaxat referunt, nullam autem* REALEM *coniunctionem harum rerum credunt, aut docent: sed relationem tantùm intelligunt, qua Terrena res cœlestem significet, & representet, eiusq; nomen sortiatur, non autem in mysterio realiter contineat.*

GRYNÆVS.

X.

De rebus Terrenis in Eucharistia, vtrique negare non possunt vera esse, quæ hi Aphorismi indicant.

I. Panis & vinum Domini, tanquam ἀντίτυπα adhiberi in cœna debent.

II. Quum ad illa Elementa Verbum Dei accedat, & vsu illa sanctificentur, nequaquam eodem, quo profana, loco haberi possunt.

III. Cęterùm in solo legitimo vsu, quem sua auctoritate sanciuit Christus Iesus, non autem extra eum, Sacramenti rationem habent,

IIII. Detestanda est Papistica tum Transsubstantiatio, tùm ἀρτολατρεία: quia non substantiarum, sed finium ratione mutantur, id est, Sacramenta corporis & sanguinis Christi, panis ille Domini, vinumque eius, fiunt: nec vlla Creatura, etiamsi ea sacris piorum

vsibus

vsibus diuinitùs destinata inseruiat, adorari debet.

V. Sacramenta, non tanquam pharmaca virtute naturali necessariò agunt: sed institutionis diuinæ & pacti nomine, vsu seruiunt fidelibus, quum in ijs κατ' ἰδίαν & sigillatim, etiam visibilibus signis adhibitis, fidei in Christum crucifixum certitudo confirmatur & obsignatur.

VI. Sacramenta ex opere operato, sine fide, bonoué vtentium motu, non tantùm non prosunt ijs, nimirum abutentibus, sed etiam eis cedunt ad iudicium. Luc. 10. 16. 1. Cor. 11. 29.

IACOBVS ANDREÆ.

Nihil minus quoq; verum est, quàm quod hoc loco Hypocrita de consensu nostrorum cum Zuinglianis prædicat. In singulis enim propemodum Aphorismis suis (quos sic ad imitationem Hypocratis apellat Sophista, fortassis ab eiusdem Professore mutuatus, Erasto, qui illi per Alembicum Galeni opinionem hanc de Doctrina ipsa infudit & inspirauit) errorem occultat, quem nostri constanter oppugnârunt & refutârunt.

Nam quod ad primum Aphorismum attinet, Christus panem & vinum nequaquam in cœna tanquam antitypa adhiberi voluit, quæ corpus & sanguinem suum significarent & repræsentarent duntaxat, sicut Zuingliani docent: sed vt rei cœlestis realiter nunc in hoc sacro epulo præsentis dispensationi seruirent. Quæ etsi quidam ex vetustis Doctoribus antitypa appellârunt, si inter se res terrena & cœlestis conferantur, rectè tamen Damascenus & Theophylactus docent: Christum non dixisse, hoc est typus seu figura corporis mei, sed: HOC EST CORPVS MEVM. *Figura enim, typi, vmbræ veteris sunt Testamen-*

ti, res verò & corpus in nouo Testamento, abolitis typis, figuris, vmbris, in Mysterio præsens est, sicut in Refutatione Cadoxi Consensus copiosè explicatum est. Quando igitur Hypocrita noster antitypa appellat, sciat lector, eum nihil aliud intelligere, quàm panem & vinum in cœna Domini adesse, quæ habeant Relationem ad corpus & sanguinem Christi, propter appellationem nouam, & significationē, quæ ei adhæret, quod est falsissimum.

Pag. 229. Antitypa quid Grynæo significent.

Præterea etiam hoc verum est: Cum typi veteris Testamenti magnam similitudinem cum Archetypo, ratione significationis & repræsentationis habuerint, quales fuerunt Agni Paschalis, & reliquorum sacrificiorum propitiationis immolatio, quibus verus Dei Agnus, verumq; atq; vnicum sacrificium propitiatorium, Filij hominis saluatoris nostri Iesu Christi adumbratum fuit: (caro enim carnem, sanguis sanguinem, mactatio hostiæ & effusio sanguinis, mactationem & effusionem sanguinis Christi pucherrimè repræsentabat) nihil horum in Sacramento Eucharistiæ simile esse manifestum est. Quæ enim similitudo panis & vini, cum corpore & sanguine Christi? quod ad repræsentationem attinet: maximè cum ad memoriā mortis ipsius hoc Sacramentum institutum sit, qualis fuit sacrificiorum veteris Testamenti? Quapropter panem & vinum Eucharistiæ non tanquam typos ordinauit Dominus, vt DVNTAXAT FIGVRARENT, *hoc est & significarent corpus & sanguinem Christi, sed vt cum illis in mysterio corpus & sanguis ipsius, secundum expressa verba Testamenti eius distribuerentur, cum inquit:* HOC EST CORPVS MEVM, *& non ait: hoc est typus, figura, seu antitypon corporis mei, sicut Damascenus & Theophylactus piè & rectè vrgent contra eos, qui loco corporis & sanguinis Christi typos, figuras, & antitypa Ecclesiæ Dei obtrudere conantur. In quorum testimonijs alligandis, cum ex Diametro contra errorem Zuinglianorum apertè & manifestè pugna-*

Collatio Sacramentorum veteris & noui Testamenti, ratione significationis & repræsentationis.

pugnarent, Compilatores Cacodoxi Consensus Zuinglianorum & Caluinianorum crimen falsi committere non erubuerint, inserendo voculam (TANTVM) quæ in Theophylacti Græco exemplo, sed in translatione duntaxat latina Oecolampadij reperitur, in Græco autem non habetur, nec cum sententia verborum consentit, quæ eo loco in Theophylacto ponuntur. Sic enim eius verba sonant: οὐ γὰρ ἀντίτυπον τοῦ κυριακοῦ σώματος ἐστὶν ὁ ἄρτος, ἀλλ' εἰς αὐτὸ μεταβάλλεται τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ. Καὶ ὁ κύριος γὰρ λέγει, ὁ ἄρτος, ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν, οὐκ εἶπεν, ἀντίτυπος ἐστὶ τῆς σαρκός μου, ἀλλὰ ἡ σάρξ μου ἐστί. *Id est: Non enim figura est corporis Domini panis, sed in hoc ipsum corpus Christi mutatur. Etenim Dominus dicit, panis, quem ego dabo, est caro mea, non dixit, est* FIGVRA *carnis meæ, sed* EST CARO MEA. *Hactenus Theophylacti verba, in Mar. c. 14.*

II. Elemēta non vsu, sed verbo Dei sanctificantur.

In secundo aphorismo ponit Hypocrita: Elementa vsu sanctificari, quando ad illa verbum Dei accedat, quod etiam absurdum est. Nam SOLO *verbo sanctificantur,* NON VSV: *sed in hoc vsu sumentes Sacramentum sanctificantur, non vsus elementa sanctificat. Præterea, quòd dicit: Propter hanc sanctificationem factam, elementa nequaquam eodem, quo profana, loco haberi posse, hoc totum tantùm de significatione & repræsentatione corporis Christi intelligit & interpretatur. Qua ratione, quod substantiale & primarium in hoc Sacramento est, subtrahitur.*

III. Per legitimū vsum in Sacramentis quid intelligatur.

Sic etiam tertium aphorismum longè aliter intelligunt et interpretantur Zuingliani & Caluiniani, quàm à nobis exponitur. Nam per LEGITIMVM VSVM *intelligunt illi spirituale vsum, qui fit* PER SOLAM FIDEM, *videlicet, quando communicans cogitat per fidem de corpore Christi in mortem tradito, & de sanguine Christi pro peccatis nostris effuso. Quisquis enim hanc fidem nō habuerit, illū nihil aliud, quàm panē et vinū manducare & bibere.*

Regula de legitimo vsu Sacramenti.

quæ non sunt Sacramentum integrũ, sed pars duntaxat Sacramenti, eaq; minus principalis. Nos contrà dicimus: hanc Regulam (nihil habet rationem Sacramenti extra legitimum vsum) duntaxat Papistis, ipsorumq; Idolatrico sacrificio oppositam esse, quo fingunt corpus Christi pro peccatis viuorum & mortuorum in Missa offerri, circumgestari, includi, adorari. Hîc inquam hæc Regula locum habet. Eam autem Zuingliani ad fidem communicantium referunt: vt, si quis fide careat, non habeat integrum Sacramentum, sed externa duntaxat Elementa, quod falsum est. Sacramentorum enim integritas non à dignitate, vel indignitate distribuentium, aut sumentium pendet, sed in verbo Testamenti Christi consistit, sicut ex sententia etiam Orthodoxorum Patrum in Refutatione Cacodoxi Consensus demonstratur: & D. Pauli verba manifestè docent atq; confirmant.

Sacramentorũ integritas vnde pendeat.

Pag. 460.

IIII.

De mutatione panis & vini in Eucharistia.

Similiter in quarto Aphorismo suo Grynæus errorem occultat, quum scribit: Quòd panis & vinum Domini, non substantiarum, sed finium ratione mutentur, hoc est, Sacramenta corporis & sanguinis Christi fiant. Sicut enim Transsubstantiatio apertè à nobis quoque reijcitur, & constanter docemus, panis & vini substantiam non mutari in substantiam corporis & sanguinis Christi: sic etiam falsum esse dicimus, quòd tantùm ratione EIVS *finis mutentur, de quo Zuingliani loquuntur, videlicet, vt significent & repræsentent duntaxat corpus & sanguinem Christi. Sed cum Orthodoxa antiquitate docemus & intelligimus de eo fine, quòd realis vnio fiat corporis Christi cum pane, & sanguinis eius cum vino cœnæ, Sacramentalis, non physica, naturalis aut carnalis, sed quæ mysterium est, captum humani ingenij excedens. Cuius vnionis finis est præcipuus, vt fides nostra in Christum hoc pignore confirmetur, quòd pro peccatis nostris satisfecerit. Quapropter tanquam pernicioſum errorem, & cum*

Mutatio Elementorum quomodo ratione finis facta intelligatur.

verbis

verbis Testamenti Christi apertè pugnantem damnamus, quòd Zuingliani Sacramenta tantùm ratione huius finis definiunt, vt nullius rei substantiam adesse credant quàm panis & vinum, quibus hic finis seu respectus & relatio (vt ipsi appellant) adhæreat, quòd corpus & sanguinem Christi significent. Nos verò vnione Rei terrenæ & cœlestis Reali, Sacramentali tamen, hoc est, quæ fit in Mysterio, Sacramenti substantiam definimus, sicut Orthodoxos Patres fecisse in Refutatione Cacodoxi Consensus Lectori ad oculum demonstrauimus. Ideoque quàm fraudulenter errorem suorum hoc loco Hypocrita tegat, pius Lector diligenter attendat.

Error Zuinglianorum de substantia Eucharistiæ.

Pag. 166.

Eadem etiam in quinto Aphorismo conspicua est. Vbi primùm tacitè nostros accusat, quasi doceant: Sacramenta tanquam pharmaca, virtute naturali, necessariò agere, quod minimè faciunt. Intelligit enim errorem illum Pontificium, quem nostris quoque tribuit: Sacramenta ex opere operato conferre gratiam. Cum ne quidem ipsi Papistæ tàm craſsè locuti sint, aut senserint, quin addiderint: in his, QVI NON PONVNT OBICEM.

V. Calumnia de virtute naturali Sacramentorum.

Cæterùm cum certum sit: Christum in legitimo vsu cœnæ Domini adesse, ideo quoque certum est, eum non otiosum adesse, siue pij, siue impij accedant, sed aut iudicium, aut vitam operari, quæ naturalis vis est Christi, quatenus Deus, & donata, quatenus homo, qua vtrumq; NECESSARIO *operatur pro Naturâ eorum, qui ad cœnam Domini vel vera fide, vel sine fide accedunt. Quorum neutrum corpori & sanguini Christi tribuit Hypocrita noster: sed omnem vim Sacramenti (quo vocabulo corpus & sanguinem Christi nequaquam, sed panem duntaxat & vinum, cum Relatione ad corpus & sanguinem Christi intelligit) ad panem & vinum refert, tanquam ad sigilla, quibus certitudo fidei nostræ in Christum crucifixum confirmetur & obsignetur. Quod falsum*

Naturalis vis Christi in Sacramento præsentis.

Fides nostra non pane & vino, sed corpore & sanguine Christi obsignata.

& verbis Testamenti Christi minimè consentaneum esse dicimus: Non enim pane & vino duntaxat, sed suo corpore & sanguine in Mysterio præsente, tanquam pretiosissimo pignore promissionem remissionis peccatorum obsignare, & fidem nostram confirmare voluit: sicut ipsius aperta verba sonant: Hoc est corpus meum, &c. Hic est sanguis meus noui Testamenti.

GRYNÆVS.

XI.

De cœlesti autem re, cuius in sacra cœna ratio præcipua haberi debet, confitentur vtrique.

I. Rem Sacramenti esse corpus Christi pro nobis traditum: & sanguinem Christi pro nobis effusum.

II. Corpus & sanguinem Christi in S. cœna verè adesse & exhiberi: verùm nec localiter, nec vllo modo terreno, aut sensibili.

III. Per fidem nos intelligere, in sacro hoc epulo, nobis, qui in Christum Iesum credimus, etiam cœlestia illa dona verè exhiberi & donari.

IIII. Non solùm τῆς οὐσίας essentiæ, viuifici corporis Christi nos fieri participes: sed etiam τῆς ἐνεργείας, efficacitatis, cuius effectus est viuificatio. Ioannis 6. 54.

V. Pium esse Canonem Niceni Concilij: in diuina illa mensa, ne rursus humiliter (quasi in hęc præcipuè defixis oculis) attendamus in panem propositum, & in poculum: sed exaltantes cogitationem mentis nostræ, fide intelligamus & statuamus iacere in sacra illa mensa Agnum illum Dei, qui peccatum Mundi tollit: sine immolatione à sacerdotibus oblatum.

tum. Honorabile, quin etiam ipsius corpus & sanguinem VERE percipientes, credamus hæc esse resurrectionis nostrę symbola. Tantum illud interpretationis causa monemus, nihil in sacris istis mysterijs tàm VERE adesse & percipi, quàm quod Spiritus sancti virtute exhibitum, fide percipitur: sed spiritualiter, puroque corde.

Confessio Patrum Niceni concilij de cœna Domini.

IACOBVS ANDREÆ.

Falsum est, minimeq; verum, quod Hypocrita ait: De re cœlesti in Eucharistia iam cõmemoratos ipsius Aphorismos vtramque partem, confiteri, nullamq; de his controuersiam esse. Nam quod ad primum Aphorismum attinet, vbi dicit: Rem Sacramenti esse corpus Christi pro nobis traditum: & sanguinem Christi pro nobis effusum, Zuingliani & Caluiniani hæc verba longè aliter intelligunt & interpretantur, quàm nos facimus. Illi enim duntaxat opus respiciunt, videlicet, quatenus corpus Christi sit pro nobis traditum, & sanguis eius pro peccatis nostris effusus: Hoc, inquam, opus, eiusq; consideratio, illis est res Sacramenti, non ipsum corpus, & ipse sanguis Christi. Nobis verò res Sacramenti non est opus corporis & sanguinis Christi, seu illius effectus, sed ipsum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, & ipse sanguis Christi in mysterio verè & raeliter præsens, qui pro nobis effusus est. Sic nobiscum loquitur Hypocrita, sed aliam sententiam occultat, quam apertè profiteri non audet. I.

Res Sacramenti secundum opinionẽ Zuuing. & Caluinianorum quid?

Res Sacramenti quid verè sit.

Similiter in Aphorismo secundo, adeo nullus est consensus, vt hic status sit controuersiæ & fuerit semper: An corpus Christi & sanguis eius in sacra cœna VERE *adsint & exhibeãtur? cuius præcipuè causa Heluetij, & quæ cum ipsis faciebant Ciuitates quatuor Imperiales peculiarem* CONFESSIONEM *Carolo*

Status controuersię inter Sacramẽtarios & Lutheranos.

Confessio Sacramentariorum Anno Domini 1530. Imperatori Carolo V. exhibita.

Confessio Augustana de cœna Domini.

Confessio Zvuinglij de cœna Domini.

Caloro V. in comitijs Augustanis Anno 1530. *obtulerunt, quòd Articulum decimum in Principum Confessione non probarent, qui sic sonat: De cœna Domini docent: Quòd corpus & sanguis Christi* VERE ADSINT, *& distribuantur vescentibus in cœna Domini, & improbant secus docentes. Contrà Zvuinglius pertinaciter asseruit: Corpus Christi non verè & realiter adesse, sed* SIGNIFICARI DVNDAXAT *per panem Eucharistiæ,* IN COELO *tantùm existens, & permanens vsque ad nouissimũ diẽ. Quapropter insignis impudentia sit necesse est, quòd Hypocrita noster asserere audet, Consensum inter vtramq; partem esse: Quòd corpus Christi in S. cœna* VERE ADSIT & DISTRIBVATVR, *quod scit non esse verum. De quo plura in Refutatione Orthodoxi, sic falsò dicti, Consensus, pag.* 24. 58.

Deinde cũ diu, multumq; ab vtraq; parte pugnatũ, & per Bucerũ, & quarumdam Ciuitatũ superioris Germaniæ Ministros, Concordia cũ Luthero facta esset, qui prius Luthero crassam opinionẽ imputarunt, quasi localẽ, physicam & Capernaiticã præsentiã & Manducationẽ carnis Christi, & impanationem, vt ipsi appellabant, doceret & assereret, quæ illi nunquã in mentẽ venit, expressè testatus est Lutherus, nec localiter, nec vllo modo terreno, aut sensibili corpus Christi adesse, sed modo spirituali supernaturali, diuino & cœlesti, qui omnẽ humani ingenij captum excedat. Verùm Heluetij huic piæ & ex parte Lutheri synceræ Concordiæ nunquam subscripserunt, quod inprimis Tigurini Ministri impedierunt, sicut Bucerus apertè testatur, quos ad Concordiam malè dispositos fuisse scripsit, qui manibus & pedibus repugnauerint, ne controuersia, propter quam componendam ipse cum D. VVolffgango Capitone & aliarum Ciuitatum Helueticarum Legatis aderat, CORAM LEGATIS *excuteretur. Vtinam, inquit, Bullingerus,* NON SEIPSVM & SVOS *stolidè &* PA-

In Epistola ad Comandrum. Tigurini Concordiã cum Luthero inundam impediuerunt.

RVM

RVM CHRISTIANE REVERERETVR, *populiq́* SVI IVDICIVM *non plus æquo metueret. Nam si ipsis non obstaret* ET HIC METVS, ET SVI, SVORVMQVE ALIQVORVM ADMIRATIO NIMIA, *in verissima ratione, et sanctissima Confessione, quam toties nobis confirmarunt,* CONSTANTIVS *perstitisset. Faxit Christus, ne istis importunis studijs, Ecclesijs magnum malum dent* IPSI CONSTANTES IN PERTVRBANDIS ECCLESIIS HOMINES. *Hactenus Buceri verba de Tygurinorum erga veritatem & piam concordiam animo, ipsorumq́ egregia constantia scilicet, non in assertione veritatis, sed in perturbandis Ecclesijs: de quo in Refutatione Cacodoxi Consensus plura, pag. 521. 522.*

" Buceri de Bul-
" lingero & Tygu-
" rinis Theologis
" iudicium.
" NB.
" Attende Hypo-
" crita Grynæc.
" ☞
" Pium votũ Bu-
" ceri de Tyguri-
" nis.
" NB.

Tygurini constantes perturbatores Ecclesiarum.

Sic in tertio Aphorismo, quod dicit: per fidem nos intelligere in sacro hoc epulo, nobis, qui in Christum Iesum credimus, etiam cœlestia illa dona VERE *exhiberi & donari, nobiscum quoque loquitur Hypocrita, sed sub his verbis suum & suorum Zuinglianorum errorem occultat, & planè contrarium doctrinæ nostræ sentit. Nam & nos docemus, per solam fidem intelligi, quòd in hoc conuiuio sacro cœlestia dona verè & realiter præsentia, nobis verè exhibeantur ac donentur: de quo plura in Refutatione Cacodoxi Consensus pag. 224. 393. 425. 487. Hoc enim verba Testamenti Christi loquuntur, quibus fides pij hominis nititur, vtcunque ratio humana & sensus reclament. Hypocrita verò noster, cum suis socijs longè aliud intelligit, videlicet in hoc sacro epulo nequaquam cœlestia illa dona, corpus & sanguinem Christi, verè & realiter præsentia exhiberi & donari, quoniam hoc cum veritate humani corporis pugnet: sed corpus & sanguinem Christi donari, sicut Rex literis suis Regnum dat. Item: corpus Christi in* PANE ESSE, *vt domus vel potestas eius in traditione clauis, sicut Oecolampadius in suo Antisyngram-*

III.

Quomodo in Sacramento cœlestia dona verè offerãtur & exhibeãtur.

In Refutatione Cacodoxi Consensus pag 322.

mate loquitur. Hæc, inquam, est verborum Hypocritæ nostri sententia, quam tamen, quibus potest modis, occultare conatur, vt videatur nobiscum sentire, & vt suis persuadeat, certamen magis in verbis, quàm in rebus consistere, cum nihil minus in corde suo sentiat. Nam fide exhiberi & donari cœlestia illa dona, sic intelligunt, quòd videlicet meritum corporis Christi & sanguinis eius nobis donetur & exhibeatur. Ideo addunt: NOBIS, *qui in Iesum Christum credimus. Nam reliquis cœlestia hæc dona minimè exhiberi docent: sed eos duntaxat panem & vinum accipere, neque etiam amplius illis dari: quod de beneficijs Christi verum, sed de Sacramentali exhibitione corporis & sanguinis Christi, falsum est. De quo in Refutatione Cacodoxi Consensus, pag. 224. 393. 425. 487. Ex quibus manifestum est, qualis præstigiator sit Hypocrita noster, qui consensum esse hominibus persuadere conatur, in quibus nouit partes disputantes διὶ διὰ παντῶν, bis per omnia dissentire.*

Maiorem verò impudentiã in quarto Aphorismo prodit, vbi asserit: In eo quoq; consensum esse, nos non solùm οὐσίας essentiæ viuifici corporis Christi fieri participes, sed etiam τῆς ἐνεργείας efficacitatis, cuius effectum sit viuificatio. Contrarium. n. infrà Thesi 19. expressè ponit: Verba eius sic sonant: Nos corporis pro nobis traditi, & sanguinis Christi pro nobis effusi (Christo ipso, quo ad carnẽ attinet, iam gloriosè super cœlos, NON IN TERRIS, NEC ALIBI VSQVAM SITO) præsentiæ modum MERE πνευματικὸν, καὶ ἐνεργητικὸν, hoc est, verum quidem, sed merè spiritualem, & huc tendentem profitemur, non vt aliquo contactu reali corpora credentiũ cum corpore Christi carne coalescant: sed vt spirituali PER FIDEM cum ipso copulatione OMNIA CHRISTI BENEFICIA, ac tandem ipsa quoq;

quoq; vita æterna in nos spiritualia ipsius membra & palmites deriuetur. *Hactenus opinatoris nostri verba. Quibus manifestè asserit, Christum quoad carnem, iam gloriosè super cœlos, non in terris* NEC ALIBI VSQVAM SITVM *esse, & modum præsentiæ* MERE πνευματικὸν καὶ ἐνεργητικὸν *per fidem, qua Christi beneficia in spiritualia membra deriuentur. Hìc nulla fit mentio participationis οὐσίας sed ἐνεργείας tantùm, quam non de substantia corporis Christi, sed de omnibus beneficijs Christi explicat, quorum sit spiritualis participatio, per coniunctionem cum Christo, quæ fit per fidem, qua credimus, quòd corpus ipsius pro nobis traditum, & sanguis eius pro nobis effusus sit, per quã fidem æquè adfuerit Patribus in veteri Testamento, quàm nobis in noui Testamenti Sacramentis adsit. Cùm tempore Patrũ veteris Testamẽti nõdum Filius Dei incarnatus, seu Verbũ caro factum fuerit. Meræ ergo verborum præstigiæ sunt, quod hoc loco Hypocrita de participatione οὐσίας seu essentiæ corporis Christi asserit, cũ de sola ἐνεργητικῇ loquatur, & quidem tali, quæ fuerit Patribus nobiscũ cõmunis, sicut infrà audiemus.*

V. *Quod ad Canonem Niceni Concilij attinet, pium esse, nemo rectè sentiens & verbis Christi fidem habens, negare potest, qui græcè sic sonat:* ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης πάλιν κἀνταῦθα, μὴ τῷ προσκειμένῳ ἄρτῳ, καὶ τῷ ποτηρίῳ, ταπεινῶς προσέχωμεν, ἀλλὰ ὑψώσαντες τῷ διάνοιαν, πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων, θυόμενον καὶ τὸ τίμιον αὐτὸ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς πιστεύειν, ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἀναστάσεως ἡμετέρας σύμβολα. Διὰ τοῦτο γὰρ οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον, ἵνα γνῶμεν, ὅτι οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμὸν: *id est, in hac rursus diuina Mensa, non in propositum*

panem & calicem humiliter intenti simus, sed mente in altum sublata, fide cogitemus in hac sacra Mensa POSITVM ESSE AGNVM ILLVM DEI, *qui peccata Mundi tollit, & à sacerdotibus incruento sacrificio offertur. Et pretiosum* EIVS CORPVS & SANGVINEM SVMENTES, *credere oportet, hæc esse resurrectionis nostræ symbola. Ideo non multum, sed parum accipimus,* QVIA NON AD SATVRITATEM, SED AD SANCTIFICATIONEM *faciunt.*

Agnus Dei positus in Altari.

I. *In hoc Canone recitando Hypocrita duo committit reprehensione digna. Alterum, quòd non integrum Canonem recitat, sed in fine resecat, quod ipsius instituto seruire non videbatur, videlicet hæc verba: Ideo non multum, sed parum accipimus, quia non ad saturitatem, sed ad sanctificationem. Quæ nequaquam de pane & poculo duntaxat intelligi possunt, cum hæc non sanctificent: sed de corpore & sanguine Christi, quæ sumentes fideles sanctificant.* 2. *Deinde assuit suam interpretationem, qua germanam sententiam verborum Canonis apertè deprauat. Tantùm, inquit, illud interpretationis causa monemus, nihil in sacris Mysterijs tàm* VERE *adesse & percipi, quàm quod Spiritus sancti virtute exhibitum,* FIDE PERCIPITVR, *sed spiritualiter, puroq; corde. Nam Canon apertè dicit: In sacra mensa duo proposita esse, quæ reuera adsint, videlicet, panem & poculum. Deinde ipsum* AGNVM DEI IN ALTARI IACERE, *& pretiosum corpus & sanguinem eius verè percipi iuxta verba Christi, accipite, manducate, quod fit ore: idq; fide intelligi, quòd videlicet, Agnus Dei iaceat in sacra illa Mensa. Nam ratio humana, & sensus humani reclamant. Qui nihil aliud sentiunt, quàm panem & vinum, sed fides respiciens in verba Testamenti Christi, Hoc est corpus meum, &c. Hic est sanguis meus, aliquid amplius videt & intelligit, videlicet, etiam*

Corruptela & deprauatio Canonis Concilij Nicæni duplex.

corpus

corpus & sanguinẽ Christi, adeoq; ipsum Agnum Dei in hoc Mysterio adesse. Hæc verba Canonis apertè Hypocrita noster petulanter sua interpretatione deprauat, cui FIDE INTELLIGERE, *est* PER FIDEM PERCIPERE. *Quod Canon non dicit, sed contrarium habet. Nam perceptionem & fidem manifestè discernit, cum ait: Honorabile ipsius corpus & sanguinem* PERCIPIENTES CREDAMVS *hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Non, inquit, per fidem percipimus, sicut Hypocrita noster ei affingit, sed ore percipientes, credunt hæc esse symbola nostræ resurrectionis.*

Fide intelligere & fide percipere, quomodo differant.

Ex Canone ergo isto manifestum est, non solùm panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem Christi in Eucharistia verè adesse, distribui & ore percipi. Quod non ratione humana aut sensibus, sed sola fide intelligitur, quæ in verbum Christi omnipotens respicit, cui se fides humiliter subijcit, & humanum intellectum & sensus in obsequium Christi captiuos ducit.

Canone Concilij Niceni, Realis corporis Christi præsentia in Eucharistia confirmata.

Sic quoq; vocabulo (spiritualiter) ludit aduersarius noster, quod nos de modo spirituali intelligimus, hoc est, diuino, cœlesti, & supernaturali, quo corpus Christi in Mysterio, & à vescentibus in cœna percipitur, siue sint digni, siue indigni, fideles aut infideles. Cum Sacramenti integritas & hæc corporis & sanguinis Christi præsentia non à fide & dignitate distribuentis, aut sumentis, sed à verbo Testamenti Christi omnipotente & veraci dependeat. Hypocrita autem noster per vocabulum (spiritualiter) intelligit cogitationem fidei, qua fidelis homo de absente corpore Christi cogitat. Si enim crederet, virtute Spiritus sancti corpus Christi verè adesse & exhiberi, nullam litem nobis in posterioribus Thesibus, inprimis ipsi Luthero intenderet. Nam Lutherus & nostri constanter semper docuerunt, virtute Spiritus sancti verè adesse corpus & sanguinem Christi in S. cœna Domini,

Vocabulum SPIRITVALITER ὁμώνυμον.

1. Quomodo Luthe rani intelligant & vsurpent.

2. Vocabulo (spiritualiter) quomodo Zuingliani vtantur.

mini, sed non sola fide percipi (quod Zuingliani dicunt) verùm etiam ORE IN MYSTERIO *sumi, quo modo Patribus in veteri Testamento non adfuit. Hanc vocabuli* (SPIRITVALITER) ὁμωνυμίαν, *eiusq; dissimilem & variam significationem ac vsum pius lector diligenter obseruet, cùm æquiuocationibus vocabulorum, & ambiguis dictis maximè delectentur Zuingliani & Caluiniani, vt ab illorum fraudibus sibi maiori studio cauere discat.*

GRYNÆVS.

XII.

Hactenus etiam de Correlatiuis, siue vt alij loquuntur de essentialibus sacrę Eucharistiæ partibus egimus: reliquum est, vt quatenus conueniat de formali causa, candidè & breuiter in gratiam veritatis & virtutis studiosorum, exponamus.

De forma quatenus conueniat.

I. Conuenit, alioquin dissidentibus, de forma: quæ οὐσατικὴ, seu constituens dicitur, ac Sacramentis omnibus est communis.

Quis enim sanus & intelligens dubitat, Sacramento visibili & re Sacramenti inuisibili Eucharistiam sic constare, vt horum sit vnio quædam non physica aut essentialis: nec artificiosa aut localis: non etiam personalis: sed Sacramentalis: qualis in circumcisione quidem, inter pręputij & cordis circumcisionem: in Baptismo verò, inter aquam eius, & inter sanguinem Christi, ac inter vtriusq; aspersionem intercedit?

II. Hactenus autem & de forma διακριτικὴ (quæ Eucharistię propria est, & eam à Baptismo discriminat) dissidentibus conuenit, videlicet, nos adhibitis Elemen-

Elementis & Ritibus à Christo Iesu præscriptis edere corpus Christi & bibere sanguinẽ Christi: quum cœna Domini iure optimo dicatur cibus Animę, nouum hominem alens atque corroborans: & Christus velit esse cibus noster, & pascere animam solam, quandoquidem fides nullam aliam vitam requirit, vt etiam D. Lutherus p. m. in Catechismo maiore & in Paschali suo hymno, piè pronunciauit.

Iacobvs andreæ.

Quemadmodum Hypocrita noster perperam essentiales partes Sacramenti Eucharistiæ, & contra mentem & sententiam verborum Testamenti Christi explicauit: sic formam quoq; Sacramentorum in genere & Eucharistæ in specie explicat, vt imperito lectori persuadeat, quasi de ea quoque inter Ecclesiarum nostrarum Doctores & Zuinglianos atq; Caluinianos conueniat.

Nam quod ait: Conuenire alioquin dissidentibus de forma, quæ συσατικὴ seu constituens dicitur, ac Sacramentis omnibus cõmunis est: generale & ambiguum est, quod non vno modo intelligi potest. Si enim intelligatur de signo & verbo addito signis, rectè dicitur, quòd hæc duo constituant Sacramentum, quæ ratio omnibus Sacramentis veteris & noui Testamenti communis est. Sed longè aliter Hypocrita noster hanc rationem συσατικὴν explicat in sequẽtibus suis Aphorismis Hypocratis, hypocriticis dicere volebã. 1. Quomodo ratio συσατικὴ omnibus Sacramentis communis.

Et enim partes essentiales, & earum vnionem explicare conatur, cum formalis causa exponenda esset. Idq; adeo infeliciter facit, vt quid dicat, vel ipse quoq; non intelligat, vel à nemine intelligi velit. Etsi verò hæc cœlestia Regni Dei Mysteria, regulis Dialecticis difficulter includantur: Rectè tamẽ dicemus, in verbo Dei, quo Sacram. instituta sunt, Sacramentorũ formam etiam compre- Forma Sacramentorum in verbo Dei comprehensa.

comprehensam esse. Si enim à verbo tantillum recedatur, forma Sacramenti mutata est, neque etiam res amplius his contineri verè affirmatur. Verùm huius causæ formalis superbus Hypocrita noster, opinione eruditionis turgens, prorsus nullam mentionem in explicatione causæ formalis facit: sed indoctè & insulsè de vnione Sacramenti visibilis & rei Sacramẽti inuisibilis NARRATIONEM *instituit, quibus Eucharistiam constare dicit. Quasi verò Sacramentum sine re Sacramenti sit Sacramentum, aut verè Sacramentum dici possit: cum iuxta communem rationem omnium Sacramentorum, omne Sacramentum duabus rebus constet, videlicet terrena & cœlesti, seu spirituali. Si ergo rectè & Orthodoxis Patribus consentienter loqui voluisset Hypocrita, de quorum consensu tantopere gloriantur Zuingliani, signum visibile, & rem inuisibilem Sacramentorum dicere debuisset, quibus Sacramentum Eucharistiæ constat, tanquam suis partibus. Cui Sacramento* VERBVM TESTAMENTI CHRISTI *formam tribuit, vt videlicet hoc Sacramentum, quod pane & corpore, vino & sanguine Christi constant, accipiamus, edamus, bibamus, & mortem Domini annunciemus, donec ad iudicium venerit.*

Sed longè aliter sentit Hypocrita, videlicet Sacramentum esse duntaxat externum visibile signum, cum relatione quadam significatiua & repræsentatiua corporis & sanguinis Christi, sicut in Aphorismo secundo de forma διαιρετικῇ docet, quòd Sacramentum ore accipiatur, sine corpore & sanguine Christi. Et quòd nihilominus sit integrum Sacramentum, si ab Hypocritis & non verè credentibus, sine corpore & sanguine Christi accipiatur, cum duntaxat pars sit Sacramenti, sicut paulò pòst clarius explicabitur.

Caterùm

Cæterùm quod ad Vnionem attinet, signi, & signati, panis & vini cum corpore & sanguine Christi, rectè dicit: horum vnionem non esse physicam, aut essentialem: nec artificiosam aut localem: non etiam personalem. Non enim physico seu naturali modo vniuntur, nec vnam essentiam constituunt, sicut res naturales ex materia & forma constitutæ, vna essentia sunt: sed per se & in proprietate suæ naturæ permanent, & duæ distinctæ essentiæ sunt, panis & corporis, vini & sanguinis Christi: sic nulla quoque artificiosa est vnio, quales per artifices fieri potest: neque etiam localis, vt localiter, hoc est, physico modo ibi sit corpus & sanguis Christi, vbi adest panis & vinum Eucharistiæ, modo circumscriptiuo. Sic quoque non est personalis vnio, qualis est vnio Filij Dei cum assumpta naturâ humana, in vnitate personæ ipsius, quæ singularis modus est vnionis, cuius nullum in rerum naturâ simile exemplum extat. Sed vnio est Sacramentalis: quæ à personali dependet Vnionis virtute, qua corpus Christi in mysterio præsens cum pane, & sanguis eius cum vino Eucharistiæ per verbum institutionis virtute Spiritus sancti vnitur, vt ad confirmationem fidei nostræ, tanquam cibus & potus æternæ vitæ, cum pane & vino dispensentur & verè percipiantur in mysterio. Quæ Vnio vt maximè realis sit: non tamen vel externis sensibus sentitur, vel ratione humana capitur, sed SOLA FIDE *intelligitur: [de qua nihil habemus (vt Damascenus loquitur) quàm Christi verbum* OMNIPOTENS, EFFICAX, VERVM: *Modus autem inscrutabilis est.]*

Vnio panis cum corpore Christi non physica, essentialis, artificiosa, localis aut personalis est.

Vnio panis & vini Sacramentalis.

" Damasceni pium dictum.

Occultat autem Hypocrita errorem suum sub duobus vocabulis, videlicet (essentialis & localis) quod etiam vespertiliones, hoc est, Cacodoxi Consensus Compilatores faciunt. Nam illi dum negant: Localiter corpus Christi cum pane Eucharistiæ vniri: hoc intelligunt, corpus Christi eo loco non ad esse, vbi panis est, quod falsum est. Nam sic quoque de Deo dici posset,

Occultatio erroris sub vocabulis (ESSENTIALIS et LOCALIS)

Abusus vocabuli localiter.

quòd non adsit in terris, quia non localiter adsit. Aliud autem est, eo loco participatione Maiestatis propriæ adesse, vbi panis est, & aliud ibi localiter adesse. Prius affirmamus, quia corpus Dei est, in Maiestatem Deitatis propriam assumptum. Posterius negamus, quia præsentia physica non est: sicut in Refutatione Cacodoxi Zuinglianorum & Caluinianorum consensus prolixè explicatum est.

Quomodo non sit essentialis vnio panis cum corpore Christi.

Sic quoq; sub vocabulo (ESSENTIALIS) opinionem suam occultat, dum negat: corpus Christi cum pane Eucharistiæ essentialiter vniri. Intelligit enim, essentialiter seu Realiter non adesse, quod ipsum quoq; falsum est. Plurimùm enim differunt, si dicatur: aliquid essentialiter adesse: & aliquid cum altero essentialiter vniri, vt cum eo vnam essentiam constituant: sicut quæ ex Materia & forma, res naturales essentialiter constitutæ dicuntur. Hîc enim Realis vnio est, quæ neque essentialis, neque accidentalis, sed Sacramentalis vnio est, Mysterium regulis Grammaticis aut Dialecticis & Philosophicis non subiectum.

Exemplorum, quibus vnionem Sacramentalem explicat, Examen.

Hanc vnionem dum exemplis explicare nititur Hypocrita, adeo absurdus est, vt facilè ostendat, se, quid res sit, prorsus ignorare. Nam exempli causa circumcisionem & Baptismum proponit: vbi circumcisionem præputij & cordis, tanquam Sacramentum, & rem Sacramenti vnitam esse dicit. In Baptismo verò aquam & sanguinem Christi, quæ exempla longè dissimilima sunt.

Circumcisio

Nam circumcisio duabus rebus constat, videlicet externa ceremonia, & verbo annexo, in quo verbo, fœdus inter Deum & hominem circumcisum, comprehensum est, quòd Deus illi propitius sit. Quale autem est verbum, talis quoque est res Sacramenti. Hîc nequaquam circumcisio cordis, res Sacramenti circumcisionis fuit, sicut hoc loco inconsideratè asserit Hypocrita, sed est effectus eius. Quos enim Deus in gratiam recepit, eorum etiam corda circumcidit. Res autem Sacramenti huius fuit semen Mulieris,

lieris, seu Christus adumbratus, propter quem circumcisus in gratiam receptus est. Cuius Gratiæ consequens est, circumcisio cordis.

Sic in Baptismo est vnio aquæ cum sanguine Christi non adumbrato, sicut in circumcisione: sed realiter nunc præsente, quo baptizandus in Mysterio huius Sacramenti verè aspergitur, dum in Christi mortem baptizatur. Cuius effectus est regeneratio & renouatio Spiritus sancti, hoc est, quam S. S. per sanguinem Christi operatur. Quomodo autem & quatenus forma conueniant Baptismus & circumcisio, in Refutatione Cacodoxi Consensus demonstratum est. pag. 151. 442. 488. 489. Baptismus.

Similiter quoq; panis & vini cum corpore & sanguine Christi est vnio, qualem verbum Testamenti Christi signo externo additum indicat, cum de pane & vino S. cœnæ inquit: Hoc est corpus meũ, &c. Hic est sanguis meus. Quæ vnio non est duntaxat relatio, quæ in significatione, aut repræsentatione consistat: sed est realis, qua in mysterio hæc realiter vniuntur, adsunt, dispensantur & percipiuntur: quod Mysterium creditur, non intelligitur. Eucharistia. Vnio Sacramentalis.

Quod autem de forma διαιρετικῇ scribit: quæ Eucharistiæ propria sit, & eam à Baptismo discriminet, de qua etiam dissidentibus conueniat, Delio natatore opus esset, qui nobis exponeret, quid sibi his verbis velit Hypocrita. Si enim per formam διαιρετικὴν intelligit eam, qua signa externa à rebus signatis discernuntur: Eucharistia nequaquam hac distinctione à Baptismo discriminatur, cùm hoc nomine eadem sit verius q; ratio: de quo in Refutat. Cacodoxi Cõsensus, pag. 151. 442. 488. 489. videre licet. De forma διαιρετικῇ.

Sin verò in ipso vsu Sacramenti hæc diuidit & separat, quod per formam διαιρετικὴν intelligere videtur, toto cœlo errat. Nam panis sine corpore Christi, & vinum sine sanguine Christi non est Eucharistia, sed panis & corpus, vinum & sanguis, sunt vnum Nulla separatio signi & signati in Eucharistiæ vsu facienda. Signum & signatũ vnum Sacramentale in Eucharistia.

Sacramentale, sine respectu fidei aut incredulitatis sumentium, quorum alterum sine altero Eucharistia, seu Sacramentum non est. Quemadmodum etiam aqua Baptismi sine spiritu, neq; S.S. sine aqua Baptismi Sacramentū est: sed hæc duo coniuncta ad Baptismi integritatem requiruntur, quæ duo verbum institutionis verius q; Sacramenti in Mysterio copulat & coniungit.

Aqua & Spiritus in Baptismo Sacramentale vnum.

Zvuingliani naturas in Christo sua formâ διαιρετικῶ separant.

Quemadmodum autem in persona Christi naturas non solùm disiungunt, sed diuidunt & separant, dum realem communicationem Idiomatum negant & impugnant Zvuingliani & Caluiniani: sic etiam signum & signatum in Sacramento Eucharistiæ diuidunt & separant, quòd propria Elementorum propter vnionem Sacramentalem rei Sacramenti, hoc est, corpori & sanguini Christi tribuere nolunt, vt corpus Christi manibus ministrorum distribui, & ore vescentium in cœna accipi dicatur. Qui error non solùm cum verbis Testamenti Christi: sed etiam cum vniuerso Orthodoxorum Patrum Consensu pugnat, sicut in Refutatione Cacodoxi Consensus demonstratum est. Quemadmodum enim post vnionem personalem nulla naturarum diuisio aut separatio locum habet: sed sicut Leo loquitur, vna forma agit cum COMMVNICATIONE *alterius naturæ, quod suum proprium est: sic etiam in vsu cœnæ Domini post factam vnionem Sacramentalem, nulla fingenda aut docenda est forma διαιρετικὴ, hoc est, separatio aut diuisio, quam hîc Hypocrita noster fingit, quæ cum Sacramenti vnitate & integritate pugnat: vt Minister nihil aliud distribuere dicatur, quàm panem & vinum: Christus autem corpus & sanguinem suum. Sed* PER MANVM MINISTRI CVM PANE ET VINO *Christus suum corpus & sanguinem communicat, & in mysterio distribuit, de quo infrà plura.*

Causa separationis signi & signati.

Pag 229 280. 492 537. 663.

Post vnionem Sacramentalem nulla separatio in vsu Sacramenti facienda est.

NB.

Verùm Hypocrita noster hoc loco tàm obscurè & inuolutè loquitur, vt aliquo modo ipsa phrasi nostris satisfacere videatur, nec tamen à semel concepto errore discedat, cum ait: Nos, adhibitis

bitis Elementis & ritibus à Christo Iesu præscriptis, edere corpus Christi, & bibere sanguinem Christi. Quæ verba homo simplex, & huius controuersiæ & fraudium Zuinglianorum ignarus, sic acciperet: Christum corpus & sanguinem suum CVM *externis Elementis pane & vino distribuere, & ore manducari & bibi in mysterio. Sed hanc non esse Hypocritæ nostri sententiam infrà manifestè ostendit, vbi apertè damnat formulam loquendi,* CVM PANE *dari corpus Christi.* Infrà thesi 19.

Sensus autem horum verborum, secundum mentem & sententiam Autoris, hic est, quem haud dubiè non Caluiniani omnes probabunt: Corpus Christi edere, & sanguinem ipsius bibere NIHIL ALIVD EST, QVAM CREDERE, *corpus Christi pro nobis traditum, & sanguinem pro peccatis nostris effusum esse. Hæc dum cogitant pij & fideles, accedunt externa Elementa & ritus à Christo præscriptos, vbi Elementa* DVNTAXAT *à Ministro distribuuntur, & ore infidelium quoque sumuntur,* NEQVAQVAM *verò corpus & sanguis Christi. Longè verò aliter Chrysostomus & Augustinus, qui dicunt, corpus Christi non panem duntaxat,* MANIBVS *Sacerdotum tractari,* SANGVINEM *Christi in ora fumentium* INFVNDI, *non vinum tantùm: sicut in Refutatione Cacodoxi Consensus ostensum est.* Explicatio Zuinglianæ sententiæ. Corpus & sanguis Christi manibus Sacerdotum tractari, &c. Pag. 153. 18. 126. 283. 457.

Nihil verò hanc falsam διωρετικὴν formam confirmat, quòd Cœna Domini iure optimo à Luthero cibus Animæ dicitur. Etsi enim sola Anima sentit hunc spiritualem cibum, corpus minimè: non tamen propterea SOLIVS *Animæ cibus est, quod etiam Lutherus non dicit: sed ad corpus quoque pertinet, sicut Irenæus loquitur, cuius participatio corporibus nostris immortalitatem tribuit. Ad hanc igitur verborum suorum deprauationem cauendam & præueniendam, si quid aduersus morsum Calumniatoris tutum esse & satis muniri posset, addidit Lutherus: Nos* Cœna Domini quomodo cibus Animæ dicatur. Corpus Christi quomodo etiam corporis cibus.

Corpus & sanguis Christi cibus & potus TOTIVS noui hominis.

therus: Nouum hominem alens atq; corroborans. Nouus autem homo non tantùm Animam significat, sed corpus quoq; complectitur. Quamuis enim renouatio hominis à mente incipit, tamen non modò omnes potentias Animæ occupat: sed etiam membra corporis reformat, vt tanquam arma IVSTITIÆ inseruiant, sicut prius iniustitiæ subministrata sunt: vt non modò noua Mens, sed etiam nouum cor, adeoq; totus homo nouus sit, primitias spiritus accipiens, qui inchoat renouationem in hoc seculo, sed decimas in alterum seculum reseruat. Qua ratione corpus & sanguis Christi, tanquam spirituális cibus, sunt hominis spiritualis TOTIVS, *non Animæ duntaxat, sicut Hypocrita falsò loquitur.*

Deprauatio verborum Lutheri in hymno Paschali.

Non minus malitiosa deprauatio verborum Lutheri est, quæ ex Hymno Paschali recitat Opinator noster, vbi canitur, quòd Christus velit esse cibus noster, & pascere Animam SOLVS. *Vbi Hypocrita* SOLAM *pro* SOLVS *posuit. Nam sententia verborum Lutheri est, quòd Christus* SOLVS *possit Animam nostram pascere, quod sequentia verba apertè docent: quandoquidem inquit fides* NVLLAM ALIAM *vitam requirit, cum ita canit:* **Christus will die Koſte ſein / vnd ſpeiſen die Seel allein / der Glaub will keins andern lebens.** *hoc est, Christus vult cibus esse & solus cibare animam; Fides non aliam vitam requirit, quasi diceret: Cum animã nihil pascere possit, ad vitam æternam, præterquàm Christus: ideò ipse* SOLVS *vel* SOLVM *Animæ verus cibus est, nec aliã fides requirit vitam, quàm ipsum Christum, qui est vita fidei, per quàm Christus in fidelibus viuit, sicut Apostolus loquitur: viuo non iam ego, sed qui in me est, Christus, quo etiam nos viuificamur. Ex quo manifestum est, quàm laboriosa res sit impietas, quæ in simplicitate verbi Dei non vult acquiescere, sed vndiq; corradit quicquid potest, vt errorem & mendacium ornet, & pro veritate sub aliqua specie veri simplicibus & rudibus obtrudat.*

GRYNÆ-

Grynæus.

XIII.

Speramus eos, quibus non est propositum, litem ex lite serendo, Ecclesias & pias mentes turbare, παναρμονίαν, seu dulcissimum concentum, & consensum, de ijs, quę iam adduximus, ita, vt sanctos decet, non solùm iam agnoscere, & eius causa religioso affici gaudio: sed etiam pro sua tum pietate, tum doctrina, alia quoque capita, de quibus ij, qui non sunt planè ἰσχυρογνώμονες, & contumaces, non contendunt, quum erit opus, addituros esse, vt cæteri quoque experiantur, illis nihil magis esse cordi, quàm veritatem (quę scientibus facilis, ignorantibus difficilis est, Lactantij sententiâ) & charitatem (quæ Thessera est fidelium) ac optima conscientia nos quidem in toto hoc negotio, illa duo potissimùm, veluti Cynosuram Christianorum, respicere.

Transitio.

1.

2.

3.

Postulat autem instituti nostri ratio, vt pro talenti, quod nobis diuina gratia largita est, modulo, secundo loco, bona fide, indicemus, in quo potissimùm cardine, controuersia de re Sacramentaria, vertatur. Hîc verò amantissimè, tanquam in Domini vinea conserui, rogamus eos, qui diuersam à nobis sententiã profitentur, vt hoc sibi persuadeant, hanc à nobis pugnantium sententiarum Antithesin, tantùm veritatis illustrandę gratia esse institutam, (contraria enim iuxta se posita illustriora fiunt) ac nos veri studio & conscientia confirmatos, citra contumeliam ab illis dissentire: habereque nostrę erga illos beneuolentiæ, Dominum Iesum Christum καρδιογνώστην, omnium exopta-

Controuersiæ cardo.

extoptatissimum, non testem solùm, sed etiam iudicem: cuius præsentia & gratia freti, in publica Disputatione, veritatem à nostris stare partibus, nos solidè demonstraturos, confidimus.

Iacobvs andreæ.

Grynæi impudentia.

1. *Triumphum ante victoriam canit Hypocrita noster, in quo sibi ipsi blanditur, quasi vera sint, adeoq; omnibus persuasa, de quibus in præcedentibus Thesibus dixit. Qui iam non solùm agnoscant παναρμονίαν, dulcissimum consensum & concentum de ijs, quæ iam adduxerat, & eius causa religioso affici gaudio, sed propediem in reliquis capitibus ad illorum opinionem quoque accessuros esse. Arbitror autem, quanta sit vanitas & impudentia eius, satis demonstratum esse. Qui tanta mentis cæcitate à Domino propter superbum hypocriticum spiritum percussus est, vt in illis Consensum asserere audeat, in quibus cardo controuersiæ huius vertitur.*

Superba acculatio hypocritæ contra nostros tanquam turbatores piarũ mentium.

2. *In primis verò reprehensione dignum est, quòd eos, qui simplici fide verbis Testamenti Christi inhærentes, humanã & falsam glossam Zvuinglianorum, contra apertam literam in Ecclesiam DEI inuexerunt, pio zelo oppugnant, & huius erroris propugnatoribus se grauiter opponunt, tanquam Ecclesiæ & piarum mentium turbatores proclamat, qui litem ex lite serendo ἰσχυρογνώμονες peruicaces & contumaces contendant, adeoq; veritatis & pacis obliti, dulcissimum concentum & consensum perturbent.*

Epicuræa multorum opinio de cõtrouersia in cœna Domini.

Quæ calumnia tam altas in quorundam animis radices egit, vt veritatis nulla ratione habita, etiam cum eiusdem iactura certamina illa sublata optent: aut ea moderatione tractari, vt quadam ἐποχῇ Academica omnes suspensi teneantur, vtra pars rectè sentiat, iudicium Christo iusto iudici relinquendum, & interea temporis à

ris à mutuis condemnationibus abstinendum esse, ne contra pacem & charitatem Christianam facere videamur.

Verùm hac ratione Christus cum suis Apostolis, & Prophetæ, adeoq; omnes veteris Ecclesiæ pij & synceri Doctores, tanquam Ecclesiæ pacis & tranquillitatis publicæ (quod absit) perturbatores censendi erunt, & ἰσχυρογνώμονες, peruicaces & propositi tenaces, qui ad pilum aduersarijs suis Pseudoprophetis, Pseudoapostolis, Pharisæis & scribis non cesserunt. Imò Apostolus quoq; arguendus erit, tanquam ἰσχυρογνώμων, qui non solùm illis ne ad momentum quidem cesßit, qui ad explorandam libertatem Christianorum, Antiochiam venerant, quam pij habent in Christo: sed Timotheum & Titum etiam hortatur vt idem ipsi quoque faciant, & vt sint potentes & validi, vt conuincant contradicentes, & illis os obstruant. Gal. 2. 1. Timoth. 2. Tit. 3.

Et sanè filij huius seculi, qui tamen nolunt pro infidelibus & Epicureis haberi, eiusmodi Theologiam optant, & huius farinæ Doctoribus delectantur, qui cum aduersarijs non contendant, nullius doctrinam damnent, vt maximè ab eo dissentiant, sed ita, quod verum est, doceant, ne alios tamen acerbè reprehendant, ne fortè pax publica perturbetur: si quis secus fecerit, & se falsis doctoribus exposuerit, statim apud illos vir rixarum, contumax, ἰσχυρογνώμων, contentiosus audit, quibus idem accidit, quod aliâs quoq; euenire solet, vt parem gratiam reportent, qui sordes expurgant, cum illis, qui sordium & fœtoris causæ & autores sunt. Quales Doctores Theologos Epicuræi expetant.

Et huius generis homines passim in Aulis Principum reperiuntur, qui cum pietate magnam prudentiam coniunxisse sibi videntur, qui metuunt ne cœlum ruat, si falsi doctores pro meritis, à fidis ministris excipiantur, & paulò durius tractentur.

Verùm exempla Christi, Apostolorum, Prophetarum, piorumq; Doctorum primitiuæ Ecclesiæ, longè aliud faciendum esse monent, qui se falsæ doctrinæ eiusq; doctoribus, seriò, grauiter & Falsi doctores durè & grauiter corripiendi sunt.

constanter oppositerunt, eosdemque zelo pio & ardenti redarguerunt & corripuerunt. Qui eadem Hypocrisi, qua Hypocrita noster de studio veritatis, & charitate, plurima concionabantur, sub qua mendacium propagare, & piam ac sanctam pacem conscientiarum perturbare (quod commemorati Epicuræi non tanti faciunt, quanti politicam externam pacem æstimant) conabantur, quibus larua detrahenda est, vt spiritus tenebrarum in illis cognoscatur, à quo sibi deinceps alij cauere queant. Sic Dauid quoque in Psalmo loquitur: Nonné qui oderunt te Domine, oderam? Perfecto odio oderam illos. Sicut enim spiritus tenebrarum non sunt amandi, sed odio persequendi: sic quoque emissarij horum spirituum falsi doctores, iterum atq; iterum admoniti, & erroris conuicti, non resipiscentes, sed in errore pertinaciter persistentes, nequaquam amandi sed odio persequendi sunt, quibus parcere est in legem charitatis, in Deum ipsum & salutem fidelium horribiliter peccare. Non enim nostri, sed Dei & veritatis hostes sunt. Charitas inquit Petrus ex Salomone, operit multitudinem peccatorum, sed vitæ duntaxat, NON doctrinæ, quæ non tegenda aut dissimulanda, sed reuelanda, & cum suis pertinacibus Doctoribus apertè damnanda sunt. Nam, Apostolo teste, falsa doctrina, propter naturæ humanæ corruptionem, & indefessum studium Sathanæ, sicut Cancer serpit. Et quantum malum Ecclesiæ dederit, quòd non maiori studio patronis huius impietatis quibusdam in locis se quidam opposuerunt, quod facere debebant, res ipsa loquitur.

Pſal. 139.

Falſis Doctoribus non parcendum.

Charitas quousq; extendenda.

3. Vanitas Grynæi.

Cùm igitur certum sit, Hypocritam nostrum nequaquam veritatem proponere, sed errores propugnare impios, & in Testamentum atq; in personam Domini nostri Iesu Christi blasphemos: vanum est, quòd gloriatur: se optima conscientia (quæ cauteriata est, & in hypocrisi mendacium loquitur) in toto hoc negocio, ad illa duo, videlicet, ad veritatem & charitatem respicere.

Si enim

Si enim veritas illi cordi esset, in verbis Testamenti Christi simplici fide acquiesceret, quæ scientibus, per fidem, facilis est: quoniam dixit & facta sunt. Ignorantibus verò (opinione autem sua doctissimus & sapientissimus) Mysterium scrutantibus difficilis, imò accessu impossibilis est. Et huc illud de Scriptura Sacra vulgò notum & egregium dictum pertinet, quòd sit mare, in quo Agnus peditat, Elephas natat.

In Grynæo nullũ studium veritatis.

Deinde charitatem quidem Tesseram esse scimus fidelium. Cùm autem falsi & peruersi doctores non sint verè fideles, sed infideles: (hæreticus enim ab infideli hoc nomine nihil differt) qua ratione charitatem erga illos à nobis exigere audent? Dolet quidem verè pijs & fidelibus interitus Animarum etiam eorum, qui pereunt. Neque nobis ignotum est etiam inimicos diligendos, falsos autem Doctores diligere, nusquam à fidelibus in sacra scriptura Spiritus sanctus exigit. Et omnia tolerare potest charitas, præterquàm corruptelam doctrinæ cœlestis.

Nulla charitas erga hæreticos exercenda, in Doctrina dissimulanda.

Falsos Doctores nusquàm scriptura docet diligendos esse.

Quapropter obtestatio, quam hoc loco autor Disputationis ponit, hypocriticam, non pietatis & iudicij, sed malæ causæ, & pessimæ conscientiæ argumentum est, & indicium infallibile, vt qui causæ suæ diffidens, de beneuolentia sua sub inuocatione numinis Diuini, eiusque iudicij pœna erga nos, tàm solicitè & tàm magnificis verbis testatur, quos Martionitas, Eutychianos, alijsq; peruersis opinionibus imbutos esse, vociferantur Zuingliani & Caluiniani. Si enim tales sumus, quomodo quæso hos lupos conseruos in vinea Domini appellare, eosq; amare & diligere possunt? Sin verò lupi non sumus, etiam ipsorum iudicio: cur à nobis deficiunt: & calumnijs suis nos grauant?

Protestatio Grynęi Hypocritica.

Veritatem autẽ à partibus Grynæi & sociorũ eius non stare, sed subinde maiorib. & horribiliorib. errorib. inuolui & implicari,

partim in præcedentibus demonstratum est, & partim Refutatio reliquæ partis disputationis huius docebit.

GRYNÆVS.

XIIII.

De captiuitate Babyl. D. Luth p. m. I.

Intelligunt autem eruditi & prudentes viri, grauissimè & verissimè dictum ab Irenæo Martyre: Coguntur multa malè interpretari, qui nolunt vnum rectè intelligere. Id etiam in hac controuersia videre licet. Etenim, cùm semel nonnullis visum esset, pro 2. Transubstantiatione Papistica, consubstantiationem Cardinali Cameracensi infœliciter probatam, in Ecclesiam introducere: pro tuenda hac, Ecclesiæ iam longo tempore, proh dolor, funesta thesi: corpus 3. Christi corporaliter IN CVM & SVB PANE LATENS, & sanguis eiusdem IN CVM & SVB VINO, oraliter, percipiuntur ab omnibus, qui vtuntur Cœna Domini, tàm fidelibus, quàm infidelibus (quandoquidem verum, vnum & simplex est: falsum autem multiplex 4. & sibiipsi non constans) ea absurda patronis eius thesis, admittenda & propugnanda fuerunt, à quibus alioquin piæ & liberaliter institutę mentes, magnis de 5. causis maximoperè abhorrere poterant. Vt autem δόξα βιάζεται τὸ ἀλήθειαν, opinio vim facit veritati: sic 6. illa parit multa absurda: vt est videre in Cadmea the- 7. seos de consubstantiatione defensione, quæ confusionem Articulorum fidei, & alios errores peperit, & triste contentionis pomum Ecclesię obiecit.

IACOBVS ANDREÆ.

1. *Nunc demum verum certamen ingreditur Hypocrita, à dicto Irenæi exorsus; sicut Compilatores quoque Cacodoxi Zuingliano-*

glianorum & Caluinianorum Consensus quoq; fecerunt, vnde hæc sua Opinator noster desumpsit. Id quomodo in Sacramentarios rectissimè retorqueri possit, in Refutatione iam dicti consensus demonstratum est. Certamen enim est de vera, propria, & germana verborum Testamenti Christi sententia: HOC EST CORPVS MEVM: HIC EST SANGVIS MEVS: *Horum verborum literalem, vt vocant, sensum, retinuit Lutherus, nec tantillum ab illorum verborum propria & germana sententia & significatione recessit, videlicet, quòd per Pronomen (*HOC*) Christus monstrauerit panem, & dixerit:* ESSE CORPVS SVVM, *quibus verbis nihil addidit, nihil detraxit. Ad hoc verbum Christi verum, omnipotens, efficax, vt Damascenus loquitur, omnes suos auditores remisit Lutherus, huic fidem habendam, neque de eius veritate dubitandum aut quærendum: quomodo panis possit esse corpus Christi, piè & sanctè semper monuit Lutherus. Nam ex solo verbo Testamenti, de hoc Mysterio iudicandum est, quod locutus est, qui ipsa veritas est & omnipotentia.*

Fol. 1. fac. 1.

Pag. 56.

Explicatio verborum Testamenti Christi secundum Lutherum.

Hoc dum facere recusant Zvuingliani & Caluiniani, & aperte testantur, se à SCRIPTO *verborum Testamenti Christi recedere, sicut infrà Thesi 26. demonstrabitur, non modò suis interpretationibus se inuicem oppugnant, sed etiam alia quamplurima scripturæ loca, inprimis verò germanam sententiam Articulorum fidei corrumpunt & in horrendos errores delabuntur. Notum enim est Carolstadium omne præsidium opinionis suæ in vocabulo (*τοῦτο HOC*) posuisse, quo contendit, Christum non panem, sed corpus suum discumbens demonstrasse, & germanam sententiam vocabulorum (*EST & CORPORIS*) retinens. Contrà Zvuinglius verbum (*EST*) per* SIGNIFICAT *interpretatus est, contendens contra Carolstadij opinionem: Christum per Pronomen (*HOC*) non suum corpus, sed panem duntaxat demonstrasse, qui significet corpus Christi absens. Oecolampadius vtriq; contradi-*

Zvuingliani à scripto verborũ Christi recedunt.

Zvuingliani & Caluiniani suis interpretationibus seipsos oppugnant.

1. Carolstadius.

2. Zvuinglius.

3. Occolampadius. *tradicens, contra Carolstadium per Pronomen (HOC) panem, non corpus Christi significari: & vocabulum (EST) contra Zvuinglium, ὑπαρκτικῶς accipiendum contendit. Corpus autem* FIGVRAM *corporis Christi, cui sua explicatione vicissim Carolstadius & Zvuinglius contradixerunt. Accessit quartus Ioan. Caluinus,*

4. Ioan. Caluinus. *qui se his tribus opposuit, & ipsorũ interpretationem reiecit, per corpus intelligens vim & efficaciam corporis, quam instar radiorum solis è cœlo emittat. Quintus Caspar*

5. C Schvuenckfeldius. *Schvuenckfeldius Silesius cõtra iam commemoratas quatuor interpretationes, quintam sibi ex reuelatione spiritus factam inuexit, & ordinem verborum Christi inuertit, prædicatum (corpus meum) loco subiecti (HOC) & subiectum (HOC) loco prædicati (corpus) reponens, hunc verborum Christi sensum esse dixit:*

6. Discipuli Caspari Schvuenckfeldij. Trãspositio HOC & QVOD. *corpus meum* EST HOC, *videlicet spiritualis cibus. Hunc sequuntur sexto loco Discipuli C. Schvuenckfeldij, qui ad hunc modum verba Testamenti Christi exposuerunt, Accipite, manducate, quod pro vobis traditur, Hoc est corpus meum. Septimus ait: Hoc est corpus meum ad memoriam, hoc est, Accipite, manducate,*

7. Corpus pro corporis. *Hæc est corporis mei memoria, Nominatiuum corpus, per Genitiuum corporis exponendo, quod pro vobis traditur. Octauus Ioan. Campanus: Accipite, manducate, Hoc*

8. Ioan. Campanus. Corpus pro pane. *est corpus meum, vt corpus significet panem, vt sit sensus: panis quem ego do vobis, est per se corpus, non viuum & naturale meum corpus: sed mortuum inanimatum corpus, sicut lapis, lignum, corpus est. Sed quoniam panis est mea creatura, ideo etiam est meum corpus, quod ego creaui. Hos nono loco secuti Compilatores Cacodoxi Consensus,* QVOD *pro* QVATENVS *interpretantur: Hoc est corpus meum,* QVOD, *id est,* QVATENVS *pro nobis traditur. Hæc scilicet est & sibi consentiens germana verborum Testamenti Christi sententia, si Sacramentarijs credimus. Qui in hoc simul omnes contra aperta verba Testamenti*

Christi

Christi consentiunt: corpus Christi in pane cœnæ Domini non adesse. Cum autem Hypocrita hîc apertè dicat: verum VNVM ET SIMPLEX *esse: falsum autem multiplex & sibi ipsi non constans, an non proprio gladio iugulatur? Non enim vna & simplex, sed multiplex, verborum Testamenti Christi interpretatio est, quæ simul omnes se inuicem iugulant, & simul consistere non possunt: sicut nunc ostensum est. Quapropter si nihil aliud esset, vel hoc vnum pias mentes veritatis doctrinæ cœlestis amantes, à consensu Sacramentariorum deterrere debebat, qui tam monstrosè in explicatione verborum Testamenti Christi, & eorum germano sensu apertè dissentiunt, & seipsos iugulant.*

Grynæus proprio gladio iugulatur.

Neq; verò se hoc effugio tueri possunt, quòd dicunt, eòdem recidere omnes interpretationes, videlicet, duntaxat panem & vinum, non autem corpus & sanguinem Christi adesse. Sensus enim germanus ex verbis Christi eliciendus est, quod dum singuli facere tentant, alter alterius interpretationem tanquam falsam iugulat, quod Hypocrita noster negare nullo modo potest.

Effugium Sacramentariorum.

Causa verò harum diuersissimarum interpretationum apertissimorum verborum Testamẽti, rationis humanæ, quam sequuntur, cæcitas est, quod in omnium istorum fanaticorum hominum oculis & iudicio, res non solùm absurda, sed etiam impossibilis videtur, vt hæc propositio verificetur: Hoc est corpus meum, si singulorum vocabulorum germana & propria significatio retineatur. Quapropter à verbis apertis & eorum propria significatione apertè recedentes, in tàm absurdas & sibi inuicem contrarias, & secum ipsis è diametro pugnantes interpretationes delabuntur, quod euidentissimum falsitatis & erroris argumentum est.

Causa diuersarum & contrariarum interpretationum verborum Testamenti Christi.

Sed quæ audacia vel temeritas seu potiùs quæ impietas est, affirmare: per nullam potentiam Dei fieri posse, vt manente substan-

Audacia & impietas hominũ Deo se opponentium.

*substantia panis, & per Pronomen (*HOC*) demonstrato pane, vera sit hæc propositio:* HOC EST CORPVS MEVM? *An verò Deus omnipotens non est? & apud quem nullum verbum, hoc est, nulla res impossibilis est, quis modum & finem potentiæ Dei nouit? vt sic blasphemo ore illi obstrepere audeat? Hîc tota antiquitas clamat: sensus & rationem humanam captiuam ducendam in obsequium Christi: & Christi verbis simplicissima fide inhærendum, &* NVLLO MODO DVBITANDVM, *quia hoc dixerit omnipotens & verax Dei Filius: sicut suo loco illorum testimonia recitabimus.*

Lutheri doctrina simplex, firma, immota, scripto innitens.

Contra ergo omnes iam falsas & confictas interpretationes, Lutherus simplicem & literalem sententiam verborum Testamenti Christi retinuit, & omnipotentiæ Dei commisit, quomodo id verificari posset, quod verba Testamenti Christi promittunt.

Lutherus suã doctrinam nõ à Cardinali Cameracẽsi habet.

Quam sententiam non à Cameracensi Cardinali habet, sicut hoc loco hypocrita nugatur, sed verba Christi eam suppeditarunt, à quibus verbis cùm & Papistæ sua conficta transubstantiatione, & Zvuingliani sua SIGNIFICATIONE *recedant, vtriusq; partis opinionem, tanquam verbis Christi non consentientem rectè damnauit. Nam de pane, non de accidentibus panis Christus dixit: hoc* EST *corpus meum. Et non dixit: panis desijt esse panis, neque etiam dixit: Hoc significat corpus meum, sed* EST. *Quomodo autem sit, ratione humana scrutari non iussit, sed credere. Sic turissimus ibis.*

2.

Nulla consubstantiatio à nostris docetur.

Neque verò hæc consubstantiatio est, quam Luthero & eius sentẽtiæ assertoribus, Hypocrita cũ suis socijs falsò tribuit, sed præsentia corporis Christi cum pane, quæ fit in MYSTERIO, *quod captum humani ingenij omnem excedit, sicut Orthodoxi Patres piè monuerunt. Sicut enim nulla est Dei cum creaturis consubstantiatio, quibus omnibus & singulis essentialiter, suaq; essentia realiter adest: sic etiam nulla consubstantiatio corporis &*

sangui-

sanguinis Christi cum pane & vino cœnæ Domini est, quando in Mysterio adesse dicuntur, quod humani ingenij captum excedit, & cuius modus ignoratur. De quo nihil nisi verbum Christi verum, omnipotens, efficax habemus, vt Damascenus loquitur.

Quod autem FVNESTAM THESIN *appellat, quam Lutherus in Ecclesiam introduxerit: corpus Christi corporaliter,* IN, CVM, SVB PANE *latens, & sanguis eiusdem,* IN, CVM, SVB VINO *oraliter percipiuntur ab omnibus, qui veniunt cœna Domini, tàm fidelibus quàm infidelibus: imbecillitatis memoriæ Hypocritam nostrum, seu potius vulgaris dicti illius admonendum duximus:* MENDACEM OPORTET ESSE MEMOREM. *Nam infrà testatur, se in aliena scripta censoriam temerè virgulam sibi non sumpturum. Hîc verò contrarium facit, vbi & nomen Lutheri & scripta eius, de captiuitate Babylonica, ad marginem annotauit, contra quod superbo supercilio, & authoritate iudicandi, censoriam virgam suam temerariam & indoctam vsurpat. Quod tamen in eo minus culpandum esset, si modò verum diceret.*

Nam quod ad hanc Thesim attinet, neq; à Cardinali Cameracensi in Ecclesiam introductam, sed ab Orthodoxis Patribus 1200. *annis constanter assertam, priusquàm Thomistica & Aristotelica illa Scholasticorum Theologia de Transubstantiatione nota esset, certum est. Quemadmodum etiam particulæ* IN, SVB, CVM PANE, *non à Luthero aut Lutheranis, vt vocant, excogitatæ sunt, sed ab Orthodoxis Patribus vsurpatas esse in Cacodoxi Zuinglianorum & Caluinianorum Consensus Refutatione, apertè demonstratum est. Corpus enim Christi* IN, SVB, CVM *pane in Eucharistia præsens esse, idque omnipotenti Spiritus sancti virtute effici, supra naturam, omnes Orthodoxi Patres vno ore & vnanimi consensu docent. Quod autem Hypocrita assertionem de Reali præsentia corporis*

Lutherus nouam doctrinam in Ecclesiam non inuexit.

Pag. 299.

& sanguinis Christi, ex eo falsam esse concludit, cùm verũ, vnum & simplex: falsum autem multiplex & sibiipsi non constans sit, quòd alij transubstantiationem, alij consubstantiationem docuerint. Respondeo, prorsus nullum certamen de præsentia corporis & sanguinis Christi fuisse, sed de panis duntaxat substantia & permanentia. Contrà verò manifestæ falsitatis conuicti sunt Sacramentarij, qui nouencuplicem interpretationem verborum cœnæ Domini confinxerunt: quod erroris euidentissimum argumentum est, & infallibile spiritus vertiginis indicium.

Vsq; adeò verò his particulis, IN, SVB, CVM *pane, non addictus fuit Lutherus, vt in Maiore de cœna Domini confessione expressè testatus sit: de his se nolle cum quoquam contendere, modò quis ingenuè & candidè fateatur, non solùm panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem Christi verè & Realiter adesse, distribui, & sumi ab omnibus, qui in cœna, panem & vi-*
» *num accipiunt sacratum. Eius verba sic sonant: [Quod autem*
» *mendax ille spiritus nobis imputat, nos ipsos à forma verborum*
» *Christi recedere, nec vnam & eandem retinere sententiam, cùm*
» *dicamus: hæc verba: (*HOC EST CORPVS MEVM*)*
» *ita intelligenda,* SVB *pane est corpus meum, vel,* IN
» *pane est corpus meum, & sic nos inter nos ipsos dissentire. Re-*
» *spondeo. Mendax ille spiritus nouit, nobis hîc luculentam iniu-*
» *riam fieri, & hæc in nos euomere, vt nos in odium aliorum ad-*
» *ducat & exosos reddat, & mendacium apud suos palliat. Opti-*
» *mè enim nouit, nos acriter pro his verbis (Hoc est corpus me-*
» *um) dimicare, & illorum verborum sententiam, prout verba*
» *sonant, simplicissimè intelligendam esse, neque ex vno textu va-*
» *rias comminiscimur interpretationes, sicut ipsi.*

» *Hoc quidem dixi in meo libello, illos qui hac vsitata loquendi*
» *formula vtuntur:* SVB *pane est corpus Christi, vel, In pane est*
» *corpus Christi, non damnandos esse, propterea, quòd his verbis*

suam

suam testentur fidem, Christi corpus verè in cœna præsens esse. "
Inde verò nullum nouum comminiscuntur textum, nec volunt "
hæc ipsorum verba & phrasin, ipsum textum esse, sed textum "
Christi mordicus retinent. Etenim Paulus ipse inquit, Christus " Rom 9.
est Deus. Et rursus: Deus erat in Christo, & tamen ambo hi loci " 2. Cor. 5.
in sua significatione certissimi & verissimi sunt, nec sibi inuicem "
contrarij. Sed Suuermerorum textus uno in loco sibi ipsi contra- "
rius est &c. Quòd si verò ita insidiosè nobiscum agere voluerint, "
& calumniari, ipsum verborum Christi contextum (Hoc est cor- "
pus meum) nostram interpretationem ferre non posse, plurimum "
enim referre, vt sententia horum verborum mordicus retinea- "
tur, nec ferre voluerint, vt alibi dicamus: In cœna est corpus "
Christi: parati sumus hæc omnia & recantare & retractare, nec "
hisce vocabulis amplius vtemur, sed simplicissimè dicemus, Hoc "
est corpus meum, sicut ipse textus sonat, Modò illi idem agant "
& consentiant. Neque verò vllus piorum ad hæc verba nos ita "
alligabit, vt in omnibus sermonibus & colloquijs, in quibus de "
cœna Domini verba fiunt, mordicus his verbis (Hoc est cor- "
pus meum) inhæreamus, neque aliter loqui liceat, cùm, vbi de "
cœna agitur, nos textum, prout simplicissimè verba sonant, obser- "
uabimus, modò nobis extra negotium cœnæ Dominicæ permise- "
rint loqui, In pane, cum pane, sub pane est corpus Christi, Item: "
In cœna corpus Christi verè præsens ade st.] Hactenus verba "

Lutheri. Vsque adeo autem D. Lutherus suæ doctrinæ, neque Lutherus suam doctrinã de cœna Domini non à Cardinali Cameracẽsi habet.
Cameracensem, neq; vllum alium Doctorem Ecclesiæ autorem
habere voluit, quorũ autoritate se à nouitatis crimine vindicare
potuisset: vt in dicto libro de captiuitate Babilonica, ad solũ DEI
Verbũ lectorẽ remiserit. Eius verba sic sonãt: [Sed ne nimiũ phi In Tom. Ihen. lat. 2. fol. 278.
losophemur. Nonné Christus videtur huic curiositati pulchrè oc-
currisse, cùm non de vino dixerit: Hoc est sanguis meum, sed:

„ *Hic est sanguis meus. Et multò clarius, cùm calicis miscet no-*
„ *men, dicens: Hic calix noui Testamenti in meo sanguine. Non-*
„ *né videtur nos voluisse in simplici* FIDE CONTINERE, *tan-*
NB. „ *tùm vt crederemus, sanguinem suum esse in calice? Ego sanè si*
„ *non possum consequi, quomodo panis sit corpus Christi, capti-*
„ *uabo tamen intellectum meum in obsequium Christi, &* VERBIS
„ EIVS SIMPLICITER INHÆRENS, *credo firmiter: Non*
„ *modò corpus Christi esse in pane, sed panem esse corpus Christi,*
„ SIC ENIM ME SERVABVNT VERBA, *vbi dicit: Accepit*
„ *panem, gratias agens, fregit & dixit: Accipite, manducate,*
„ HOC (*id est, panis, quem acceperat & fregerat*) *est corpus meum.*
„ *Et Paulus: Nónne panis quem frangimus, participatio corpo-*
„ *ris Christi est? Non dicit:* IN *pane est: sed ipse panis est par-*
„ *ticipatio corporis Christi. Quid si Philosophia hæc non capit?*
„ *Maior est Spiritus sanctus, quàm Aristoteles. Nunquid capit*
„ *Transubstantiationem illorum? cùm & ipsi fateantur, hîc vni-*
„ *uersam Philosophiam ruere? Quòd autem in Græco & Latino*
„ *Pronomen* (HOC) *ad corpus refertur, facit similitudo generis,*
„ *sed in Hebræo, vbi Neutrum genus non est, refertur ad panem,*
„ *vt sic liceat dicere:* HIC EST CORPVS MEVM, *quod &*
„ *ipse vsus loquendi & sensus communis probat, subiectum scilicet*
„ *esse mo stratiuum panis & non corporis, dum dicit: Hoc est cor-*
„ *pus meum,* **Das ist mein Leib/** *id est, Iste panis est corpus*
„ *meum. Sicut ergo in Christo se res habet, ita & in Sacramento.*
„ *Non enim ad corporalem inhabitationem Diuinitatis necesse est*
„ *Transubstantiari humanam naturam, vt Diuinitas sub acciden-*
„ *tibus humanæ Naturæ teneatur. Sed integrâ vtrâque Naturâ*
„ *verè dicitur: Hic homo est Deus. Hic Deus est homo. Quod*
„ *etsi Philosophia non capit, fides tamen capit.* ET MAIOR EST
NB. „ VERBI DEI AVTORITAS, QVAM NOSTRI INGENII
„ CAPACITAS. *Ita in Sacramento, vt verum corpus, verus q.*

sanguis

sanguis sit, non est necesse, panem & vinum transubstantiari, "
vt Christus sub accidentibus teneatur: sed vtroq; simul manente, "
verè dicitur: Hic panis est corpus meum. Hoc vinum est san- "
guis meus, & è contrà. SIC INTERIM SAPIAM PRO HO- " NB.
NORE SANCTORVM VERBORVM DEI, *quibus* PER "
HVMANAS RATIVNCVLAS NON PATIAR VIM FIE- "
RI, *& ea in alienas significationes torqueri.*] *Hactenus ver-* "
ba Lutheri. Ex quibus pius Lector facilè videre potest, humanam ne Cameracensis, vel vllius alterius interpretis, aut Diuinam Christi autoritatem & verba sit secutus Lutherus. Qui nullam VIM *vult fieri verbis Christi, opinione aut ratiunculis humanis, sed docet his, tanquam Dei verbis, inhærendum. Quamuis enim ratio & Philosophia hæc non capiat, maiorem tamen esse Spiritus sancti, quàm Aristotelis autoritatem: & maiorem verbi* DEI *autoritatem, quàm nostri ingenij capacitatem.*

Lutherus Diuinā non humanam autoritatem secutus.

Auscultа Grynæe.

Potuisset ergo superbus & inflatus Hypocrita noster suam virgam censoriam in doctrina & scriptis Lutheri condemnandis tam diu suspendere, donec dedicisset, Lutherum suam de cœna Domini doctrinam non à Cardinali Cameracensi didicisse, sed ex verbis apertissimis Testamenti Christi hausisse. Etsi enim quondam, cùm Theologiam Scholasticam tractaret, Cardinalem Cameracensem lib. 4. sententiarum acutissimè disputantem, occasionem sibi dedisse dicit Lutherus COGITANDI, *multò probabilius esse, & minus superfluorum miraculorum poni, si in Altari verus panis verumq; vinum, non autem sola accidentia esse astruerentur, nisi Ecclesia determinasset contrarium: non tamen illius autoritatem secutus est, sed fidem piorum in hoc Mysterio,* SOLO DEI VERBO, *sicut in omnibus alijs partibus doctrinæ Christianæ, niti voluit: [Est autem inquit,* MEÆ SEN- " Ibidem.
TENTIÆ RATIO MAGNA, *inprimis illa,* QVOD VER- " Fol. 277.
BIS DIVINIS NON EST VLLA VIS FACIENDA, *neque* "

Quomodo Cardinalis Cameracēsis Luthero occasionem dederit.

„ *per hominem, neque per Angelum, sed quantum fieri potest,* IN „ SIMPLICISSIMA SIGNIFICATIONE SERVAN- „ DA SVNT. *Et nisi manifesta circumstantia cogat,* EXTRA „ GRAMMATICAM ET PROPRIAM SIGNIFICATIO- „ NEM ACCIPIENDA NON SVNT, *ne detur aduersarijs* „ *occasio vniuersam scripturam eludendi. Quo consilio rectè Origenes olim repudiatus est, &c.*]

4. *Hæc verba Lutheri diligenter si expendisset Hypocrita noster, vel legisset saltèm, Luthero & qui cum ipso faciunt, sua superba censoria virga minimè illud tritum & vulgatum obiecisset,* δόξα βυάζεται τῷ ἀληθείᾳ, *Opinio vim facit veritati. Cum enim verbum Dei sit veritas, Ioan. 17. huic soli veritati Lutherus vult inhærere omnes pios, nec* VLLAM EI FIERI VIM, *neq; per* HOMINEM: *Zvuinglium, Oecolampadium, Carolstadium, C. Schvuenckfeldium, Caluinum, Campanum, Thomam, Scotum. Neq;* PER ANGELVM, *qui Zvuinglio per somnium reuelauit verbum (*EST*) in Testamento Christi, per (*SIGNIFICAT*) interpretandum esse.*

Lutherus non fecit vim veritati.

5. *Quòd verò Hypocrita dicit: Patronis huius doctrinæ, ea absurda admittenda & propugnanda esse, à quibus piæ & liberaliter institutæ mentes, magnis de causis maximoperè abhorrere poterant, quæ opinio confusionem articulorũ fidei, & alios errores pepererit, adeoq; triste contentionis pomum Ecclesiæ obiecerit: Respondeo, eiusmodi absurda esse, quæ in sensus humanos, & cæcum humanæ rationis & captus iudicium incurrunt, quæ pij homines non attendunt, sed in verbum Dei respicientes,* νόημα *& intellectum suum in obsequium Christi captiuum ducunt.* PERLIBERALITER *autem* INSTITVTOS, *si Hypocrita intelligat, in Mathematica & humana Philosophia eruditos, qui nihil credunt, quod Philosophicis principijs repugnat: mirum non est, quòd in doctrina de hoc Mysterio à nobis dissentiant.*

Absurda à Zvuinglianis obiecta.

Absurda rationis non fidei in Mysterijs Sacramentorum.

Liberaliter instituti Discipuli Grynæi qui sint.

Quin

Quin potius mirum eſt, ſi vllum Articulum fidei credant, & amplectantur, quin pariter omnes rationi humanæ eiusque iudicio repugnant. Quæ autem abſurda quæſo ſunt alia, quàm illud vnum: Si corpus Chriſti ſimul in cœlo & in terra præſens eſſe dicatur, non poſſe eſſe verum & Naturale corpus: ſicquidem iuxta Ariſtotelis doctrinam, corpus verum & Naturale non poteſt ſimul & ſemel in pluribus aut omnibus locis eſſe præſens. Hoc vnum abſurdum eſt totius Zvuinglianæ hæreſeos fundamentum vnicum, ſicut Lutherus verè de illis ſcripſit, ex quo deinceps, pro liberali ſua inſtitutione hypocritica, infinita alia, tanquam ex equo Troiano producunt. Verùm ſi Ariſtoteles viueret, peſſimam ab illo gratiam accepturi fuiſſent: quòd extra fines profeſſionis ſuæ, principia Philoſophiæ naturalis, ad cœleſtem illam & Diuinam Philoſophiam ſophiſticè transferre audeant. Ariſtoteles enim de corpore hominis Naturali duntaxat diſputat, qui corpus DEIFICATVM IGNORAVIT. *Cuius aliæ ſunt proprietates & conditiones reſpectu aliorum hominum, quàm corporis duntaxat naturalis. Quod ſi credidiſſet, corpus Chriſti nequaquam proprietatibus duntaxat corporis naturalis metitus eſſet. Illiberalis ergo minimeque liberalis inſtitutio eſt Gryneiana illa, qua cœleſtia terreſtribus, & Diuinam Philoſophiam humanæ ſubijcere docet. Quod Hypocritam noſtrum facere infrà perſpicuè oſtendemus, vt maximè id facere minimè vult videri.*

Zvuinglianæ doctrinæ opinionis de cœna Domini fundamentum vnicum.

Abuſus Philoſophię Ariſtotelicæ.

Inſtitutio Grynæiana illiberalis.

De confuſione Articulorum fidei, quod loquitur Hypocrita, quæ ex aſſertione doctrinæ Lutheri ſequatur, ad ea omnia copioſè & ſolidè in Refutatione Cacodoxi Conſenſus Zvuinglianorum reſponſum eſt, vbi etiam de quibus hîc nugatur Hypocrita, omnia diligenter expoſita & confutata ſunt, quò pium lectorem breuitatis cauſa remitto.

Confuſio Articulorum fidei ex doctrina Lutheri non ſequitur.

Pag. 33.59.60.61.

Singu-

Simplex, propria, germana sententia articulorum symboli de Christo.

Singulos enim Symboli Apostolici Articulos, in simplici propria & germana sententia retinemus de Christo Dei Filio, quòd per incarnationem non putatiuam aut phantasticam, vt Martionitæ somniarunt, sed veram humanam Naturam, ratione substantiæ & essentiæ atq; etiam essentialium proprietatum, excepto peccato, nostræ Naturæ per omnia similem, in vnitatem suæ personæ assumpserit, secundum quam verè & non putatiuè sit passus, crucifixus, mortuus, sepultus, resurrexerit, ascenderit ad cœlos, sedeat ad dextram Patris, vnde ad iudicium rediturus sit.

Quomodo per doctrinam de exaltatione Christi Articuli symboli non confundantur.

Quando autem docemus, assumptam Naturam per incarnationem in vtero Matris SVMME EXALTATAM, *adeo quidem, vt post resurrectionem altius exaltari non potuerit, nequaquam errorem docemus, vel Articulum incarnationis cum Articulo de sessione ad Dexteram Dei confundimus. Deum enim altissimum esse, adeoq; ipsis cœlis altiorem, nemo sanus negabit.*

Caro Christi, per vnionem personalem in vtero Matris summè exaltata.

Vnde sequitur, carnem assumptam, quia cum altissimo Deo personale vnum facta est, eoq; ipso summè exaltatam, atq; ipsis cœlis altiorem factam esse, de quo in Epistola ad Hebr. cap. 7. Quia verò propter redemptionẽ generis humani hanc Maiestatẽ vsq; ad resurrectionem carnis forma serui assumpta texit, post resurrectionem hac forma serui deposita, ad Dexteram virtutis & Maiestatis collocatus, hoc est, vt Apostolus interpretatur,

Rom. 1. Christus post resurrectionem declaratus est, Non factus Filius Dei aut Dominus.

declaratus est Filius Dei potenter, secundum spiritum sanctificationis per resurrectionem à mortuis, Iesus Christus Dominus noster. Non enim post resurrectionem demum cœpit esse, aut factus est Filius Dei, Mariæ Filius Iesus Christus, sed declaratus est, qui erat à puncto conceptionis suæ: Declaratus inquam, quia consedit ad Dexteram virtutis & Maiestatis Dei. Sedere autem

Sedere quid in Articulo Symboli Apostolici significet.

iuxta Grammaticam Spiritus sancti, hoc loco non significat locationem physicam, sicut Zuingliani somniant, in supremo cœlo:

cælo: sed significat REGNARE CVM DEO vbiq; in cælo & in terra. Quo regno Christus Iesus Filius Mariæ se abdicauerat, donec genus humanum redimeret, non quòd non haberet (nam quod quis non habet, eo abdicare se non potest,) sed quia non ostentauerat & vsurpauerat, quod tamen habebat, cum in forma Dei esset, & non rapinam arbitraretur, se esse æqualem Deo, Phil. 2. Sic vtroq; Articulo, videlicet per incarnationem & sessionem ad Dexteram Dei, Christo homini tribuitur Maiestas sine omni confusione Articulorum Symboli, quarum altera δυνάμει, hoc est, potentia, altera verò actu definitur, vt scholæ loquuntur. Sic infans in cunis iacens, potentiâ rationalis creatura est, vt maximè beneficio rationis non possit vti, qua ratione pulli gallinarum infantes superant, quòd statim, postquam ex ouo prodierunt, cibum & pulueres discernere possunt, quod infans non potest. Nec postquam adoleuerit INFANS, aliam mentem vel Animam acquirit, sed numero vna est Anima, quam infans habuit, qua tamen nunc demum actu intelligit: sic Christus non simulauit formam serui, qua alijs infantibus similis fuit: nec simulauit se proficere sapientia: sed propter depositum vsum Maiestatis spontaneum, reuera & actualiter profecit coram Deo & hominibus: & post resurrectionem acquisiuit, quod secundum carnem seu assumptam naturam humanam prius actu non habebat Dominium & Regnum, sed potentiâ tantùm. Non autem necessitate Naturæ, sicut Infantes, sed voluntate sua, vt non simulata humiliatio, passio, & mors eius esset, sed vera & Realis, quibus etiam non simulatè sed verè & Realiter redempti sumus.

Quomodo Christus se regno abdicauerit.

Maiestas Christo homini dupliciter collata dicitur.

Simile de infante.

Similitudinis applicatio ad personam Christi.

Hæc cùm ita se habeant, inde petulans & malitiosum figmentum Zuinglianorum & Caluinianorum conspici potest, quòd nobis hoc loco Hypocrita noster de confusione Articulorum fidei, & erroribus obijcit, quos inde falsò colligunt & contra conscientiam nostris tribuunt.

7. Calumnia de Cadmea defensione doctrinæ Lutheri.

Nomine Cadmeæ defensionis huius doctrinæ Lutheri, de qua hîc Hypocrita loquitur, eamq; sine contumelia, spiritu lenitatis scilicet, Vipera venenatissima, exagitat, dissensionem vetat, quam nostris obijciunt, quòd omnes quidem in eo consentiant: corpus & sanguinem Christi, cum pane & vino adesse, sed alios tantùm ex verbis Testamenti Christi pugnare, nec certamen de Maiestate Christi ingredi, sed simplicissimis verbis Testamenti Christi contentos esse, quæ nulla humana glossa indigeant: Alios verò ex hac ipsa Maiestate demonstrare, nulla necessitate nos vrgeri, vt à simplici sententia verborum Testamenti Christi recedamus. Ad quod simpliciter respondemus. Quisquis simplicissimis & apertissimis verbis Christi simpliciter fidem habet, & à sententia literæ, seu SCRIPTO *verborum, non recedit: cum eo nemo in defensione huius doctrinæ litigabit, si vlteriorem probationem assertionis suæ non requirat. Quod Lutherum quoq; facturum fuisse constat, nisi importunitate aduersariorum adactus, probandum sibi instare vidisset, posse Deum efficere, vt corpus Christi simul & semel sit in pluribus locis præsens, quod duobus grauissimis scriptis Polemicis, altero de verbis cœnæ, altero de ipsa cœna, Maiore videlicet Confessione præstitit. Vbi doctrinæ suæ fundamenta talia posuit, aduersus quæ portæ inferorum non prævalebunt. Quod autem quidam de Maiestate Christi disputant, peculiaris est Symboli Articulus, cuius fides non minus ad salutem necessaria est, quàm fides Sacramenti.*

GRYNÆVS.

XV.

De capitibus igitur, quæ superiùs à nobis adducta sunt, & si ita vt dictum est, hactenus conuenit: tamen cum non satis sit fidem voce duntaxat confiteri, ni-

teri, nisi rectè eam quoque interpreteris, vt olim Synodus Ephesina ad Nestorium scripsit: FATENDVM EST, de quorundam verborum explicatione, seriam esse controuersiam, quæ vt à pijs omnibus prudenter dijudicari possit: pollicemur nos κεφαλαιωδῶς acturos, primùm de Sacrosancti istius conuiuij causis & circumstantijs quibusdam: Deinde verò de fundamentis aduersariarum sententiarum, eorumque æstimatione. Faxit Christus, vt ea tantùm quæ vera sunt, vt proinde paci Ecclesiæ seruiunt, rectè profiteamur.

IACOBVS ANDREÆ.

Quemadmodum Hypocrita vanitatem suam in eo prodit, quòd impudenter affirmat, de capitibus suprà adductis hactenus conuenire, in quibus ferè omnibus dissentire partes controuertentes, apertè demonstraui: sic in sequentibus lectori libenter persuaderet, controuersiam magis DE QVORVNDAM VERBORVM INTERPRETATIONE, *& explicatione, adeoque λογομαχίαν potius, quàm certamen de rebus ipsis esse. Quod Compilatores Cacodoxi consensus, vnde Hypocrita noster pleraque suæ Disputationis capita desumpsit, haud obscurè indicant. Quæ si seria ipsorum sententia est, modis omnibus grauiter reprehendendi essent, quòd propter rem tam leuem, vt ipsis videtur, vbi magis de verbis quàm rebus ipsis contendatur, tantas turbas in Ecclesia excitent, quæ prius in simplicitate fidei quieta & tranquilla fuit.*

Grynæi vanitas.

Zuingliani controuersiam Sacramentariam in λογομαχίαν conuertunt.

Ac ne quis de vanitate Hypocritæ dubitet, seipsum eius arguit & conuincit, cùm in hac Thesi apertè fatetur, non satis esse fidem duntaxat voce confiteri, nisi rectè quoq; eam interpreteris.

Vanitas & malitia Grynæi.

Quod si verum est, sicut est, qua fronte ausus est dicere, consensum in illis CAPITIBVS *doctrinæ esse, in quibus verbis duntaxat ijsdem cum synceris doctoribus seductores Zuingliani & Caluiniani utuntur, sub quibus suum venenum & damnatos errores occultant? Aut si ingenuè agere voluisset Hypocrita, cur non addit in verbis duntaxat consensum esse, sed in rebus ipsis dissentire?*

Zuingliani & Caluiniani sunt Nestoriani.

Nestorij hæresis.

Rectè autem, & in loco, Nestorij, & Synodi Ephesinæ meminit, cùm eundem errorem cum Nestorio, Zuingliani & Caluiani manifestè profiteantur. Nam sicut Nestorius ore quidem confessus est: Christum Mariæ Filium, verum Deum esse, negauit autem Mariam Dei matrem & Deiparam, aut Iudæos Deum crucifixisse: Noli, inquit, gloriari Iudæe, quia non Deum, sed hominem crucifixisti. Vnde Synodus Ephesina permota, Nestorium separationis & diuisionis naturarum in persona Christi accusauit, & hæreseos rectè damnauit, vt qui duas personas in Christo constitueret, alteram hominẽ à Maria natum, & à Iudæis crucifixum: alteram Deũ non à Maria natũ, neque à Iudæis crucifixum, nulla ratione habita, quòd VNAM SINGVLAREM PERSONAM *in Christo confiteretur: sic Zuingliani & Caluiniani, etsi nobiscum fatentur, Christum hominem, Mariæ Filium, omnipotentem, omniscientem, omnipræsentem, tamen cùm eò peruentum est, vt quæratur: An huius diuinæ Maiestatis, quæ Filij Dei propria est, assumpta Natura humana,* REIPSA *particeps quoque facta sit, non minus apertè negant, quàm Nestorius negauit, Iudæos Deum crucifixisse: eamq; in æternum eius participem fieri posse, blasphemo ore pronunciant. Qua ratione & ipsi in Christo Naturas separant & duas personas constituunt. Alteram omnipotentem, alteram multipotentem. Alteram omniscientem, alteram multa scientem. Alteram omnipræsentem, alteram in vno duntaxat loco præsentem. Quo nomine,*

Zuinglianorum hæresis.

Zuingliani in Christo naturas separant.

ipso

ipso Nestorio deteriores sunt. Nam proprietates humanitatis (quales sunt, à muliere nasci, à Iudæis crucifigi, bimestrem, trimestrem esse) Filio Dei indignas, eiusq; Maiestati diuinæ derogare arbitratus est. Ideo dixit: Deum bimestrem & trimestrem nunquam dicam. Zuingliani verò & Caluiniani, Christo Filio hominis, Maiestatem diuinitatis, ad quam ad Dexteram Dei, iuxta Articulum fidei nostræ Christianæ, exaltatus est, detrahunt, eiq; duntaxat creata & finita dona tribuunt, & ab infinitis donis prorsus excludunt. Qua ratione etiam personam Christi, cum Nestorio apertè diuidunt, & duas personas constituunt, vt maximè glorientur, se in Christo vnam personam & vnum ὑφισάμενον asserere, quod Nestorius quoque fecit, sicut ipsius epistolæ aperta verba sonant: Quoniam enim Christus memoriam mortis facturus erat, ne Deum Verbum ex hoc quisquam passibile suspicetur, ponit Christũ tanquã IMPASSIBILIS & PASSIBILIS SVBSTANTIÆ, IN SINGVLARI PERSONA *appellationum significatiua, quatenus & impassibilis Christus, & passibilis sine periculo vocetur. Impassibilis quidẽ Deitate, passibilis aũt corporis Naturâ. Et paulò pòst: In quo naturarũ quidẽ laudabam diuisionem (diuisionis vocabulum pro distinctione positum sequentia quoque verba docent) secundum humanationis & Deitatis rationem,* ET EARVM IN VNIVS PERSONÆ CONIVNCTIONEM, *& Deum Verbum, secunda ex muliere dicerent non eguisse natiuitate, & passionis incapabilem profiteri Deitatem. Hactenus Nestorij verba, ex ipsius epistola Tom. Concil. 2. pag. 662. descripta. Ex quibus constat, quòd eundem prorsus cum Zuinglianis & Caluinianis errorem de persona Christi sic professus.*

Zuingliani quo modo Nestorio deteriores sint.

Confessio Nestorij de persona Christi Zuingliana.

Quòd autem controuersiam hanc à pijs prudenter dijudicandam optat, ne fortè Hypocritæ nostro calumniari videar, ἐποχὴ Academica, seu potius fide Zuinglianorũ doctorum, ad tempus meum

Controuersia Sacramentaria, qua prudentia dijudicãda sit iuxta Grynæi opinionem.

*meum iudicium ſuſpendam, donec Hypocrita noſter exponat, quid per vocabulum (*PRVDENTER*) intelligat. Non enim ignorat, duplicem prudentiam eſſe. Alteram carnis, politicam illam, de qua Ariſtoteles in Ethicis agit, qua omnia ſecundum iudicium rationis humanæ geruntur,* QVAM AD OPTIMA INCLINARE, ARISTOTELIS REGVLA EST PERPETVA: *Alteram Eccleſiaſticam ſeu Chriſtianam,* QVÆ VERBO DOMINI REGITVR. *Si igitur Hypocrita noſter intelligit prudentiam carnis nobis agnatam, quod illum facere infrà docebimus, toto cœlo errat. Sin verò de ſpirituali prudentia loquitur, longè aliter illam accipit, quàm Apoſtolus Paulus intelligit, qui iubet etiam Regeneratorum νόημα captiuum ducere in obſequium Chriſti. Sed haud dubiè Hypocrita eô reſpicit, vt pij homines tanquã prudentes, & lumine* RATIONIS HVMANÆ *perſpicientes, principium Philoſophicum* DE VERITATE HVMANI CORPORIS *conſiderent: Quòd verum & Naturale corpus, ſimul & ſemel non poſſit eſſe in pluribus locis. Cuiuſmodi corpus cum Filius Dei in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumpſerit, iudicant carnales illi homines, qui ſpiritualiſſimi videri volunt, corpus Chriſti ita naturales ſuas proprietates retinuiſſe, vt nullas inſuper & longè illis excellentiores nouas acquiſiuerit, quod falſiſſimum eſſe ſuprà docui, & Refutatione Conſenſus Cacodoxi demonſtratum eſt. Quantum enim diſcrimen eſt inter corpus Animatum & Deificatum: tantum differt corpus Chriſti à corporibus noſtris. Quanta autem temeritas & audacia, ne dicam impudentia, & impietas eſt, corporis Deificati propria, non ſolùm corporis animati proprijs ſubijcere, ſed etiam apertè negare? Non enim ignorat, aut ſaltem non ignorare debebat Hypocrita noſter, tanquã Philoſophiæ Naturalis ſtudioſus (in qua tamen fortaſſis tàm nihil didicit in Academia noſtra, quàm in Theologia, cuius errorum, quos animo conceptos ad nos fortaſſis attulit,*

Pag. 329. 72. 94. 190. 297. 317. 459. 629. 566.

Excellentia corporis Chriſti reſpectu noſtrorũ corporũ.

Grynæus Philoſophiæ Ariſtotelicæ ignarus.

tulit, confirmandi causa etiam ad nos accessit) quæ propria sunt Animæ, corpori animato, per essentialem vnionem Animæ cum corpore communicata esse. Si igitur cum Gregorio Nazianzeno & Damasceno, corpus Christi Deificatum esse credit: qua ratione, aut quo colore Realem proprietatum Deitatis communicationem assumptæ Naturæ factam negabit? Quod cùm prudentia humana in persona Christi intelligere non possit, nec credere velit: an Hypocrita noster non victoriam sibi polliceri posset, si pij iuxta ipsius opinionem PRVDENTER, *hoc est, ductu rationis & Philosophiæ humanæ, in hac controuersia iudicent? Hinc adeò fit, vt prudentes & sapientes iuxta carnem, maximè Zvuinglianorum, & Caluinianorum doctrinâ delectentur, eamque amplectantur. De quibus Apostolus: Non multos sapientes secundum carnem: verùm, quæ* STVLTA *sunt in mundo, elegit* DOMINVS, *vt pudefaciat sapientes. Quod non solùm intelligendum est de illis, qui sunt extra Ecclesiam, & professi Christiani nominis ac doctrinæ Christianæ hostes: sed de illis quoque, qui in cœtu Ecclesiæ versantur, & laude ingenij ac doctrinæ commendari sunt, qui haud ita pridem de religionis Christianæ veritate dubitare cœperunt, quòd eius dogmata cum iudicio rationis & sensuum apertè pugnent. Hinc adeò factum est, & adhuc fieri videmus, cùm prætextu & nomine Euangelij impietas Zvuingliana venditetur, quòd maximum applausum habeat: cui deinceps nulla aut difficili ratione, medela adhiberi potest. Quo enim semel imbuta est recens, seruabit odorem,* TESTA DIV.

Cur eruditi & ingenioſi Caluiniano-rum dogma præ alijs amplectãtur.

1. Cor. 1.

Et duæ efficacissimæ causæ, in errore semel sub Titulo verbi Dei suscepto concurrunt, Diabolus, pater Mendacij: & deprauata ac corrupta Natura humana, quæ in rebus Diuinis cæca, & DEO *inimica est. Ideo mirum non est, quòd passim doctrinam veritatis sitientes, etiam piæ mentes sub Euangelij nomine sibi hunc errorem persuaderi patiuntur, de quo nunquam*

Cauſę erroris Caluiniani & Zvuingliani efficaciſſimæ duæ.

nunquam cogitarunt. Quæ fortassis causa quoque fuit, quòd Hypocrica noster κεφαλαιωδῶς sibi agendum existimauerit, ne fortè & malam causam, & pessimam conscientiam magis prodat, si accuratam totius negotij explicationem suscepisset ac promisisset. Nam bonâ vel illæsâ conscientiâ hanc causam agere Hypocritam nemo bonus, & huius controuersiæ mediocriter intelligens credere, aut saltem opinari potest &c.

Sequemur autem & nos ordinem in refutando, quẽ aduersarius in erroribus suis asserendis secutus est &c. Qui duo potissimùm capita complectitur. Alterum de Sacrosancti huius conuiuij causis & circumstantijs quibusdam. Alterum de fundamentis nostræ doctrinæ, & eorum æstimatione. Et faxit Christus, cum demonstrauerimus ea minimè vera esse, quæ & verbis Christi & doctrinæ nostræ contraria sunt, & paci Ecclesiæ minimè seruiunt: aduersarius de his admonitus, abijciat, & porrò Ecclesias & scholas sua hypocrisi perturbare desinat.

GRYNÆVS.

XVI.

Συζυγία & collatio externi & interni ministerij.

Quum autem pijs rectè iudicantibus valdè probetur illa amabilis, & Verbo Dei modis omnibus consentanea Συζυγία & collatio Ministerij externi & interni: Rei terrenæ & cœlestis: Hominis externi & interni seu noui: Oris animæ & corporis, eius sententiam breuiter exponemus.

Quemadmodum in Baptismo (in quo Christo inserti coaluimus, Rom. 6.5. & Christum induimus, Gal. 3. 27.) Minister externus aqua corpus perfundendo aut immergendo, abluit: Christus Iesus autem, cuius est adiunctum proprium spiritu & igni baptizare, Matth. 3. 11. sanguinis sui aspersione, corda nostra expiauit

expiauit & sanctificauit: vt iam nostri muneris sit, nouâ vitâ ambulare. Rom. 6. 4. sic etiam in sacra cœna, Minister externus, homini externo, panem vinumque Domini, hoc est, Sacramenta, ore corporis percipienda, manu sua porrigit: Pater autem cœlestis, homini interno seu nouo, panem illum verè cœlestem, qui dat mundo vitam, hoc est, corpus & sanguinem Christi, Ioan. 6. 32. ore animæ percipiendum, verè exhibet, vt videlicet eundem viuificet.

Enimuerò si, vt scitè dixit alicubi Chrysostomus, natura nostra tota spiritualis esset, instar Angelicæ: non nisi spiritualia dona nobis in mysterijs istis exhiberet Christus: sed quia partim spiritu intelligente & immortali, partim corpore organico constamus: illi quidem spiritualia καὶ νοητὰ, intelligibilia: huic autem corporalia καὶ αἰσθητὰ, sensibilia, exhibet: ea tamen lege, vt fructus nostræ cum Christo coalitionis, totis nobis instaurandis, seruiat. Spiritualia igitur cum ijs, quæ spiritualia sunt, coniungentes 1. Cor. 2. 13. dicimus, non minus absurdum esse (rerum videlicet ordine inuerso) dicere, ore corporis, non solùm Sacramentum, sed etiam ipsam corporis Christi substantiam corporaliter manducari: quàm inconueniens est dicere, panem & vinum, seu res terrenas, ore animę manducari: aut oculis nos audire, cernere verò auribus. Vident piæ mentes nostrę sententiæ aduersariam hypallagen, ordini diuinitus sancito è diametro repugnare: & manifestè absurdam esse.

IACOBVS ANDREÆ.

Collatione Ministerij externi & interni (vt nouus hic Theologus loquitur) Rei terrenæ & cœlestis, hominis externi &

interni: oris corporis & animæ, Hypocrita noster contra aperta verba Testamenti Christi, & contra consensum omnium Orthodoxorum Patrum, suum errorem stabilire conatur, videlicet, ore corporis in Eucharistia non sumi corpus & sanguinem Christi. Idq; Analogia Baptismi ad Eucharistiam agere tentat. Quemadmodum enim in Baptismo Minister aquâ corpus perfundendo abluat: Christus autem spiritu & igni baptizet: qui sanguinis sui aspersione corda nostra expiauerit, & sanctificauerit: sic in cœna Domini, Ministrum externum, homini externo, panem vinumq; Domini, HOC EST, SACRAMENTA, *ore corporis percipienda, manu sua porrigere. Patrem autem cœlestem homini interno panem illum cœlestem dare, corpus & sanguinem Christi.*

Analogia Baptismi ad Eucharistiam.

Sed heus tu Hypocrita, vnde didicisti, aquam, panem & vinum Domini duntaxat, esse Sacramenta? Vbi hic consensus Patrum orthodoxorum? An verò non meministi cacodoxi Compilatorum vestri consensus, Tigari impressi, verba? ex quo pleraq; tua descripsisti: visibilem formam & inuisibilem gratiam: Rem terrenam & rem cœlestem: figuram significantem & rem significatam: RES SENSIBILES *seu corporalia Symbola, & spiritualia atq; intelligibilia dona, &c.* PASSIM A PATRIBVS, QVASI PARTES AD INTEGRAM SACRAMENTI RATIONEM CONIVNGI. *Hæc si vera sunt, quæ negare non potes, & verbis Testamenti Christi consentanea, de quo minimè dubitamus: quomodo affirmare, & quo ore asserere audes, Ministrum duntaxat aquam in Baptismo, & panem ac vinum in cœna Domini ministrare, & Sacramento vescentes non amplius ore accipere? Num Baptismus nihil aliud est, quàm aqua? Num Eucharistia nihil aliud est, quàm panis & vinum? An verò Eucharistia non duabus rebus constat? terrenâ & cœlesti, sed duntaxat vnâ eâq; infimâ, terrenâ scilicet? An verò adhuc*

Symbola tantùm non sunt Sacramenta.

Fol. 41. b.

Duo ad integritatem Sacramenti requiruntur.

Minister quid exhibeat & distribuat in Sacramentis.

huc dubitas, te in errore versari, & Orthodoxæ eruditæ vetustati, quam prædicas, apertè contradicere?

Ex quo manifestum est, in Analogia Baptismi ad Eucharistiam, Hypocritam nostrum toto cœlo à veritate doctrinæ Sacramentorũ aberrare. Nam etsi verũ est, Christũ Spiritu baptizare: tamen ex verbis Christi constat, PER MANVM MINISTRI *id facere, vt non sit separata actio Ministri à Spiritus S. virtute, qui præsens est, & non absens in administratione Baptismi. Sic quoq; verũ est, quòd pater det nobis panem illum cœlestem, corpus & sanguinẽ Christi, sed non solùm hac ratione, quòd semel in hunc mundũ, Filiũ suũ dilectum & vnigenitũ, ad expianda peccata hominũ miserit, sed quòd nunc quoq; hoc ipsum corpus & sanguinẽ,* IN PANE ET VINO *nobis in Mysterio manducandum ac bibendum verè & realiter exhibeat. Hinc D. Augustinus:* HOC ACCIPITE IN PANE, *quod pependit in cruce. Hoc bibite ex calice, quod fluxit ex Christi latere. Est aũt panis ille, quem Minister Ecclesiæ distribuit, & potus, quẽ in ora piorũ reponit,* IN HOC PANE, *dicit Augustinus accipiendũ, quod in cruce pependit. Item Chrysostomus ait: Corpus Christi manibus Sacerdotũ tractari: Hæc cum neget Hypocrita noster, manifestum est, quòd loco Sacramenti integri, vnam duntaxat partẽ, putamina videlicet Ecclesiæ Dei in hoc Mysterio relinquat. Id verò, ne facere videatur, verbis ambiguis & flexiloquis ludit, cùm inquit: Christũ sanguinis sui aspersione corda nostra expiasse & sanctificasse: vbi pius lector, tempus præteritũ in vtroq; verbo diligenter observet, quibus Hypocrita respicit opus redemptionis humani generis in cruce consummatum, quo intelligit, nostra corda expiari & sanctificari, sed quòd in præsenti actione Baptismi, sanguine Christi realiter aspergamur & sanctificemur: hoc neq; expressè loquitur, neq; intelligit Sophista.*

Vide Cacodoxi Consensus Refutationem pag. 163. 222 242. 487. 493. 538 545 584.

Christus per manũ Ministri baptizat.

Christus dat cœlestem panem per manum Ministri.

In Serm. ad Neophytos.

Sic in cœna Domini, cùm ait: Quod Pater cœlestis panem illum cœlestem det ore animæ percipiendum: nequaquam

Quomodo in Baptismo aspersione sanguinis Christi expiemur & sanctificemur secundum Zvuinglianos.

Quomodo animæ corpus Christi percipiendũ detur secundũ Zvuingl.

hoc vult, quòd Orthodoxi Patres intellexerunt, videlicet IN *pane & vino cœnæ, Christum dare suum corpus & sanguinem, sed quòd pater miserit in hunc Mundum Filium suum, vt sua obedientia passione & morte genus humanum redimeret. Ore autem fidei, hunc cœlestem panem sic percipi intelligit, si credamus, quòd corpus ipsius sit pro nobis in mortem traditum, & sanguis eius pro peccatis nostris effusus. Hoc credere, esse corpus Christi edere, & sanguinem eius bibere. Longè verò aliter Orthodoxos Patres & loqui & sentire, de quorum consensu tantopere gloriantur in Refutatione Zuingliani & Caluiniani Consensus demonstratum est. Quoniam simul omnes agnoscunt, non solùm ore Animæ, sed etiam ore corporis ipsum Christi corpus in Mysterio, & non panem duntaxat manibus ministrorum distribui & ore accipi, quorum saltem quædam illustria testimonia recitabimus. Augustinus ad Neophytos: [Hoc accipite* IN PANE, *quod pependit in cruce. Hoc accipite in calice quod effusum est* è CHRISTI *latere.] Idem contra Aduersarium legis: [Nos mediatorem Dei & hominum, Iesum Christum, carnem suam manducandam, bibendumq; sanguinem dantem,* FIDEI CORDE *& ore susc ipimus.] Idem: [Placuit Spiritui sancto, vt in honorem* TANTI *Sacramenti* IN OS *Christiani hominis priùs* DOMINICVM CORPVS *intraret, quàm exteri cibi.] Chrysostomus. [O quot modò dicunt, vellem formam & speciem eius videre, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides,* IPSVM TANGIS, IPSVM COMEDIS. *Tu vestimenta eius desideras videre, ipse verò seipsum tibi tradit, non vt videas solùm, verùm etiam vt* TANGAS ET IN TE HABEAS.] *Et paulò pòst: [Non sufficit ipsi, hominem fieri, flagellis cædi, sed nos secum, vt ita dicam,* IN VNAM MASSAM *reducit.* NEQVE ID SOLVM FIDE *(attende Hypocrita)* SED REIPSA, *nos suum corpus facit. Quaigitur re*

Corpus & sanguinem Christi edere & bibere.

Fol. 117. 393. 287.

Testimonia quædam Orthodoxorum Patrum de mãducatione corporis Christi.

Lib. 2. cap. 9.

In Epistola ad Ianuarium. 118.

Hom. 60. ad populũ Antiochenum.

Vide Cacodoxi Consensus Refutationẽ pag. 128. 129.

NB.

tur re mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est? quos radios solares non deberet excedere MANVS ILLA, *quæ hanc coronam pertractat,* OS, QVOD *igne impletur spirituali,* LINGVA, *quæ* CRVENTATVR HOC ADMIRABILI SANGVINE. *Idem, Hoc facis cum ad mensam Domini accubueris, illa ipsa die, qua dignus habitus es* CARNEM EIVS LINGVA ATTINGERE. *Ne igitur hæc fiant, purifica Dexteram tuam.* LABIA TVA QVÆ FACTA SVNT VESTIBVLVM, *per quod aditum ad nos facit Christus.*] *Leo.* [*Sic sacræ mensæ communicare debetis,* VT NIHIL *prorsus de veritate corporis & sanguinis Domini ambigatis.* HOC *enim* ORE *sumitur,* QVOD FIDE CREDITVR.] *Tertullianus.* [*Caro corpore & sanguine Christi* VESCITVR, *vt & Anima à Deo saginetur.*] *Ambrosius.* [*Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus? Qua temeritate* ORE TVO *poculum præciosi sanguinis percipies?*] *Hæc Orthodoxorum Patrum testimonia longè aliter, quàm verba Hypocritæ nostri, sonant. Quæ adeò manifesta sunt, vt Compilatores Cacodoxi Consensus, cum viderent suo errori minimè patrocinari, non veriti sint impudenter scribere: Orthodoxos Patres sua grandiloquentia & hyperbolicis locutionibus de hoc mysterio errori pontificio occasionem dedisse, qui apertè testantur, non solùm fide, seu ore animæ, sed ore etiam corporis percipi corpus & sanguinem Christi. Quorum tamen autoritate nequaquam nitimur, sed hæc ex verbis Testamenti Christi Patres hausisse, scimus, qui dixit: Accipite, manducate:* HOC EST CORPVS MEVM.

Ea verò esset vanitas Hypocritæ nostri, vt Chrysostomi verba, ex quibus contra nos ratiocinatur, bona fide recitare non possit. Etenim non modò rescindit, quæ præcedunt, quibus Sacramenti huius veritas explicatur & cõmendatur à Chrysostomo: sed etiam recitatis eius verbis sententiam affingit, quæ non modò

NB.
Non solùm fide, SED & REIPSA cũ Christo in vnã massam redigimur.
Manus tractat corpus Christi.
Os accipit corpus Christi.
Hom. 27. 1. Cor. 11.
Caro Christi lingua attingitur.
Christus labia nostra ingreditur.
In Serm. 6 de Ieiunio.
De Resurrectione carnis.
Ad Theodosium Imperatorem.

cum mente, sed etiã cum allegatis ipsis apertis verbis Chrysostomi pugnat. Sic. n. verba Chrisostomi, Bernh. Brixiano interprete, so-

Hom 60. ad populũ Antiochenum Tom. 5. Col. 395.

„ *nãt:* [*In omnib. itaq; Deo pareamus, neq; contradicamus: licet cogitationibus nostris aduersari videatur & oculis.* QVOD DI-
„ CITVR, *Sed sit & cogitationibus & visui* DIGNIOR IPSIVS
„ SERMO. *Sic & in Mysterijs agamus. Nec solùm præ oculis*

Certitudo verbi Dei.

„ *posita respiciamus, sed ipsius verba contineamus.* IPSIVS *enim*
„ *sermo* INFALLIBILIS, SENSVS AVTEM NOSTER SE-
„ DVCI FACILIS: ILLE NVNQVAM DECIPIT. HIC
„ AVTEM VT PLVRIMVM ERRAT. *Quoniam igitur verbum dicit: Hoc est* CORPVS MEVM, *& pareamus &* CRE-
„ DAMVS, *&* INTELLECTVALIBVS *oculis ipsum intueamur.*
„ NIHIL *enim* SENSIBILE *nobis Christus tradidit. Sed res quidem sensibiles,* OMNES AVTEM INTELLIGIBILES. *Itidem*
„ *& in Baptismate, per rem, nempe sensibilem aquam, donum confertur. Intelligibile verò, quod perficitur, regeneratio & renouatio. Si enim incorporeus esset, nuda & incorporea tibi dedisset*
„ *ipsa dona. Sed quoniam Anima corpori conserta est,* IN SEN-
„ SIBILIBVS INTELLIGIBILIA *tibi præbet.*] *Hactenus Chrysostomi verba, quæ diligenter obseruanda sunt. Nam Chrysostomus inquit:* IN SENSIBILIBVS *intelligibilia præbet. Hypocrita verò noster: illi quidẽ spiritualia* καὶ νοερὰ *intelligi-*

Sensibilia & intelligibilia simul exhibentur & percipiuntur in Eucharistia.

bilia: Huic autem corporalia καὶ αἰσθητὰ *sensibilia exhibet, quod Chrysostomus non facit. Sed* PER *sensibilia præberi intelligibilia ait. Sic non seorsim corpori aquam in Baptismo, & panem ac vinum in Eucharistia: Animæ verò regenerationem, corpus & sanguinem Christi tribuunt scriptores Ecclesiastici: sed* TOTI HOMINI, *qui anima & corpore constat, vt, non solùm Anima, sed corpus quoq;, os & ipsa labia corpus & sanguinem Christi percipere expresè scribunt, sicut iam commemorata testimonia Patrum apertè confirmant. Ac ne humana autoritate niti videamur, hac quoq; simplex & germana verborum Testamenti*

menti Christi est sententia, cùm panem accipiens inquit: Accipite, manducate, hoc est corpus meum. Non enim seorsim dicit: Manducate panem ore corporis, & corpus meum fide, sed loquitur duntaxat de manducatione, quæ fit ore, nec vllam mentionem fidei sub vocabulo manducationis facit, aut sub ea intelligit. Loquitur enim de Sacramentali manducatione, quæ ore fit, non quæ fit fide, sed ad confirmationem Manducationis fidei factæ (quæ continuè fit) à Christo instituta est, & etiam ab infidelibus, sed ad iudicium fieri potest. Quæ cùm ita se habeant, quanta ignorantia Mysterij huius, & Consensus Orthodoxorum Patrũ laboret Hypocrita noster, omnes mediocriter in hac controuersia instituti intelligere possunt, quam sequentibus verbis manifestè prodit: spiritualia *(inquit)* cum ijs quæ spiritualia sunt coniungentes. 1. Cor. 2. 23. dicimus, non minus absurdum esse (rerum videlicet ordine inuerso) dicere: Ore corporis, non solùm Sacramentũ, sed etiã ipsam corporis Christi substantiam corporaliter manducari: quàm inconueniens est dicere, panem & vinum seu res terrenas, ore animę manducari, aut oculis nos audire, cernere verò auribus. *Nam hæc causa summæ admirationis Patrum in hoc Mysterio est, quòd hoc Mysterium neq; sensuum neq; rationis humanæ iudicio metiri aut comprehendere potuerint, quod* SOLA FIDES IN VERBO INTELLIGIT. *Quomodo videlicet corpus Christi* IN PANE *adsit, & percipiatur, quemadmodum ex calice sanguis Christi bibatur, sicut suprà commemorata testimonia Orthodoxorum Patrum confirmat. Sed Zuingliani & Caluiniani nihil credunt, nisi quod oculis vident & manibus palpant.*

Manducatio Sacramentalis manducationis fidei confirmatio est.

Quapropter vanum est, quod dicit Hypocrita, Hypallagen illam, qua spiritualia ore corporis percipi dicuntur, ordini Diuinitùs instituto repugnare. Nam Diuinus ordo à Christo institutus est, vt ore accipiamus non solùm panem, sed corpus ipsius,

Hypallage in Mysterio Eucharistiæ.

cùm

cùm panem accipiens dixit: *Accipite, manducate:* HOC EST CORPVS MEVM. *Etsi verò hæc rationi humanæ & sensibus absurda sunt, Fidei tamen minimè absurda sunt, quæ in verbum Testamenti Christi respicit, & intellectum humanum in obsequium eius captiuum ducit, sicut in omnibus Mysterijs regni Dei & Symboli Apostolici Articulis faciendum est, nisi vniuersam religionem Christianam abijcere velimus, iuxta illud Apostoli: Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei. Sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter diudicantur.*

Rationis humanæ non fidei absurditas.

1. Cor. 2. 13.

Quapropter quòd dicit, hypallagen illam manifestè absurdam esse: intelligendum de absurditate tantùm, quæ in sensus & intellectum humanum incurrit. Cui aliam falsam hypallagen adiungit, videlicet tam absurdum esse, ore corporis percipere corpus Christi, quàm absurdum sit, panem & vinum seu res terrenas ore Animæ manducare, aut oculis nos audire, cernere verò auribus. Nam hæc posteriora non ordinauit Dominus, sicut contrà, nos manifestè demonstrauimus, Christum ordinasse, vt ipsius corpus ore accipiamus. Cum in cœna Domini nulla fidei sed oris tantùm manducationis vel ipso etiam Caluino teste, mentio fiat.

Præterea sæpe nunc diximus: Hypocritam nostrum in eo errare, quòd opinatur, panem & vinum sine corpore Christi & & eius sanguine Sacramentum esse: quæ opinio cum Orthodoxorum Patrum Consensu, & verbis Testamenti Christi è diametro pugnat. Terrena enim elementa, panis & vinum, pars duntaxat sunt Sacramenti, eaq; minima, non ipsum Sacramentum.

Error Grynæi in vocabulo & re Sacramenti.

Sed obiter hoc quoque monendum est, cùm de sententia nostrorum dicit: substantiam corporis Christi CORPORALITER *manducari, ne fortè carnalem & physicam manducationem carnis Christi per calumniam nostris affingat: qui hoc vocabulum* CORPORALITER, *nequaquam de carnali manducatione intelligunt,*

(Corporaliter) quomodo accipiendum.

telligunt, quasi caro Christi instar alterius carnis masticetur in hoc sacro conuiuio. Sed opponunt illud Orthodoxi Patres (à quibus nos hanc phrasin accepimus) sicut nos quoq; falsæ opinioni aduersariorum, qui Christum sua diuinitate solùm in hoc Sacramento adesse dicunt: NVLLO *autem* MODO, *quantumuis spirituali, suo corpore adesse posse, quòd cælo contineatur, vsq; ad diem vltimi iudicij, vnde venturus sit. Contrà nostri Theologi, secundum verba Testamenti Christi: Hoc est corpus meum, cum Orthodoxorum Patrum vnanimi consensu credunt & docent: corpus Christi verè adesse. De quo nihil habeamus, quàm quod verbum Christi sit* VERVM, EFFICAX, OMNIPOTENS: MODVS *autem* INSCRVTABILIS, *vt Damascenus loquitur.*

GRYNÆVS.

XVII.

Iam verò ordine de Συσοιχειώσεως istius capitibus primarijs, agemus, initio facto à Ministris.

I. Nos solos verbi Dei ministros, Ecclesiæ restituto ministerio, cœnam Domini administrare debere, nec sacrificulos Missaticos ad eius liturgiam adhibendos esse, ideo statuimus, quia verbi & Sacramentorum dispensationem illis demum demandatam scimus. Matth. 28. 19. 20. 1. Cor. 1. 17. 1. Ministri.

Aduersa autem in hoc negocio pars, non dubitauit affirmare: Malle se, vel à sacrificulo Papistico cœnam sibi administrari, quàm citra eius vsum è viuis decedere. Quum etiam Baptismum à mulierculis (incommenticio necessitatis casu) administrari velint, quid nî eadem licentia, cœnæ administrandæ ius eisdem quoque permiserint: quando vt res ipsa loquitur, illis non venit in mentem commemorabilis

illa sententia: Damnat, non priuatio, sed contemptus Sacramenti?

II. Nos verbi Dei Ministros, verbum externum prędicare. 1. Cor. 3. 6. Aqua baptizare. Matt. 3. 11. Panem vinumq; Domini in S. cœna prębere dicimus.

Alij è contra, cum manibus Ministrorum etiam rem Sacramenti, quæ nullo tamen externo sensu percipitur, hoc est, ipsum corpus Christi, & sanguinem eius tradi, & in ora hominum poni, ineruditè aiunt: non vident, se eadem ratione Baptisma spiritus, & interni verbi præconium, quo nemo alius, quàm Christi spiritus defungitur, sibi falsò arrogare. Eiusdem enim est, isthæc omnia, ad instaurationem saluandorum præstare.

IACOBVS ANDREÆ.

Duas hoc loco Antitheses ponit Hypocrita. In priore, quis Sacramenta administrare, & à quibus percipere oporteat. In posteriore, quid Ministri Ecclesiæ dispensent.

Quod ad priorem quæstionem attinet, nulla controuersia de eo est, si ordinarium Ministerium respicias, solos verbi Dei Ministros cœnam Domini administrare debere. Si verò accidat, vt aliquis eo loco constitutus sit, in quo Papatus adhuc dominaretur, Minister verò paratus esset secundum Christi institutionem morituro cœnam Domini administrare: num propter ministri impietatem in alijs doctrinæ partibus se tanto Thesauro, & verè spirituali viatico spoliare deberet? Aut ipsius sacrificuli impietate se in vsu legitimo Eucharistiæ polluere: cùm neq; substantia, neq; virtus Sacramentorũ à dignitate Ministrorum pendeat, sicut Donatistæ sentiebant, sed à voluntate instituentis. Et à sacrificulis baptizatos, rectè baptizatos, nec rebaptizandos esse, certum est. Et non ignota est Historia de Athanasio puero, qui

adorans

ad oram maris, aliquot Catechumenos baptizauit, de quibus Alexander eum concilio Clericorum statuisse traditur, illis, quibus integris interrogationib. & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari Baptismū non debere. Teste Ruffino in Eccles. Hist. l. 1. c. 14.

Sic in casu necessitatis minimè cōmentitio, cùm desunt non modò Ministri, sed etiam viri, quis prohiberet mulieres baptizare? Nam quod Apostolus inquit, Mulier in Ecclesia taceat, Apostolus nomine Ecclesiæ intelligit cœtum ex vtroq; sexu, viris & mulieribus coactum, vbi mulieres à viris discere, & non viros docere conueniens est. Quando autem mulieres duntaxat congregatæ sunt, sicut in talibus casibus fieri solet, longè alia ratio est. Quemadmodum enim mulieri inter mulieres (quod maius est) concionari, & reliquas verbo Domini, consolari minimè prohibitum est: quid prohibet: quò minus etiam in tali casu Baptismum administrare posset? De Baptismo in casu necessitatis per mulieres administrato.

Longè verò alia, et dissimilima ratio est, quod ad cœnā Domini attinet, in cuius vsu talis casus necessitatis locū nō habet, cùm nō semel, sed sæpe valentes ea vsi sint, qui ægrotant, & in illas angustias non rediguntur. Vbi illud commemorabile dictum locum habet: Damnat, non priuatio, sed contempeus Sacramentorum.

Quod aūt hæc damnat Hypocrita cum suæ opinionis socijs, & commentitium casum necessitatis appellat: eo ipso etiam produnt, quanti Sacramentum Baptismi faciant. Quem dicunt esse aquam, sicut Eucharistiā panem & vinū: ideoq; non multùm ratione salutis æternæ referre, si his quidam priuentur, cùm Minister suo Ministerio non plus conferat Sacramentum sumenti, quàm aquam, panem & vinum, sicuti posterior impia Antithesis docet. In qua Hypocrita noster, sicut hactenus crassum Zuinglianum, ita etiam Schvuenckfeldianum nunc egregium se exhibet, vbi asserit: verbi Dei ministros verbum externum prædicare, aqua baptizare, & panem vinumq; Domini in S. cœna præbere. Gryn. Schvuenckfeldianus.

Etsi verò sequenti Antithesi docet, quòd intelligat: Ministros nihil aliud, quàm aquam, panem & vinum præbere: non tam n ausus es& addere voculam DVNTAXAT, *vel,* TANTVM, *quòd animaduerteret, non benè sonare in auribus lectoris vel auditoris: Nihil nisi aquam in Baptismo, & panem & vinum in cœna Domini dispensari & præberi. Quapropter ne lectorem offenderet, in thesi omittenda, sed in Antithesin reseruanda esse censuit, vbi minùs durè sonare videatur.*

Confes. Schvuēckfeldiana de Sacramentis.

Certum autem es&, etiam ipsorum propria confessione, quòd per Sacramentum nihil aliud intelligant, quàm aquam: item panem & vinum, cum relatione seu fine suo, quæ exteriori homini seruiant: nihil verò ad interiorem hominem pertineant, quæ omnia Spiritus sanctus operetur. Sed qui in Schvuenckfeldij scriptis mediocriter versati sunt, intelligunt, hunc ipsum eius errorem esse, quo passim plurimorum conscientias perturbauit. Dum pios Ecclesiæ ministros accusat, quòd sibi arrogent, quæ SOLIVS *Spiritus sancti, & ipsius Christi, Regis gloriæ propria.*

Schvuenckfeldiani liberos non baptizant, aut sine aqua baptizant.

Vnde etiam Sacramentorum contemptus natus es& apud ipsos, quòd Schvuenckfeldiano errore correpti Ministri, liberos aut prorsus non baptizent, aut aquam non adhibeant. Item à cœna Domini prorsus abstineant. Quod sine Animarum periculo fieri existimant. Siquidem exterior Baptismus nihil aliud sit, quàm aquæ Elementaris aspersio, & in cœna Domini panis & vinum, quæ gratiarum actionis loco celebretur, postquam fideles sine hoc Sacramento spiritualiter per fidem, spirituali cibo,

Eleuatio & contēptus externi Ministerij.

corpore & sanguine Christi refecti sint. Nequaquam verò spiritualis hic cibus & potus, IN, CVM, SVB *vel* PER *illa externa Sacramenta dispensari & communicari, quòd Christo & ipsius Regno spirituali (ipsorum opinione) res indignissima esset.*

Cum hoc Schvuenckfeldij errore pernicioſissimo, si conferas verba Hypocritæ hoc loco posita, in quibus reprehendit nostrarū Ecclesiarum Confessionem, videlicet, manibus Ministrorū, etiam

rem

rem Sacramenti, quæ nullo tamen sensu percipitur, hoc est, ipsum corpus Christi & sanguinem eius tradi, & in ora hominum poni, reipsa deprehendes, idem planè & sentire & dicere, quod Schwenckfeldius dicit & scribit. Quodex eo magis apparet, quoniam Baptismum negant esse lauacrum regenerationis, sed eius duntaxat signum, regenerationem verò non nisi in Electis fieri, idq; extra Baptismum, interdum in senecta demum, qui tamen in infantia baptizati sunt.

Sed quid quæso ad Patrum suprà recitata & similia eorum testimonia respondebit Hypocrita? qui hoc apertè fatentur, & minimè scrutandum aut inquirendum, sed admirandum & credendum hortantur, quòd in hoc sacro conuiuio manibus sacerdotum corpus Christi tractetur, ora hominum percipiant, & sanguine Christi lingua cruentetur. Fortassis hîc ad Orthodoxi Consensus Compilatorum & Zuinglianorum præsidium confugiet, qui eâ impudentiâ sunt, vt dicant, hæc minimè de corpore & sanguine Christi intelligenda esse, sed de pane duntaxat & vino Eucharistiæ, quæ sortita sint NOMEN ET APPELLATIONEM *corporis & sanguinis Christi, propter cuius* NOMINIS, *non autem* IPSIVS REI COMMVNICATIONEM, *hæc de pane & vino prædicentur. Quæ impudentia cùm in Refutatione solida Cacodoxi illius Consensus sufficienter confutata sit, eô lectorem breuitatis causa remittimus. Nam orthodoxis patribus nunquam in mentem venit hoc Zuinglianorum somnium, quòd videlicet nomen corporis & sanguinis Christi, cum pane & vino, ori piorum imponatur. Quin de Reipsa intelligunt, & ideò Mysterium adorandum dicunt, quod omnem humani ingenij captum excedat.*

Effugium Zuinglianorum.

Refutatio eiusdem. Pag 152. 468, 469, 637. 638.

Nequaquam verò sequitur, quod Hypocrita inde colligit: si manibus ministrorum, & rebus externis, pane & vino, ipsum corpus & sanguis Christi tradantur, & in ora hominum imponantur:

tur: eadem ratione Baptisma spiritus, & interni verbi præconium, sibi falsò arrogare Ministros, quo nemo alius, quàm Christi spiritus perfungatur. Nihil enim sibi arrogant Ministri, sed dum se Ministros agnoscunt Dei præsentis, omnia Deo adscribunt, etiam hoc ipsum, quòd indigni Ministri sunt, vt ex Deo sit omnis illorum ἱκανότης, cui omnis gloria & honos debetur. Quemadmodum enim Christus Saluatoris nomen solus sustinet, vnde Iesus appellatus est: nihilominus tamen verum est, quod D. Paulus ad Timotheum scripsit: Attende tibi ipsi & doctrinæ, & persiste in istis. Id enim si feceris, & teipsum SERVABIS, *& eos, qui te audierint. Vbi idem vocabulum σώσει, saluabis, quod in Euangelista Matthæo de Christo ponitur, ipse seruabit (σώσει) populum suum à peccatis ipsius. Non enim Paulus vel Timotheus est, qui loquitur, sed* SPIRITVS *Patris, qui* PER *illos loquitur. Hinc Paulus Apostolus de Euangelio prædicato: Non pudet me Euangelij. Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti. Vbi Hypocrita noster,* DVCE *Schwenckfeldio, dicet, hoc nequaquam de externo verbo intelligendum esse. Nam potentia Dei, est ipse Deus, non verbum vocale. Ideoq; falsò vocali seu prædicato verbo præconium interni verbi tribuitur. Adeò verum est, quod Lutherus de Sacramentarijs scripsit: Caudis quidem instar vulpium Samsonis in eo coniunctos esse, quòd simul omnes, simplicem, veram & germanam sententiam verborum Testamenti Christi, peruertunt & oppugnant: inter se autem capitibus diuisos, in diuersissimos errores iusto Dei iudicio, delabi. Quandoquidem etiam Hypocritâ nostro non contradicente, verum, vnum & simplex, falsum autem multiplex, & sibijpsi non constans est.*

Per Ministerium hominum, nihil Spiritus sancti præconio detrahitur.

Matth. 1.

Rom. 1.

Sed vt ad institutum redeamus, etsi Spiritus Christi est, hæc omnia ad institaurationem saluandorum præstare, quod nemo negat: non tamen (de ordine loquimur diuinitus instituto) sine externis organis & medijs ab ipso ordinatis præstat, sed per illa efficit,

efficit, propter quem ordinem diuinitus sanctitum Ministro & Ministerio tribuitur, quod DOMINVS *per Ministerium præstat.*

GRYNÆVS.

XVIII.

Secundò, si consideres conuiuas Filij Dei in hac cœna, diuersitas sententiæ nostræ & opinionis, quæ eidem reclamat, in hisce capitibus consistit: de quibus iudicium permittimus pijs omnibus.

I. Nos disertè testamur: Eos demum esse Domini Iesu verè ὁμοτραπέζους & conuiuas, & corporis sanguinisque eius verè participes, qui vnum cum eo sunt, quosque ipse viuificat: tametsi horum magna interdum est infirmitas.

Alij ècontra, quasi impiorum & infidelium patrocinium suscepissent, probant hanc tristissimam & veteri orthodoxę Ecclesię inauditam vocem: Panis est naturale corpus Christi, quod Iudas ille proditor, & omnes impij cœna vtentes, non minùs oraliter manducant, quàm Petrus & omnes sancti. An ne autem pia mens, illud sibi vnquam persuaderi patietur, tantisper, donec sanctum (nihil autem sanctius corporis & sanguinis Iesu Christi communione) canibus minimè dari: Matth. 7. 6. & partem fideli cum infideli nullam esse, 2. Cor. 6. 15. certò persuasum habebit?

II. Nos externum hominem, in sacra cœna, res externas physicè: internum verò hominem, res cœlestes, corpus videlicet & sanguinem Christi, spiritualiter per fidem percipere, ideò credimus, quia quod in verbo promissionis adest & offertur, idem non nisi per fidem percipitur.

Alij

Alij contrà, hominem externum, IN, CVM, & SVB terrenis rebus, cœlestia dona, ore corporis, percipere & manducare contendunt: quod equidem non minùs est inconueniens, quàm si quis dicat, in circumcisione ordinaria, in, cum, & sub præputio, cordis quoque præputium, manu eiusdem administri, eodemque instrumento, olim fuisse præcisum.

IACOBVS ANDREÆ.

1. Doctrina Grynæi opinio est, non vera sententia.

Quòd Hypocrita sententiam nostram de conuiuis Filij Dei, opinionem, suum verò & suorum errorem de ijsdem, sententiam appellat, tamdiu illi permittendum esse, donec error ipsius & sociorum eius detegatur: vbi manifestum erit omnibus, opinionem, hoc esse, doctrinam non modò incertam, sed etiam manifestè falsam, Opinatorem hunc, Ecclesiæ Dei obtrudere.

2. Conuiuæ Christi in sacro conuiuio non solùm pij, sed etiam impij sunt.

Nam eos duntaxat Domini Iesu ὁμοτραπέζους & conuiuas, & corporis Christi sanguinisq; eius verè participes esse OPINATVR, *qui vnum cum eo sunt, quosq; ipse viuificat. Quod falsissimum esse & historia Euangelica de Iuda proditore, & D. Paulus exemplo Corinthiorum apertè demonstrat. De quo in Refutatione Cacodoxi Zuinglianorum Consensus copiosè dictum est. Quod etiam vnanimis orthodoxorum Patrum consensus confirmat, quorum testimonia iam citato loco recitata sunt.*

Vide Refutationem pag. 545. 573. 584. 570. 596. 606. 613. 572. 580.

Cur manducatio indignorum contra Sacramentarios vrgeatur.

Quod verò Hypocrita ait: Manducationem impiorum à nobis ita vrgeri, quasi impiorum & infidelium patrocinium suscepissemus, sarcasmum Diaboli cognoscimus. Non enim ignorat, id nequaquam propter impios fieri, sed vt mens & sententia verborum Pauli Apostoli vera retineatur, & demonstretur: Sacramenti integritatem non à fide & dignitate vel distribuentium

vel

vel sumentium, sed ab institutione S. Cœnæ, & verbis Testamenti Christi pendere. Aliâs nunquam certi esse possemus, nos Sacramentum habere, aut S. Domini cœnam celebrare. Fuit sanè Iudas conuiua Christi, quod nullo modo negare potest Hypocrita. Et habuit D. Paulus conuiuas, non paulò antè, aut paulò pòst, sed in ipso actu S. Cœnæ, ebrios, quos Deus etiam grauiter puniuit. Quomodo ergo Hypocrita tam audacter asserere audet, conuiuas Christi eos duntaxat esse in hoc sacro conuiuio, qui cum eo vnum sint, & quos viuificet? Cùm Iudas neq; vnum cum Christo fuerit, neq; ab eo viuificatus sit, sicut & Corinthij, & nisi pœnitentiam veram egerint, in morbo inflicto, etiam in æternum perierunt.

Sed dicet fortassis Hypocrita, Iudæ, & ebrijs Corinthijs, non Christi corpus, sed duntaxat panem & vinum proposita fuisse. Cui respondemus, ne quidem iciunis, sobrijs & pijs, de sententia Hypocritæ, & sociorum opinionis eius, aliquid amplius apponi, qui Sacramenta definiunt duntaxat pane & vino, cum relatione ad corpus Christi in cœlo tàm absens permanens, quàm procul summum cœlum ab infima terra abest, & nullo modo realiter præsens sit, siue quis pius, siue impius sit.

Sacramentarij nõ modò impijs, sed etiam pijs, nihil nisi panem & vinum apponi docent.

Cùm igitur de sententia Zuinglianorum, loco integri Sacramenti, panis & vinum duntaxat, cum relatione ad corpus & sanguinem Christi absentem, in S. Cœna Domini, proponatur, qua conuiuis Sacramento communicantibus, communia sunt: quomodo pios tantùm veros conuiuas, & eos solùm corporis & sanguinis Christi participes esse dicet Hypocrita?

Sin verò respondebit: Corpus Christi manducare, & eius in hoc conuiuio participem fieri eos duntaxat, qui verè in Christum credunt: Obiectio.

Nos vicissim ex eodem quærimus, vt nobis vnam literam, vnam syllabam, vnum verbum, in verbis Testamenti monstret, quòd in illis verbum MANDVCARE, *significet credere in*

Responsio.

Manducare in verbis Testamenti Christi quid significet.

Christum. Quòd si vrgere aut impudenter instare voluerit, Ioan. 6. capite sic accipi: eundem ad Caluini commentarium in Ioannem ablegamus, qui eos toto cœlo errare affirmat, qui Ioan. 6. Christum de cœna Domini concionatum, aut de Sacramentali manducatione corporis Christi locutum esse affirmant. Vsq; adeò constans & firmus est istorum Opinatorum consensus, vt nihil dicam de Orthodoxi, scilicet, ipsorum Consensus Compilatoribus, Vespertilionibus, qui vnam manducationem corporis Christi, Ioan. 6. & in S. Cœna Domini à Christo commendatam esse impudenter vrgent, quos ad refutationem eius solidam ablegamus.

Compilatorum Cacodoxi Consensus communis error.

Corpus Christi naturale, hoc est, verum adest in S. Cœna.

Quod verò ait: Tristissimam, & orthodoxæ Ecclesiæ veteri inauditam vocem esse: Panem esse naturale corpus Christi, quod Iudas ille proditor, & omnes impij cœna vtentes, non minùs oraliter manducent, quàm Petrus & omnes sancti: *Reipsa docet, quàm nihil, aut infœliciter in lectione scriptorum orthodoxorum Patrum versatus sit Hypocrita. Num verò aliud corpus Christus habet, quàm naturale illud verum corpus, quod ex substantia D. virginis Mariæ assumpsit? Hoc'ne corpus D. Augustinus, cum reliquis Doctoribus, non apertè dicit etiam Iudam accepisse? Quorum testimonia in Cacodoxi vestri Consensus postremis duobus capitibus allata, à deprauatione & manifesta corruptela Compilatorum vindicata sunt. Num verò in S. Cœnæ institutione, Christus alio instrumento manducare docuit aut præcepit, quàm ore? cùm inquit: Accipite, manducate,* HOC EST CORPVS MEVM. *Num verò dixit: Panem manducate ore, corpus autem meum fide? Vbi quæso hoc dixit Christus? Quis Euangelistarum hoc scripsit? in quo Euangelio, aut in qua Epistola reperies illud? aut vbi seorsim dixit Petro: Tu cum decem fratribus manduca, non solùm ore panem, sed etiam fide corpus meum? Tu verò Iuda manduca tantùm panem, quia non potes meum corpus manducare, cùm non verè in me credas, nec vnum es mecum? Vide Hypocri-*

Idem Iudæ, quod reliquis vndecim Apostolis distribuit Christus.

Pag. 572, 580. 613.

pocrita, quàm nudus, quàm confusus hîc astes, nec quidquam habeas, quod respondere, aut quo te vel verbis Christi, vel Pauli, vel vetustatis orthodoxæ testimonijs, tueri possis.

Nam quod ex Euangelista Matthæo, & Paulo Apostolo adducit: pias mentes sibi hoc tantisper non persuaderi passuras, donec sanctum (nihil autem sanctius corporis & sanguinis Christi communione) canibus minimè dari, & partem fideli cum infideli nullam esse certò persuasum habebunt: *viramq; sententiam deprauari & falsò à te allegari manifestum est. Etenim Christus Matth. 7. discipulos suos instruit, vt in prædicatione Euangelij prudenter agant, & sciant peruicaces Euangelij hostes eius prædicatione indignos esse, apud quos non modò nihil proficiant, sed simul etiam se in periculum vitæ adducant: Ideò hortatur eos, vt eiusmodi porcis & canibus, sanctum & margaritas non proijciant. In quam sententiam & Paulus Titum instruit, cum scribit: Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem deuita, &c. Ideoq; Christus non dicit, sanctum canibus non dari, sed ait, non dandum esse. Sic Paulus quoq; fideles à conuersatione infidelium reuocat, quòd contraria sint illorum studia, voluntates & actiones. Sed quid hæc ad institutum? quod Augustini potiùs, quàm nostris verbis refellere libuit:* [*De* VNO PANE *Petrus & Iudas accepit, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Iudas ad mortem. Quomodo enim odor ille sic ille cibus bonus. Sicut ergo odor bonus, ita & cibus bonus bonos viuificat, malos* MORTIFICAT. *Panis quem frangimus, inquit Paulus, non'ne communicatio corporis Christi est? Item vnus panis, vnum corpus multi sumus.* NAM OMNES VNIVS PANIS FIMVS PARTICIPES.] *Hactenus Augustinus. Hæc certè de spirituali cõmunione nõ possunt intelligi,* QVÆ FIT PER FIDEM. *Quia etiam infideles & mali de illo pane edere & eius participes fieri possunt. Sicut in Refutatione Cacodoxi Consensus copiosè explicatũ & demonstratũ est.*

Matth. 7.

Vera sententia verborum Christi de porcis & canibus.

Tract. in Ioan. 50.

Sic Christus sciebat, quis & qualis Iudas esset, cui aliquoties concionatus fuit: Mundi estis, sed non omnes. Vnus ex vobis me proditurus est &c. Sed eius nulla ratione habita, coram ipso procumbit, pedes illi lauat, & Sacramentum, quod non solo pane & vino, sed corpore & sanguine Christi constat, illi exhibet. Num verò hoc facto contra suam ipsius doctrinam peccauit? quod ei sanctum dedit?

Vide Refutat. Cacodoxi Consensus pag. 545. 570. 573. 580. 584. 596. 606. 613.

Dedisse autem etiam Iudæ proditori, ex Luca manifestũ, qui statim post celebratam cœnam Domini, sequentia verba subiungit: Veruntamen, ecce manus eius qui me prodit, MECVM EST IN MENSA. *Inde Patres orthodoxi disertis verbis scripserunt, Christum suo proditori,* SVVM CORPVS *non minùs, quàm reliquis vndecim discipulis dedisse. Chrysostomus. [Proditor cum Christo & cæteris discipulis discubuit, Christus proditorem à cœna non depulit, quia illi cibos obtulit, &* DIVINORVM MVNERVM PARTICIPEM FECIT.*] Gregorius. [Cibus dulcis est &c.* CORPVS ET SANGVIS CHRISTI, *quod Iudas accepit indignus.] Augustinus. [Nam & Iudas proditor, bonũ corpus, & Simon Magus, bonũ Baptisma Christi percepit.] Idem. [Tolerat ipse Dominus Iudã, Diabolum, furem, & venditorem suum, sinit accipere inter innocentes discipulos,* QVOD FIDELES NORVNT PRECIVM NOSTRVM.*] Idem. [Christus traditorem suum, qui iam precium eius acceperat, vsq; ad vltimum pacis osculum, inter innocentes secum esse perpessus est &c.] Item: [Corpus Domini, & sanguis Domini nihilominus etiã erat, quibus dicebat Apostolus, qui mãducat indignè, iudiciũ sibi manducat & bibit.]*

In 1. Cor. 11.

Contra Fulgentium Donatistã.

Epistola 162.

Contra Donat. lib. 5. cap. 8.

Quæ cùm ita in rei veritate se habeãt, quæ temeritas & audacia est asserere, quòd vox inaudita sit: Panẽ esse naturale corpus Christi, quòd Iudas proditor oraliter non minùs quàm Petrus manducauerit? Quæ cùm Compilatores Cacodoxi ipsorum Consensus negare nõ possent: alio atq; magis specioso, vano tamẽ effugio vsi sunt, nugantes: Per corpus Christi non verum corpus ipsius, sed

sed panem duntaxat intelligendum esse, qui habeat nomen, & appellationem corporis Christi. Hunc inquam panem dedisse Iudæ proditori: quo tamen æquè non elabuntur. Non enim peculiari sermone ad Iudam proditorem in dispensatione huius sacri cibi vsus est, sed similiter cum illo, sicut cum alijs Discipulis locutus est: Accipite, manducate: HOC EST CORPVS MEVM. *Fuit ergo non minus Iudæ corpus Domini, quàm Petro, sed non ita ei profuit sicut Petro. Iudas enim panem Domini contra Dominum, Petrus autem panem Dominum manducauit. De quo in Refutatione Orthodoxi Consensus plura. Nam per panem Domini, Sacramentum intelligit Augustinus, quod duabus rebus constat, terrena & cœlesti, videlicet pane & vino Elementari, & corpore ac sanguine Christi. Panis autem Dominus, non significat Sacramentum, sed ipsum Christum, sine respectu Sacramenti, qua ratione panem* DOMINVM *edere, non est Sacramentum manducare, sed credere in Christum, quòd corpus ipsius pro nobis traditum, & sanguis eius pro nobis effusus sit, sicut suprà quoq; dictum est.*

Pag. 570. 571. 572.

Explicatio sententiæ Augustini de pane Domini, & pane Domino.

3.

Quod verò ad alteram Antitheſin attinet, cùm dicit Hypocrita: Externum hominem res terrenas physicè: internum verò hominem res cœlestes, corpus & sanguinem Christi SPIRITVALITER PER FIDEM *percipere, idq; eos ideo credere, quia quod in verbo promissionis adest & offertur, idem non nisi per fidem percipitur. Respondeo, Opinatorem nostrum, vocabulo (spiritualiter) ludere. Quod nos de modo spirituali, Diuino, & cœlesti, & supernaturali accipimus, & sola fide intelligimus, quo adesse corpus Christi, iuxta verba Testamenti Christi creditur. Hypocrita verò noster cum suis Opinatoribus, nõ de intelligentia fidei sed de apprehensione beneficiorũ Christi interpretatur, quæ fit fide, vt spiritualiter per fidem accipere corpus Christi sit, credere in Christum pro nobis mortuum, sine reali ipsius in Mysterio præ-*

De externi & interni hominis manducatione.

Vocabulum (SPIRITVALITER) ὁμώνυμον.

Refutatio erroris Grynæi.

sentia. Erroris autem huius causam apertis verbis sequentibus ostendit, dum opinionis suæ rationem affert: hoc ideo ipsos credere, quia quod in verbo promissionis adest & offertur, idem non nisi per fidem percipitur. Quæ ratio locum haberet, si SOLO VERBO *promissionis adessent & offerrentur corpus & sanguis Christi: siquidem verba promissionis aliter percipi non possunt, quàm per fidem. Cùm promissionis correlatum sit* FIDES.

Corpus & sanguis non solo verbo offertur.

CHRISTVS *autem* NON SOLVM *verbo promissionis, sed externo quoq; Elemento offert in S. cœna suum corpus & sanguinem, cùm de pane & vino ait: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Quæ iubet manducare ore, & bibere ore. Ideoq; falsissimum est, quod Hypocrita dicit, & quasi pro confesso sumit, duntaxat verbo promissionis offerri corpus & sanguinem Domini.*

Quapropter sine causa nostrarum Ecclesiarum Confessionem, quæ manifesta Christi doctrina est, reprehendit: Hominem externum IN, CVM, SVB *terrenis rebus, cœlestia dona, ore corporis percipere & manducare. Nam si sine illis rebus terrenis hæc solo verbo obtulisset Christus: sola etiam fide percipi possent. Sed quia* IN, SVB *&* CVM *rebus terrenis illa spiritualia dona offeruntur: sicut tota Orthodoxa vetustas testatur, quæ his particulis* IN, SVB, CVM, *vsa est: Ideo etiam* IN, SVB, *&* CVM *illis ore percipiuntur, quod nemo sanus negare potest.*

Corpus & sanguis Christi in rebus externis offertur.

Internus & nouus homo quomodo differant.

Deinde etiam in eo Hypocritæ nostri vel insciti, vel malitia reprehendenda est, quòd internum & externum hominem inter se conferens, internum ac nouum hominem pro eodem sumit, sicut in thesi 16. expressè ponitur. Hominis externi, inquit, & interni seu NOVI. *Ex quo consequens erat, si per internum nouum hominem intelligat, quòd per externum hominem etiam vetus homo accipiendus erit. Quod in superbo Hypocrita nostro ideo minus mirandum, quoniam in eodem errore etiam de spiritu & litera eum versari suprà demonstrauerimus.* Sicut

Situt autem internus homo non solùm ad mentem & spiritum refertur, sed totum hominem significat, quatenus est regeneratus: sic etiam cibus spiritualis, qui interno & nouo homini in hoc sacro conuiuio proponitur, etiam ad totum hominem pertinet. Ideò rectè Lutherus & ERVDITE scripsit: In hoc sacro conuiuio os corporis loco Animæ accipere spiritualia dona, corpus & sanguinem Domini, sub rebus, aut in rebus terrenis, pane & vino oblata, cùm inquit Christus: Accipite, manducate: Hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus. Sicut Anima loco corporis verbis Testamenti credat. Anima enim terrenum seu corporeum os non habet, quo terrena accipiat, quib. cœlestia operta sint. Contrà verò, Anima seu spiritus hominis in verba Testamenti respiciens, loco corporis intelligit & credit, quid os corporis accipiat, quod corpus ipsum per se non intelligit: quamuis sine Anima corpus non accipiat, nec Anima sine corpore credat, sed singulæ partes hominis substantiales vnâ cum communicatione alterius agunt, quod suum proprium est.

Lutherus in maiore Confessione de cœna Domini.

Admodum verò absurda collectio Opinatoris nostri est, quòd ratiocinatur: si homo externus IN, CVM & SVB TERRENIS REBVS *cœlestia dona ore corporis percipere & manducare dicatur, id non minus inconueniens esse, quàm si quis dicat: In circumcisione ordinaria* IN, CVM, SVB *præputio, cordis quoque præputium manu eiusdem administri,* EODEMQVE INSTRVMENTO, *olim fuisse præcisum. Sicut enim in Eucharistia, non solùm sunt terrena, sed etiam cœlestia, eorumque actiones & propria distincta, quod aliud efficit panis, aliud corpus Christi: aliud vinum, aliud sanguis Christi: sic quoque in circumcisione duntaxat fuit manus & cultellus Ministri infantem circumcidentis: sed etiam manus Spiritus sancti, quæ sola cor hominis circumcidere, & eius præputium auferre potest.*

Absurda collectio Grynæi.

Cum externa circumcisione, quomodo interna coniuncta sit.

Errat

Error Grynæi de circumcisione.

Errat autem in eo Hypocrita, quòd circumcisionem, solâ illâ externâ Ceremoniâ, cum Relatione quadam definit, non autem reali illa virtute Spiritus sancti, sine qua circumcisio, non est circumcisio, sed in præputium versa est, sicut Apostolus ad Romanos docet.

Rom. 2.

Fit igitur circumcisio illa cordis, dum Minister circũcidit externum præputium PER *illam externam circumcisionem, quæ erat instrumentum Spiritus sancti, quàm diu in veteri Testamento, hoc Sacramentum durauit. Qui seipso agit, & sine hoc instrumento, si vult, etiam illam cordis circumcisionem operari potuit. Sicut nunc* PER PER PER *instrumentum aquæ Baptismi regenerat & renouat hominem baptizatum. Hoc si absurdum* NOSTRO *Schvuenckfeldiano Hypocritæ videtur, non nos, sed Christum Sacramentorum autorem accuset, qui cùm sine instrumento externo, per spiritum suum hæc efficere posit, spiritualiter, per fidem in cordibus fidelium, externa tamen instrumenta adhibeat.*

Deus ordinariè per INSTRVMENTA agit.

Quod tantum abest, vt faciat, vt ne quidem fidem ipsam, solo suo spiritu, eiusq; interna operatione sine externo & terreno instrumento operari velit. Sicut scriptum est: Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei, de quo non audierunt? Quomodo autem audient absq; prædicante? Ergo fides ex auditu est: auditus autem per verbum Dei. Si igitur Hypocritam nostrum non offendit, quòd donum cœleste, quod est fides, confertur IN, SVB & CVM *verbo vocali externo, quod ex* ORE *prædicantis exit, & externis auribus percipitur? Quomodo igitur ipsum offendere potest, cùm dicimus, cœlestia dona, corpus & sanguinem Christi,* IN SVB CVM *terrenis rebus, pane & vino Eucharistiæ distribui, &* ORE *sumentium Sacramentum, percipi? Quod apud nos discere potuisset Hypocrita, &* MELIVS SVA STVDIA CONFIRMARE,

Rom. 10.

si fastus

si fastus & superbia non obstitissent, qua prius docere maluit, quàm didicit, & SVA STVDIA SOLIDE CONFIRMAVIT.

GRYNÆVS.

XIX.

Tertiò, si cibum & potum Eucharistiæ, qui certè non est ventris, sed mentis. 1. Cor. 11. 34. quispiam respiciet, hæc controuersa esse animaduertet.

I. Nos Sacramentalem vnionem, σχετικὴν relatiuam, qualis est signi & signati, agnoscimus: quia Sacramentum ad relationis prædicamentũ rectè referimus. Sicut aũt IN, CVM & SVB Baptismi aqua, non latet sanguis Christi, quem tamen illa Sacramentaliter ei vnita, repręsentat: ita, IN CVM & SVB pane Domini, non corporaliter occultatum latet Christi corpus: sed ab eodem repræsentatur: & non nisi Sacramentaliter eidem iungitur.

Alij, Sacramentalem quidem vnionem vocant, sed interim realem consubstantiationem sese imaginari, satis testantur, quum Ministri manu, rem vtramq;, panem inquã & corpus Christi offerri, & in ora impiorũ quoq; inseri, dictitant. Negant se probare impanationẽ: sed interim canunt: **verborgen in dem Brot so klein**: Quod in tàm paruo pane absconditum latet. Quid eiusmodi contradictioni sit tribuendum, etiam erudita iuuentus facilè animaduertit.

II. Nos cibum hunc potumq; spiritualem, nobis cũ sanctis Patribus (vt & electionis, vocationis, iustificationis benedictionem) quotquot in Catholica Dei Ecclesia, inde vsq; à mundi exordio fuerunt, ideo cõmunem esse dicimus, quia Iesus Christus, hodie & he-

ri idem est, & in secula Heb. 13. 8. Agnus videlicet mactatus iam inde à iactis mundi fundamentis, Apoc. 13. 8. Neque verò id mirum cuiquam videri debet, quando corpus Christi, quatenus pro nobis traditum est: & sanguis eiusdem, quatenus pro nobis effusus est, cibus potusque fidelium est: quorum alij olim crediderunt in incarnandum Christum: alij nunc in eundem incarnatum credunt.

Alij contrà, sic noui Testamenti Ecclesiæ peculiarem esse contendunt, vt veteris Testamenti Ecclesię vmbras tantùm relinquant, & tamen infideles, canes videlicet impuros, hęc sancta, verè, corporaliter, oraljter, sibijpsis tamen ad iudicium, percipere interim clamitent. Scilicet potior est infidelium huius ætatis, cœna vtentium conditio, quàm olim fuerit sanctorum Dei hominum: quum illi quidem manducent Christi corpus, & bibant eiusdem sanguinem: hi verò vmbris olim victitârint.

III. Nos corporis pro nobis traditi, & sanguinis Christi pro nobis effusi (Christo ipso, quo ad carnem attinet, iam gloriosè super cœlos, non in terris, nec alibi vsquam sito) prędentiæ modum, merè πνευματικὸν, καὶ ἐνεργητικὸν, hoc est, verum quidem, sed merè spiritualem, & huc tendentem profitemur, non vt aliquo contactu reali corpora credentium cum Christi carne coalescant: sed vt spirituali per fidem cum ipso copulatione, omnia Christi beneficia, ac tandem ipsa quoq; vita æterna, in nos spiritualia ipsius membra & palmites, deriuetur.

Alij autem σωματικῶς, id est, realem ipsius corporis in terra præsentiam, imò vbique παρουσίαν, seu præsentiam,

sentiam, & in alijs ad vitam, in alijs ad iudicium efficacem, docent: quasi sint vnius eiusdemque corporis Christi (verè percepti, & reipsa participati) tanquam causę, contrarij effectus: & quasi vis viuificādi, separari possit à communione ipsius corporis Christi.

Quantò rectiùs Augustinus, Tract. 26. in Ioannem: Qui, ait, manducauerit meam carnem, & biberit sanguinem meum, non morietur in æternum. Nempe virtutem Sacramenti, non visibile Sacramentum. Et quidem INTVS, non FORIS, qui corde comedit, non qui premit DENTE.

Figmento autem de reali ipsius corporis Christi in terris inuisibili præsentia, opponimus nobile Tertulliani dictum: Quemadmodum nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius summę illuc quandoque redigendæ. Securæ estote caro & sanguis, vsurpastis & cœlum & regnum Dei in Christo. De carnis resurrectione.

IACOBVS ANDREÆ.

Hactenus Hypocrita noster, quantum potuit, lectori pio persuadere conatus est, non adeo ingens, inter opinionem ipsorum erroneam, & doctrinam nostram de cœna Domini, diuortium & discrimen esse. Nunc verò in hac thesi 19. mentem suam magis aperit: in qua explicare conatur, qualem vnionem Sacramentalem panis cum corpore, & vini cum sanguine Christi statuat.

Fundamenti autem loco ponit: cibum Eucharistiæ non ventris, sed mentis cibum esse. Quod sicut concedimus, & quomodo intelligendum sit, in Refutatione Cacodoxi Consensus explicatum est: ita minimè verum esse dicimus, quod inde de vnione Sacramentali concludit. Pag. 136. 288. 386.

Vnio Sacramentalis σχετικὴ. Relatiua.

Quam vnionem, σχετικῶς Relatiuam, qualis est signi & signati, se agnoscere affirmat. Hæc orationis forma in hoc Mysterio, vt noua est, sic ratio quoq; minimè conueniens, qua illam confirmat. Quia inquit, Sacramentum ad Relationis prædicamentum RECTE *referimus.*

An Sacramentum in prædicamento Relationis ponendum sit.

Cùm tria sint genera eorum, quæ ad aliud referuntur, primum eorum, quæ comparantur secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, vt secundum maius & minus, & secundum magis & minus, Alterum quo continentur, quæ vt agens & patiens inter se referuntur. Tertium eorum, quæ sic comparantur, vt mensura & mensuratum, vel tanquam causa & effectus. Ad quod genus Relatorum Hypocrita noster Sacramentum, cum sua σχετικῇ Relatione, videlicet tanquam signi & signati, referet? Nulla enim hîc est comparatio primi generis, vel ratione qualitatis, vel ratione quantitatis, tanquam maioris ad minus. Neque etiam secundi generis, cùm signum in signatum nihil agat, nec è contra. Multò minus est tertij generis, tanquam mensuræ & mensurati, vel causa & effectus: cùm signum non sit causa signati, neq; signatum causa signi. Reliquum ergo est, vt hanc σχετικῶς Relationem, tanquam figmentum autori remittamus. Sin verò nobis obijciat à quibusdam in prædicamento Actionis collocatum esse, quod ad Relationem pertineat, duplicis erroris conuincitur. Cùm actionis prædicamentum etiam inter absoluta referatur. Deinde non sola actione definitur Sacramentum. Quamuis enim extra vsum nihil habet rationem Sacramenti: tamen in hoc vsu non solùm actio Ministri, sed etiam passio communicantium accedit, qua Minister exhibet Sacramentum, & sumens patitur ori suo imponi.

Sacramentum an sit in prædicamento Actionis.

Longè verò aliter Orthodoxa vetustas, quæ Sacramenta suis essentialibus partibus definiuit, videlicet Re terrena & Re cœlesti: qua ratione plurimum ab ipsa actione discernuntur. Nam

aliud

aliud est res, quæ Sacramentum dicitur, & aliud actio, qua illa res distribuitur, & sumitur, quæ res à verbo Domini dependet.

Ex quibus omnibus constat, toto cœlo Hypocritam nostrum errare, quòd vnionem Sacramentalem nihil aliud esse putat, quàm relationem ΧΕΤΙΚΗΝ, qualis sit signi & signati. Christus enim in institutione suæ cœnæ non SIGNIFICARE, *sed dare voluit, quod verbis in suo Testamẽto promisit. Ideoq; nõ ait: Accipite, manducate, hoc significat corpus meum: Bibite, hoc signat meum sanguinem, sed* EST *meus sanguis. Ideoq; Sacramentum non est Relatio, neq; in prædicamento Relationis, si propriè & rectè velimus loqui. Sed vt dixi, est res absoluta, duabus partibus suis constans: Re terrena, & cœlesti, verbo* DOMINI *copulatis.*

Vnio Sacramentalis non est Relatio ΧΕΤΙΚΗ.

Sacramentum nõ est in prædicamento Relationis.

Quòd si verò omnino in prædicamento Relationis reponendum esset: nequaquam tamen ea est Relatio, quam Zuingliani & Caluiniani in suo Cacodoxo Consensu ponunt, vt fundamentum eius sit actio externa instituta. Terminus actio interna spiritualis, inter quæ Relatio sit ordo diuinitus institutus. Quin potius fundamentum est res existens, videlicet, externum Symbolum, panis & vinum tanquam materiale: Terminus verò corpus & sanguis Christi tanquam formale, quod verbum Testamenti efficit, & hæc duo Sacramentaliter vnit. De quo in Refutatione Consensus cacodoxi pag. 168. 175. 304. 582. Ad hunc modum, etiam signum & signatum suam quandam Relationem habent, si inter se conferantur, quæ nequaquam tamen relata, sed partes rei constituentes sunt essentiales, quod in Relatione locum non habet.

Fol. 41. fac. 2.

Falsa expositio Relationis in Sacramento Eucharistiç.

Sic Baptismus Sacramentum est, qui constat aqua & spiritu, secundum verbum Filij Dei instituẽtis. Et Eucharistia Sacramentum est, quod secundum verbum instituentis pane, vino, cor-

pore & sanguine, suis substantialibus partibus constat. Sicut autem Filius Dei aquam ad Baptismum destinauit, non ad repræsentandum sanguinem Christi, sed vt sanguine Christi per Spiritum sanctum in aspersione aquæ baptizandus, à peccatis suis mundetur, cui actioni Christus ipse adest, in cuius nomine, & mortem eius, homo baptizatur: Ita etiam panis & vinum non ad repræsentandum corpus & sanguinem Christi in cœna Domini adhibentur, sed vt cum his corpus & sanguis Christi in Mysterio verè & realiter distribuantur, & sumantur, iuxta verba Testamenti: Hoc EST *corpus meum: Hic* EST *sanguis meus, non significat aut repræsentat corpus & sanguinem meum.*

Quòd autem dicit: IN, & CVM & SVB aqua, non latere sanguinem Christi: sic etiam IN, CVM, & SVB pane & vino, nec corpus & sanguinem Christi latere: *figmentum sui cordis accusat, non doctrinæ nostræ derogat. Non enim ignoramus, non eo modo sanguinem Christi sub aqua, aut corpus & sanguinem Christi sub pane & vino latere, quemadmodum Cacodoxus ipsorum Consensus (ex quo Hypocrita noster pleraq; sua desumpsit) fingit, qui nihil aliud, quàm modum physicum, & carnalem somniant, seu localem, quo corpusculum contractum manibus & pedibus, sub, vel in pane occultetur, quod figmentum falsò nostris adscriptum, millies ab ijsdem confutatum est. Interim tamen cum tota orthodoxa pia vetustate & Patribus Ecclesiæ purioris intrepidè affirmamus,* IN, SVB, CVM PANE *(hæc enim vetustatis orthodoxæ, non nostræ aut à nobis excogitatæ sunt phrases)* LATERE *occultatum corpus & sanguinem Christi. Siquidem non videtur, sed creditur, quod perinde est ac si dicatur, latet occultatum, seu, vt Augustinus loquitur:* PANE OPERTVM *est. Sicut in Cacodoxi Consensus Refutatione demonstratum est.*

Pag. 181.

Grynæus nullã realem vnionẽ panis cum corpore Christi credit.

Cùm igitur Hypocrita noster Vnionem Sacramentalem rei terrenæ, & rei cœlestis non aliam intelligat, quàm Relationem illam

illam conficiam, qua panis & vinum corpus & sanguinem Christi significent & repræsentent: nullam vnionem realem intelligere manifestum est, de qua orthodoxi Patres tanquam de summo Mysterio, quod omnem humani ingenij captum excedat, & solius Spiritus Christi opus sit OMNIPOTENTIS, *tàm luculẽter testati sunt.*

Quod magis confirmant ea, quæ in hac prima antithesi sequuntur, vbi nostrarum Ecclesiarum Doctores accusat, quòd Sacramentalem quidem vnionem vocent, sed interim realem consubstantiationem intelligere, eo satis testentur, quum MINISTRI MANV, *rem veramq; panẽ & corpus Christi offerri, & in ora impiorum quoq; inferi dicitent. Vbi inscitia Hypocritæ iurè reprehenditur, qua Compilatores Cacodoxi ipsorum Consensus secutus, nobis hîc consubstantiationem obijcit, quam nos iuxta ipsorum commentum sti. tuamus. Non enim realem vnionem in Mysterio Sacramenti posse fieri arbitrantur, nisi physica & localis consubstantiatio fiat, de qua cùm in Cacodoxi Consensus Refutatione satis dictum sit, hîc breuiores erimus. Mystica enim est vnio, de qua nihil habemus, quàm* VERBVM *Christi verum, efficax, omnipotens: Modum autem inscrutabilem, cum Damasceno & omnibus orthodoxis Patribus asserimus.*

Calumnia de consubstantiatione.

Fol. 257. 443. 445.

Quàm etiam non nostra neque phrasis, neq; doctrina sit recens excogitata, sed ab orthodoxis Patribus vsurpata, & sæpè inculcata, cùm dicitur: Manu Ministri verumq;, panem & corpus Christi offerri, & in ora etiam impiorum poni, in eadem Refutatione, ipsorum S. Patrum, proprijs verbis demonstrauimus, quorum testimonia suprà etiam à nobis recitata sunt, ne pius lector de fide nostra dubitet. Ea verò omnia non physicè, carnaliter, & iuxta modum huius seculi, sed diuino, cœlesti & supernaturali modo fieri OMNIPOTENTI *Spiritus sancti virtute & operatione, similiter orthodoxorum Patrum testimonijs ad oculum demonstrauimus.*

Phrases orthodoxæ antiquitatis de corpore Christi in Sacramento.

Sup 94.

Eiusdem

Obiectio de impanatione Christi.

Eiusdem vanitatis est, quòd nos accusant: Nos quidem negare impanationem, sed interim canere: Verborgen im Brot so klein/quod in tam paruo pane absconditum lateat. Quid igitur eiusmodi contradictioni tribuendum sit, eruditam iuuentutem facilè animaduertere.

Refutatio impanationis Christi.

Nemo enim ignorat, qui mediocriter in hac controuersia est versatus, sæpius sub initium huius certaminis Luthero impanationem à Zuinglianis obiectam, quasi eodem modo corpus Christi sit impanatum, quo Filius Dei incarnatus est. Quametsi Lutherus aliquot scriptis grauissimè & solidè refutauit, & aliam vnionem Sacramentalem Panis cum corpore Christi, quàm corporis Christi cum filio Dei esse, apertè asseruit: Eâ tamen impudentiâ est Hypocrita noster, cum socijs suis, vt hac neglecta solida refutatione (de qua Bucerus Luthero luculentum testimonium perhibuit: & Tygurinos in Epistola ad Comandrum grauissimè accusauit. [*In hoc, inquit,* LEVITATIS *& nos* „ *&* BVLLINGERVM CONDEMNAMVS, *quod vt* IPSE ADHVC, NOS ALIQVANDO, *Luthero & alijs sententiam ad-* „ *scripsimus,* IN QVA ILLE NVNQVAM FVIT *) eiusdem tamen nostros, & accusare & condemnare non desinunt.*]

Buceri confessio contrà impanationem Luthero imputatam.

Auscultа Grynæe.

Cantio Ioannis Huss de cœna Domini.

Quod autem in Ecclesijs nostris, pia cantio Ioannis Huß de cœna Domini retinetur, quid illa quæso aliud continet, quàm quod pia antiquitas credidit & celebrauit, IN PANE *corpus Christi contineri? Non autem eo, quem aduersarij nostri nobis affingunt, modo naturali, physico, locali, per quandam consubstantiationem, sed qui sit in Mysterio, quod creditur, non intelligitur. Qui modus cum negatione impanationis, nullam contradictionem includit, quod in verbo Domini rectè instituti, facilè intelligunt.*

An & quomodo cibus spiritualis nobis cum Patribus in vet Test. communis fuerit.

Sed errorem suum in altera Antithesi magus prodit Opinator noster, quando asserit: cibum potumque spiritualem, qui nobis in S. Cœna offertur, nobis cum patribus iam

iam inde vsque ab exordio mundi communem esse. Quia Christus sit hodie, heri idem & in secula, agnus mactatus iam inde à fundamentis mundi iactis. *Qui spiritualis cibus & potus noster sit,* QVATENVS *corpus eius pro nobis traditum, & sanguis eius pro nobis effusus est. Quibus verbis apertè docet, se* NVLLAM PRORSVS *præsentiam corporis Christi Realem in Mysterio S. Cœnæ Domini credere aut docere. Non enim ratione alicuius* REALIS *præsentiæ, & qua realiter secundum carnem præsens & efficax sit in nobis, cibum potumq; spiritualem esse, docet: sed ratione operis in cruce perfecti, cuius virtus seu meritum applicetur credentibus, non modò nunc Christo secundum carnem absente, sed etiam applicatum sit, priusquam Filius Dei carnem assumeret, & pro nobis pateretur.*

Grynæus nullam præsentiam realē corporis & sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ credit.

Christus, quomodo cibus noster sit secundum Zuinglianos.

Verùm in hoc Mysterio non quæritur, de applicatione virtutis beneficiorum Christi, quæ fit per fidem, de qua nulla quæstio vel dubitatio est. Nemo enim negat, hoc nomine, sicut Christus est hodie, heri, & idem in secula: sic etiam omnibus temporibus propter Christum fideles à Deo in gratiam receptos esse. Sed de præsentia Christi SECVNDVM CARNEM *quæritur in Sacramentis: An eadem fuerit in Sacramentis veteris & noui Testamenti? Quod Hypocrita noster cum erroris sui socijs affirmat, nos constanter negamus. Cùm enim in veteri Testamento Filius Dei nondum incarnatus fuerit, manifestum est, eum quoque in eiusdem Sacramentis, quo ad se, non adfuisse. Quod enim non est, illud quoque non adesse, seu præsens esse, rectè & verè dicitur. In nouo autem Testamento caro* CHRISTI NON MODO EST, *sed etiam cum filio* VNA PERSONA, *& ad dexteram virtutis supra omnia, in Thronum Deitatis proprium* EXALTATA EST. QVÆ IMPIETAS *igitur est cogitare, nedum affirmare, tàm præsentem in*

An eadem corporis Christi præsentia in Sacramentis veteris & noui Testamenti.

veteri Testamento fuisse Patribus, quàm nobis præsens sit in nouo Testamento. Imò vt magis perspicuè dicamus, Christum, secundum carnem, tàm nobis in Mysterijs Sacramentorum nostrorum non adesse, quàm cùm NONDVM ESSET? Cùm præsertim Filius Dei in verbis Testamenti sui tàm disertè dicat: HOC EST CORPVS MEVM, quod de carne sacrificiorum veteris Testamenti nequaquam dictum est.

Deprauatio verborũ Pauli 1. Corinth. 10. de esca spirituali.

Et suprà ostendimus, manifestam verborum Pauli, 1. Corinth. 10. deprauationem esse, quando dicitur: quòd Patres EANDEM ESCAM spiritualem nobiscum manducauerint. Non enim addit Apostolus voculam (NOBISCVM) sed eo loco Israelitas duntaxat inter se confert, qui partim erant fideles, partim infideles, sed nihil obstante quorundam incredulitate, EANDEM omnes escam spiritualem manducasse. De quo in Refutatione Orthodoxi Consensus plura.

Pag. 504. 505. 816.

Modus præsentiæ Christi secundum carnem diuersus in veteri & nouo Testamento.

Et quomodo Christus hodie, heri, idemq; in secula sit, & iam inde ab initio mundi mactatus, paulò antè exposui. Nam vt Deus, non modò ab initio mundi, sed etiam ab æterno fuit: secundum carnem verò sicut neq; ab æterno, neq; ab initio mundi fuit, sed in nouissimis temporibus incarnatus est, & mactatus: ita etiam diuersam rationem præsentia concedendam esse, necesse est, qua nunc adesse dicitur. Nam vt mactationem & mortem eius ab initio mundi in sacrificijs adumbratam esse fatemur: ita in nouissimis temporibus duntaxat realiter passum, & mactatum esse, fides nostra tenet. Vnde etiam exaltatus ad dexteram Dei, in Thronum Maiestatis Dei proprium, præsens est secundum carnem in Mysterijs, qua ratione Patribus in ipsorum Sacramentis non adfuit.

Christus agnus Dei diuersa ratione, ab origine mundi, & in cruce, mactatus.

Deprauatio verbi (Quod) in Testamento Christi pro (Quatenus)

Quapropter manifesta verborum Testamenti Christi deprauatio, & somnium Hypocritæ & sociorum erroris est, quòd ait:

ait: Corpus Christi, QVATENVS PRO NOBIS traditum, & SANGVIS eius, QVATENVS pro nobis effusus est, cibum potumque fidelium esse. *Non enim dixit Christus: Accipite, manducate, hoc* EST *corpus meum,* QVATENVS *pro vobis traditum est, sed* QVOD *pro vobis traditur: Item non dixit: Hic est sanguis meus,* QVATENVS *pro vobis effusus est, sed* QVI *pro vobis effusus est. Nouus ergo hic est Spiritus, qui, ne vllum verbum in Testamento Christi integrum & non depraua tum relinqueretur, vocabulum (*QVOD*) sicut Carolstadius, (*HOC*) Zuinglius, (*EST*) Oecolampadius, & Caluinus (*CORPVS*) à propria & genuina sua significatione ad aliam transferat, ne ipsorum errori obstare videatur. Admodum enim forte est hoc relatiuum vocabulum (*QVOD*) aduersus omnium Sacramentariorum errorem, de absentia corporis Christi, euertendum, cùm inquit Christus: Quod pro vobis datur, quo significare voluit, hoc ipsum corpus, & non aliud, in hoc Mysterio adesse,* QVOD *pro nobis est in mortem traditum. Quapropter non* BENEFICIVM *corporis Christi, (vt noui illi Opinatores falsò interpretantur) sed substantiam corporis Christi, hoc vocabulum Relatiuum (*QVOD*) significat, quod nobis obsignat beneficium Christi, per corpus eius impetratum, pro nobis in mortem traditū, & per fidem ante vsum huius sacri conuiuij applicatum. Cuius noua virtus se in vsu huius S. Cœnæ exerit, videlicet, confirmatio applicati beneficij Christi, quatenus pro nobis in mortem traditum est.*

Vide Refutationē Cacodoxi Consensus pag. 189. 306. 328. 448.

Vis argumenti in vocabulo (QVOD) contra errorem Zuinlianorum.

Noua virtus corporis Christi se in Eucharistia exerit.

Quòd autem Hypocrita noster odiosè exagitat: nos ita noui Testamenti Ecclesiæ spiritualem hunc cibum & potum, videlicet, corpus & sanguinem Christi peculiarem facere, vt veteris Testamenti Ecclesiæ vmbras TANTVM *relinquamus: ea de re non est, vt nobiscum litiget, sed cum Dei voluntate & decreto, & eiusdem testibus Apostolis contendat, qui idem*

Discrimen Sacramentorum veteris & noui Testamenti respectu Christi.

apertis verbis confirmant. Nam verba Christi aperta & manifesta sunt, qui in suo Testamento dixit: Hoc est corpus meum, quod nusquam in Sacramentis veteris Testamenti dixit: Et expresse Apostolus scribit: Quod lex VMBRAM *futurorum bonorum obtinuerit,* NON IPSAM FORMAM RERVM. *Item: Quæ sunt* VMBRA *rerum futurarum, at* CORPVS *est Christi. Item: Si esset in terra, ne sacerdos quidem esset,* MANENTIBVS ILLIS SACERDOTIBVS, *qui secundum legem efferunt dona.* VT QVI EXEMPLARI ET VMBRÆ RERVM DESERVIVNT, *cœlestium, sicut diuinitus dictum est Mosi, cùm esset absolutum Tabernaculum.*

Heb. 10.

Col. 2.

Potuisset sanè Deus, si voluisset, statim post lapsum primorum parentum mittere filium suum in hunc mundum, vt incarnatus pro mundi totius peccatis, omniumq; hominum, qui ex primis corruptis parentibus nascendi erant, mactaretur, & iram Dei placaret, eiusq; carnem & sanguinem, in cœleste regnum translatum, nec modo terreno amplius in terris præsens in Mysterijs Sacramentorum fidelibus communicare, sicut nunc facit: sed placuit longo tempore prius per sacrificia adumbrari, quàm nasceretur & mactaretur. Quamuis per hanc vmbram tàm efficax fuerit in fidelibus, quàm nunc est per exaltatam carnem Christi, quamuis nunc propior nobis salus est, vt Apostolus loquitur: quàm tunc, cùm credebamus. Illi enim maximo desiderio exoptârunt videre diem Christi, & non viderunt, nisi in spiritu, & vmbris: sicut eo tempore placuit Deo, illis sub elementis mundi, vt Paulus loquitur, Christum reuelare & adumbrare.

Gal. 4.

Quapropter etiam, quãdo infideles canes & impuri, hæc sancta verè & oraliter iuxta verba Testamenti Christi percipiunt, eò maius iudicium illis expectandum est. Cùm Deus vmbrarum profanatores tàm horribiliter puniuerit.

Sic

Sic potior quidem respectu Christi est infidelium huius ætatis in cœtu piorum, & Sacramentorum communione conditio, quàm olim sanctorum Dei hominum. Quia nunc substantialiter & realiter præsens est, quod in Sacramentis veteris Testamenti solùm adumbratum & præfiguratum fuit. Ideo etiam impij nunc Sacramentaliter manducant ipsum corpus Christi, & non vmbram duntaxat: patres verò vmbram solùm habuerunt, NON IPSVM CORPVS, *sicut Apostolus apertè testatur. Sed vicissim maius & horribilius quoque iudicium accepturi sunt, quòd* CORPVS *Christi non dijudicantes, tanti thesauri per fidem non sint facti participes, quo nomine sancti Dei homines in veteri Testamento, in oculis Dei maximi fuerunt.*

Astutia & malitia Grynæi in palliando actegendo errore.

In tertia Antithesi de modo præsentiæ corporis Christi, duo extrema ponit Hypocrita, vt verum modum eludat, qui Sacramentorum noui Testamenti proprius est. Alterum est de modo præsentiæ, quo ALIQVO REALI CONTACTV *corpora fidelium cum Christi carne coalescunt. Per quem modum, intelligit physicum, Naturalem, & localem modum, quo corpora se inuicem naturali contactu attingunt, & copulantur, sicut caro agni vel bubula ori imposita, os carnem attingit naturali contactu. Alterum extremum est, modus spiritualis, quo* PER FIDEM *cum Christo copulatione facta,* OMNIA CHRISTI BENEFICIA, *ac tandem ipsa quoq; vita æterna in nos spiritualia ipsius membra & palmites deriuetur. Ex quo Opinator noster colligit, quoniam Christus,* QVO AD CARNEM *attinet, iam gloriosè super cœlos, non in terris,* NEQVE ALIBI VSQVAM SITVS, *nos autem non minus, quàm ipsos negare, corpus Christi per naturalem contactum, carni nostræ in hoc sacro conuiuio exhiberi: ideoq; non alium modum veræ præsentiæ statui posse, quàm illum spiritualem per fidem, qua cum ipso copulamur, quando credimus, quòd corpus ipsius sit pro nobis traditum*

& sanguis eius pro nobis effusus, vt omnium beneficiorum Christi participes fiamus, vt remissionis peccatorum & vitæ æternæ.

Duplex consideratio Christi.

Errat autem in eo Opinator, seu potiùs errorem suum occultat sub his verbis, quòd ait: Christum, quo ad carnem attinet, iam gloriosè super cœlos, non in terris, NEC ALIBI VSQVAM SITVM ESSE. *Nam Apostolus Paulus Christum, quo ad carnem* ITA SVPRA COELOS *exaltatum docet, non vt in cœlo duntaxat pro ratione glorioſorum corporum* SITVS *esset, sicut Enoch & Elias in cœlum translati sunt, sed super omnes cœlos ascendisse,* VT OMNIA IMPLERET: *quod de nullo sanctorum, aut beatorum hominum dictum aut scriptum est. Vnde promissio locum habet: Vbicunq; duo vel tres in meo nomine congregati sunt, ego sum in medio ipsorum. Item: Ego sum vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Nusquam enim est Filius Dei sine sua humanitate, sed* VBIQVE *habet eam sibi personaliter (non autem localiter) præsentem.*

Ephes. 1. 4.

Totus Christus vbique præsens.

Quapropter etiam nostros minimè pudet assertionis, qua σωματικῶς, id est, veram & realem ipsius corporis in terris præsentiam, imò vbique παρουσίαν, seu præsentiam, & in alijs ad vitam, in alijs ad iudicium efficacem docent, quam hoc loco Opinator noster reprehendit, & ridet. Et simul contra calumniam aduersariorum animum pij lectoris diligenter admonitum volo, quòd Opinator noster σωματικῶς hoc est, corporalem præsentiam interpretatur, REALEM. *Aliàs enim crassam illam & Capernaiticam, physicam, & localem præsentiam, sub hoc vocabulo σωματικῆ, à nostris & Orthodoxis Patribus vsurpato, nobis passim imputant, quibus nihil de corpore Christi realiter dici posse existimant: nisi oculis videatur, & manibus palpetur. Ex quo etiam manifestum est, Hypocritam* OMNEM REALEM, *& non solùm physicam illam, & localem præsentiam corporis Christi in Eucharistia negare & impugnare.*

Præsentia σωματικὴ & realis, Grynæo synonyma.

Grynæus omnem realem præsentiã corporis Christi in cœna negat.

Sed

Sed quàm necessarium fuerit Hypocritæ nostro, VT SVA STVDIA, *si non in Theologica, saltem Philosophica Schola,* MELIVS CONFIRMASSET: *ex eo patet, quòd adeò indoctus & Phylosophiæ ignarus sit, vt non didicerit, vnius causæ contrarios effectus esse posse. Quid enim magis notum est, quàm vnum & eundem radium solis, si ei lutum subijcias, indurare, ceram autem liquefacere? qui sunt vnius causæ contrarij effectus. Contrarietatis autem huius effectus ratio est, diuersitas subiectorum, in quæ solis radius agit. Sic in Eucharistia, vnum & idem numero est corpus Christi, quod in Mysterio tam dignis, quàm indignis exhibetur, cuius sunt contrarij effectus: Nam in conuiuis dignis, ad vitam efficax est, in indignis verò, ad iudicium. Cuius contrarietatis causa est diuersitas hominum, quòd alius fidelis, alter infidelis est. Hinc fit, vt per fidem ad vitam, per infidelitatem ad iudicium efficax sit, vnum & idem numero corpus Christi. Quemadmodum autem, vis liquefaciendi à solis radio non separatur, quando lutum indurat, neq; indurandi vim amittit, quando ceram liquefacit, sed in vno & eodem subiecto non simul vtrunq; exerit: sic à corpore Christi, eius q; cõmunione, vis viuificandi non separatur, quando in impijs, infidelibus, & impœnitentibus, ad iudicium efficax est, sed in illis duntaxat hanc vim viuificandi non exerit. Quemadmodum etiã vim iudicandi non amittit, quando per fidem dignos conuiuas viuificat, sed vim iudicandi erga fideles non exercet. Hæc, ipsa Philosophia Opinatorẽ nostrũ docere potuisset, si Tubingæ studia sua* MELIVS CONFIRMASSET. *De quo in Refu. Cacod. Consens. pag. 148. 599. plura. Quod verò ad Augustí. sententiã attinet Tract. 26. in Ioan. Qui (ait) manducauerit carnẽ meã, & biberit sanguinẽ meũ, non morietur in æternũ. Nempe virtutem Sacramenti, non visibile Sacramentum, & quidem* INTVS, NON FORIS, QVI CORDE *comedit, non qui premit* DENTE, *vel ipsa manifesta verba docent, nihil contra*

Vnius causę contrarij effectus.

Simile de radio solis.

Contrarij effectus corporis Christi in Eucharistia.

Explicatio sententiæ Augustini.

INTVS NON FORIS: CORDE NON DENTE.

contra hanc assertionem nostram pugnare. Sicut enim Christus ipse Iohan. 6. non loquitur de Sacramentali manducatione, sed de manducatione carnis suæ, quæ fit per solam fidem (quod vel Caluinus Opinatorem nostrum docere potuisset) sic Augustinus quoq; hanc ipsam manducationem carnis Christi, HOC LOCO *à Sacramentali manducatione discernit, cùm expressè dicit, virtutem Sacramenti, non visibile Sacramentum:* INTVS, NON FORIS: CORDE, NON DENTE. *Sententia enim verborum Augustini est: Quisquis in corde suo verè crediderit, corpus Christi pro se in mortem traditum, is non morietur in æternum, quod est spiritualiter per fidem manducare corpus Christi. Sed aliam esse corporis Christi manducationem, in Sacramento visibili: non à nobis, sed à Caluino discat, qui Zuinglianos accusat, quòd eandem manducationem corporis Christi Iohan. 6. & in sacra cœna esse falsò doceant, de quo in commentario ipsius super Ioannem cap. 6. plura.*

Explicatio dicti Tertulliani.

Sic quoque Tertulliani dictum doctrinæ nostræ nequaquam contradicit, sed eam magis confirmat, cùm inquit: quemadmodum nobis arrabonem spiritus reliquit: ita & à nobis arrabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securæ estote caro & sanguis, usurpastis & cœlum & regnum Dei in Christo. Non enim ita vexit carnem suam in cœlum: sicut caro Eliæ in cœlum vecta est, sed eam ad Dexteram virtutis & Maiestatis Dei collocauit, in quam sedem caro Eliæ non peruenit. Inde etiam REALITER *nobis suam carnem in terris communicat, & nos eâdem ad vitam reficit, in cœlo permanens, & non de loco in locum sese mouens.*

Priusquam verò ad sequentem Thesin tandem accedamus, pius Lector contradictionis admonendus est, in quam Opinator noster incurrit. Nam suprà, in thesis vndecimæ Aphorismo quarto posuit: Non solùm τῆς ὑσίας essentiæ viuifici corporis Christi, nos fie-

nos fieri participes, sed etiam τῆς ἐνεργείας, efficacitatis, cuius effectus est viuificatio. Hîc verò præsentiæ τῆς οὐσίας, non solùm prorsus non amplius meminit, sed eius contrarium apertè ponit, cùm dicit: Christum, quoad carnem attinet, iam gloriosè super cœlos, non in terris, nec alibi vsquam situm esse. Modum autem præsentiæ esse πνευματικὸν καὶ ἐνεργητικὸν, quem definit præsentia ipsius, non quo ad se, siue homo verè credat, siue non credat, sed duntaxat respectu hominum, spirituali per fidem copulatione, qua omnia beneficia ipsius in fideles deriuentur. Sic verbis ludunt Hypocritæ, vt interdum videantur nobiscum sentire, dum nobiscum loquuntur, cùm idem paulò pòst negent, & sic apertè dissentiant,

GRYNÆVS.

XX.

IIII.

De instrumentis & manducationis modo.

Quartò, si manducationis instrumenta, modumq; consideret mens, veritatis cognoscendæ cupida, deprehendet hanc sententię nostræ, & eidem oppositæ opinionis diuersitatem.

I. Nos in sacra Eucharistia, terrena quidem, id est, panem & vinum Domini ore corporis: cœlestia autem ore animæ seu fide (respectu instrumentorum accipientium) percipi dicimus.

Alij contrà. Non minus cœlestia ore corporis, quàm terrena percipi aiunt. Id quod non minus agreste, absurdum & ἀπρεπὲς καὶ ἀκόσμητον est, quàm si quis per hypallagen, ordinem rerum inuertentem dicat: panem & vinũ corde percipi: ipsum aũt corpus & sanguinẽ Christi ore corporis. Ministrum externũ baptizare spiritu: Christũ verò externo aquæ Baptismo defungi. Deum circumcidere præputium carnis: terrenum autem Patrem circumcidere cor Filij sui.

II. Iam si modum manducationis perpendas, nos ea quæ in cœna adsunt, & nobis exhibentur, eo modo quo adsunt, exhiberi & percipi iudicamus. Adsunt autem terrena symbola localiter, ἢ αἰσθητῶς, seu sensibiliter: Ideò & percipiuntur naturaliter, localiter, corporaliter. Cœlestia autem dona (corpus, inquam, & sanguis Christi) NON ADSVNT NVNC IN TERRIS, aut in cœna LOCALITER. Nec ante extremum diem aderunt, NISI MENTI & COGITATIONI in promissionem Sacramentali perceptioni adiunctam, intuenti. Hæc igitur spiritualiter, & verè nobis præberi, & earum per fidem participatione nos viuificari, dicimus. Ac disertè testamur, manducandi ac bibendi vocabula, quum ad panem vinumq; referuntur, propriè: quum autem ad Christi corpus & sanguinem, translatè sumenda nobis esse, vt Psal. 14.4.

Alij è contrario corpus & sanguinem Christi, quæ localiter non adesse fatentur: percipi tamen corporaliter, realiter, oraliter: sed modo cœlesti, supernaturali, ineffabili (sibiipsis fœdè contradicentes) vehementer contendunt. Meminisse enimuerò illos decebat Platonici prouerbij: τῶν ὀρθῶς δοθέντων ἀφαίρεσις οὐκ ἔστιν, Ea quæ rectè data & concessa sunt, auferri & negari minimè debēt. Concedunt autem illi, & rectè quidem, non adesse localiter corpus & sanguinem CHRISTI in sacra cœna. Quare igitur affirmant, oraliter illa & corporaliter manducari & bibi?

IACOBVS ANDREÆ.

De instrumentis & manducationis modo differens Opinator noster, demonstrare conatur, corpus & sanguinem Christi, in Eucha-

Eucharistiæ vsu, ore non percipi. Vbi sibi certã sententiam, nobis verò incertam, imò falsam opinionem tribuit. Quæ nam ergo pars veritatem tueatur, videamus.

Nam in prima Antitheseos parte, de sententia suorum asserit: in sacra cœna, terrena, panem & vinum ore corporis, cœlestia autem ore animæ, seu fide (respectu instrumentorum accipientium) percipi. Sed vbi verbum Dei in verbis Testamenti Christi, quod hoc confirmet? Fides enim SOLO VERBO DEI *nititur, & fidei solo Dei verbo satis fit.* CHRISTVS *accipiens panem distribuit eundem discipulis, dixit: accipite & manducate, Hoc est corpus meum,* QVOD PRO *vobis datur. Num hîc vocabulum (manducate)* ὁμώνυμον, *seu æquiuocum est? quod habeat duo significata? Hoc ne Caluinus quidem tibi concessisset. Significat enim ore manducare,* NON CREDERE: *sicut Ioannis sexto manducare significat credere, non ore edere. Cùm igitur Christus iubet ore manducare hoc, quod dedit (dat autem non solùm panem, sed corpus suum, quoniam inquit: Hoc est corpus meum) quomodo ergo tu dicis, ore duntaxat fidei corpus Christi percipi & manducari? cùm nullius fidei meminerit, aut manducationis, quæ fiat per fidem, sed solùm eius,* QVÆ *fit* ORE.

Manducare vocabulum quomodo ὁμώνυμον.

Quando autẽ nos dicimus & constanter asserimus: Non minùs cœlestia ore corporis, quàm terrena percipi, non opinio incerta, sed vera doctrina & vera fides est, quæ disertis & expressis, ac simplicissimis verbis Testamenti Christi nititur, qui iussit hoc loco ore manducare.

Manducatio corporis Christi, quæ ore fit.

Quod verò Opinator ait: hoc non minus agreste & absurdum ἀπρεπὲς καὶ σκαιότατον *esse, quã si quis dicat: panẽ & vinũ corde percipi, ipsum aũt corpus & sanguinem Christi, ore corporis, &c. Cum Chrysostomo fatemur, sensibus & rationi humanæ rem valde absurdam esse, & cum Ordothoxa vetustate, adeò absurdam, vt*

Obiectio.

Responsio.

NON NISI FIDES INTELLIGERE POSSIT. *Neq; aquã verò ἀπρεπεῖς esse, vt per terrena, cœlestia nobis distribuantur, Idem Chrysostomus confirmat, sicut suprà in Thesi 16. ipse Opinator verba eius, sed non bona fide, recitauit, quibus testatur*

Per sensibilia intelligibilia dari non ἀπρεπὲς καὶ κακοσύσταλον.

IN SENSIBILIBVS INTELLIGIBILIA DARI. *Quoniam enim homo non totus spiritualis est, sed corpore & spiritu constat: ideo in sensibilibus & per corporalia, spiritualia in Sacramento Eucharistiæ dispensari: non ἀπρεπὲς, sed aptissimum & conuenientissimum est.*

Refutatio Hypallagæ Grynæi.

Neq; verò Hypallage Opinatoris hîc locum habet, qua dicit: tam id absurdum esse, quàm si quis dicat: panem & vinum corde percipi: Ministrũ externũ baptizare spiritu: Christum verò externo aquæ Baptismo defungi: Deum circumcidere carnis præputiũ, terrenũ verò Patrem circumcidere cor filioli. Sic. n. Deus ordinauit, vt non solùm aquã Baptismi effundat in Baptizandum Minister, sed quòd per illam aquã etiã velit suo spiritu baptizare, non Animã tantùm, sed etiã corpus, adeoq; totum hominem, sicut paulò antè ostensum est. Siquidẽ Baptismus tàm ad corpus, quàm ad Animam pertinet. Cùm non sola Anima, sed corpus quoq; cum Anima, adeoq; totus homo peccauerit. Ideoq; etiã in hoc spirituali lauacro, spiritualiter à peccatis mundari, & lauari debet, non sola Anima, sed corpus quoq;, & sic TOTVS HOMO, *Anima & corpore constans.*

Eadem circumcisionis quoq; ratio est, qua non Deus ipse præputium carnis circumcidere voluit, sed hominũ Ministerio hoc cõmisit, per quod ipse spiritu suo internã renouationem operatur: sic & panem & vinum Eucharistiæ ore percipere, non corde credere iussit. Per quæ terrena ipse promisit, se daturum corpus & sanguinem suum, quod, vt credamus, seueriter verbis Testamenti sui à nobis exigit, & quomodo hæc manibus Ministrorum tractentur, sanguine Christi lingua cruentetur, & hoc ore sumatur, quod creditur, quòd caro corpore & sanguine Christi vescatur, vt & Anima à

Deo saginetur, suprà orthodoxorum Patrum testimonijs comprobauimus. Desinat ergo hanc nobis hypallagen absurdam, & à se confictam obijcere, qua Hypocrita ordinem diuinitus cõstitutum euertere conatur, vt suum somnium Schwenckfeldianum confirmet, seorsim à Ministro nihil, nisi aquam in Baptismo, & panem ac vinum in Eucharistia dispensari: corpus autem & sanguinem Christi, NVLLO MODO IN *terrenis Symbolis distribui, aut accipi, sed sicut paulò pòst dicit, non nisi menti, & cogitationi eius adesse. Quod verbis Testamenti Christi apertè repugnat.*

In secunda Antitheſi impietatem, & cordis sui errorem magis aperit Opinator, in qua de modo manducationis rei terrenæ, & cœlestis disserit. Ac primùm quidem concedimus, verum esse, quod dicit: Ea quæ in S. Cœna nobis adsunt & exhibentur, EO MODO, *quo adsunt, exhiberi & percipi. Ideoq; etiam terrena Symbola naturaliter, localiter, corporaliter, accipi, extra omnem controuersiam positum est &c.* De modo manducationis rei terrenę & cœlestis.

Deinde & hoc concessum est &c, corpus & sanguinem Christi, neq; localiter adesse, neq; corporaliter, naturaliter aut localiter, (nam his vocabulis in eadem significatione vtitur Hypocrita) exhiberi aut percipi.

Quòd autem inde colligit Opinator: quia non adsunt localiter: ideò non nisi menti, & cogitationi promissionem intuenti adesse, quòd videlicet mens cogitet de Christo, pro nobis passo, & crucifixo, qua ratione sibi Christum præsentem fideles faciunt. Sicut in veteri Testamento, hac mentis cogitatione etiam patribus verè præsentem fuisse, paulò antè scripsit, & vno ore Zuingliani docent, atq; hic noster Hypocrita approbat. Id apertè falsum esse dicimus.

Non enim mentis cogitatio Christum suo corpore, & sanguine præsentem facit, sed OMNIPOTENS VIRTVS SPIRITVS SANCTI, *sicut orthodoxi Patres & veteris Ecclesiæ li-* Quid præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia efficiat.

turgiæ, iuxta verba Testamenti Christi, manifestè testantur. Est ergò præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Eucharistia modus, neq; localis, neq; quem cogitatio mentis efficit, sed opus omnipotentiæ Dei, in quam sedem caro Christi collocata est, ad dexteram virtutis & Maiestatis Dei, quæ non à fide vel cogitatione mentis humana, sed à diuina voluntate & potentia dependet, qua huic suæ institutioni Christus suo corpore, & sanguine, IN MYSTERIO *adest, cuius modus humanæ rationi inscrutabilis est, vt Damascenus loquitur: Nam fides non præsentiam Christi, sed* SALVTAREM *præsentiam efficit, qui etiam infidelibus adest, sed non salutari, verùm ipsis pernitiosa præsentia.*

Qualem præsentiam Christi fides efficiat.

Vocabula (manducare & bibere) in cœna Domini, quomodo accipienda.

Nos magnoperè de eo quoq; cum aduersario disceptaremus, cùm scribit: disertè testamur: manducandi & bibendi vocabula, cùm ad panem vinumque referuntur, PROPRIE: cùm autem ad Christi corpus & sanguinem, TRANSLATE sumenda esse, *si modò ea intelligeret, quemadmodum ab orthodoxis Patribus exposita sunt. Nam certum est, eo modo corpus & sanguinem Christi manducari & bibi,* QVO ADSVNT. *Adsunt autem non localiter, physicè & carnaliter, sed vt vetustas locuta est,* IN MYSTERIO, CVIVS MODVS SIT INSCRVTABILIS, DE QVO NIHIL HABEAMVS, QVAM CHRISTI VERBVM VERVM, EFFICAX, OMNIPOTENS. *Ideoq; etiam modus manducandi non est carnalis, physicus aut localis, quamuis in re sensibili, & per rẽ corporalem, à Deo ordinatam, iuxta verbum Testamenti Christi fiat: verus tamen & tàm verus & realis, quàm verum & reale est Mysterium. Quod non in eo consistit, sicut ex suo Cacodoxo Consensu Opinator noster falsò docet, quòd panis & vinum, nomen & appellationem corporis & sanguinis Christi sortiantur, & ea significent atq; repræsentent. Is enim modus non est inscrutabilis, sed planus & apertus, quem non modò ratio humana intelligit,*

Quomodo corpus & sanguis Christi in S. Cœna manducetur & bibatur.

Damascenus.

sed

sed etiam sensus externus comprehendit. Sed Mysterium in eo positum est, quòd corpus Christi verè & realiter, IN, SUB, CUM *Pane Eucharistiæ adsit, sicut orthodoxi Patres locuti sunt. Cuius præsentiæ modus ignoratur, & his particulis ab ipsis orthodoxis Patribus explicatus est, quibus hoc solùm dicere voluerunt: Nō solum panem & vinum, sed etiam verum corpus & sanguinem Christi verè & realiter, sed ineffabili modo adesse, distribui, & cum terrenis Symbolis sumi. Quod Hypocrita noster cū Zuinglianis negare non potest, vt illis ilia quoq; rumpantur.*

Quò magis miranda est & insignis & detestanda impudentia eius, cum suis socijs, Consensus Cacodoxi Compilatoribus, quòd Mysterio Eucharistiæ, contra totius orthodoxæ Ecclesiæ veteris & purioris consensum, supra naturam posito, eiusmodi interpretationem affingere, eamq; pro veritate, & orthodoxorum Patrum consensu pio, venditare audet.

Quod autem in altera parte huius Antitheseos de sententia nostra dicit, nos docere: corpus & sanguinem Christi, quæ localiter non adesse fateamur, percipi tamen corporaliter, realiter, oraliter, sed modo cœlesti, supernaturali, ineffabili, quo nomine nobis ipsis fædè contradicamus: denuò optandum esset, vt ante Baccalaureatum in classicis lectionibus, Dialecticæ inprimis, SUA STUDIA MELIUS APUD NOS CONFIRMASSET. *Qua in parte Doctores & Professores, Organi Aristotelici, D. D. Iacobus Schegkius, & M. Ioannes Mendlinus Dialecticæ Philippi Professor, suam vtilem operam ei præstitissent, vt doctrinam de contradictionibus rectè intelligeret.*

Grynæus in doctrina Dialectica de contradictionibus non benè institutus.

Inprimis verò cùm nobis Platonis dictum obijciat, quo monet, ea, quæ rectè data & concessa sunt, auferri & negari minimè debere: ipse vicissim meminisse debebat, quòd in præcedente 19. Thesi σωματικῶς præsentiam interpretatus sit REALEM, *quæ cogitationi duntaxat opponitur, qua de rebus absentibus cogitamus, quæ realiter nobis non adsunt.* Cùm

Nulla contradictio in doctrina nostra de cœna Domini.

*Cùm igitur non ignoret, nostros per hoc vocabulum (*CORPORALITER*) non localem modum præsentiæ corporis Christi, sed* REALEM *intelligere. Item: Corpori Christi quoq; in hoc Mysterio, propter Sacramentalem vnionem cum pane Eucharistiæ tribui: quòd oraliter sumatur, quoniam panis, de quo Christus dixit: Hoc est corpus meum, non nisi ore sumitur: qua fronte nos contradictionis arguere audet superbus Hypocrita, quasi nobis ipsis fœdè contradicamus? Num quia propter vnionem Sacramentalem, cum pane & vino, quæ ore accipiuntur, oraliter hoc accipi dicitur in Mysterio: ideò etiam localiter accipi dices? Num quod realiter cœlesti modo adest, idem localiter adesse affirmabis? Si enim localiter adesse & sumi diceremus: nequaquam vocabulis orthodoxæ vetustatis vteremur,* IN MYSTERIO.

N.B. *Nam ideò in Mysterio adesse dicitur, quia non adest localiter, & ideò non localiter, quia in Mysterio. Modus igitur cùm manifestè diuersus asseratur, ex regula contradictionis manifestum est, nullam hîc contradictionem implicari.*

Regula falsissima Cacodoxi Consensus de præsentia reali.

Sed Hypocrita noster Cacodoxo Consensu Zvuingliano, & Caluiniano fascinatus, falsò putat, quicquid EO LOCO *adest, quo adsunt Symbola, res externæ: eodem etiam corpus & sanguinem Christi* LOCALITER ADESSE, *aut prorsus* NON REALITER ADESSE. *Quasi verò nullus realis modus* ADESSENDI, *hoc est, præsentiæ corporis Christi in Mysterio esse possit, quàm localis, physicus, & corporalis ille, quem dimensionibus humani corporis definiunt, circumscriptione Physica, aut Mathematica, homines in Mysterijs carnalissimi & veri Capernaitæ, qui tamen spiritualissimi videri volunt? Quos mittamus, quia nihil credunt, nisi quod vident & palpant, quod illorum Cacodoxus Consensus facilè docet.*

Zvuingliani & Caluiniani carnalissimi homines.

GRY-

GRYNÆVS.

XXI.

Sed enim, dicet pius aliquis, animi hac in parte dubius, & αὐτρεόδωλογισμῶν constitutus: Quæ tandem illius diuersæ opinionis, quam improbatis, causa esse potest? Respondeo, ignorantiam verę doctrinæ de litera & Spiritu, erroneæ opinionis fontem primùm extitisse. Quum enim ita comparatum sit hominum ingenium, vt Christo facilè neglecto, externo cultu (qui literæ proprius est) & corporali exercitatione maximè delectentur, fingantque, Deum elementis mundi præcipuè coli, & his sæpè vsurpatis saluti maximè consuli: etsi miserrima seruitus esset, signa pro rebus ipsis habere & accipere: illis tamen, propterea, quòd sensibus obnoxia sunt, plurimùm semper deferunt Sacramentorum absolutam necessitatem, VIMQVE NATVRALEM quandam COMMINISCVNTVR. Accesserunt autem & alij errores, vt Manichæa imaginatio, quæ fingit, signis Sacramentalibus mutatis, ipsas quoque res mutatas esse: opinio falsissima, quę sic Christum & eius beneficia noui Testamenti propria facit, vt Patribus nihil pręter vmbras relinquat: quam hoc tempore, cùm Anabaptistis quidam communem habent: denique Papisticum commentum de Sacramentis vim iustificandi & saluandi habentibus, quòd rectè dixeris esse πρῶτον ψεῦδος, id est, primam falsitatem in hoc negotio.

Erroris circa Eucharistiam fons, & remedium.

Occurrent autem pij omnibus istis erroribus, si illud persuasum habuerint, Iesum Christum heri & hodie eundem esse, & fore in secula, hoc est, si eundem nobis factum à Deo sapientiam, iustitiam, sanctifica-

ctificationem & redemptionem crediderint: si redemptorem omnium saluandorum, illustrantem eos suo sanguine, pascentem eos suo corpore, verè agnouerint, ac didicerint: vetus & nouum Testamentum NON SVBSTANTIA DIFFERRE, sed tantùm dispensatione: Et in verbo & Sacramentis NON LITERAM SEV RES EXTERNAS: ceremonias & Elementa: sed Spiritum, hoc est, Christum ipsum, & eius causa verbum internum, aspersione sanguinis Christi, regenerationis gratiam, escam potumque spiritualem, denique benedictionis Iesu Christi obsignationem per Spiritum sanctum, præcipuè expetiuerint, & magnifecerint.

IACOBVS ANDREÆ.

Grynæus Satan.

Vix me continere possum, Hypocrita, quin cum Propheta tibi dicam, tanquam Diabolo stanti à dextris Iosuæ, Sacerdotis Magni, vt ei contradiceret, increpet Dominus in te Satan. Qui in hac Thesi non modò electum Dei organum Lutherum piæ & sanctæ memoriæ, sed etiam omnes eos, qui piè cum ipso in doctrina de cœna Domini consentiunt, impudenter accusare audes, quòd doctrinam veram de Spiritu & litera ignoraueris, atq; hanc ignorantiam, erroneæ opinionis, de sacra cœna Domini, fontem primum extitisse. Cùm vniuerso propemodum terrarum orbi notum sit, doctrinam de Spiritu & litera, à Luthero, contra corruptelas superioris seculi, ita illustratam esse, vt iam inde ab Apostolorum temporibus, à nullo scriptorum Ecclesiasticorum factum esse, omnium piorum iudicio, qui eius scripta legerint, manifestè constet. Quam doctrinam Hypocrita noster hac sua Thesi iterum obscurare conatur, qui prorsus ignorat, quid apud D. Paulum LITERA, *&* SPIRITVS *significent.*

Doctrina de Spiritu & litera à Luthero tradita.

Grynæus doctrinã de Spiritu & litera ignorat.

Literam

Literam enim appellat res externas, ceremonias & elementa, cùm Apostolus Paulus vniuersam doctrinam legis, moralis inprimis per eam intelligat, quæ occidat & damnet. Spiritum verò doctrinam Euangelij, per quam datur Spiritus sanctus, qui in credentibus operatur fidem, qua fideles Christum apprehendunt, qui legem pro ipsis impleuit, & largitur Spiritus sui sancti gratiam, vt lege delectentur, postquam lex non amplius fideles occidere & damnare potest, sed sciunt, Deo etiam inchoatam duntaxat, & imperfectam obedientiam ipsorum, quam ex fide præstant, placere.

Litera quid Grynæo significet.

Spiritus quid.

Hanc veram & germanam verborum Pauli, de Spiritu & litera sententiam & doctrinam, cùm ignoret Hypocrita superbus, neq; etiam à Luthero discere cupiat: literam ad Elementa & Symbola Sacramentorum impiè transfert, & de illis interpretatur: cùm sint pars Euangelij, adeoq; appendix, quæ ad vitam à Christo instituta sunt, videlicet, ad obsignationem, non literæ occidentis, hoc est, legis, sed Spiritus viuificantis, hoc est, Euangelij de Christo Iesu mundi Saluatore vnico.

Elementa Sacramentorum non sunt litera occidens.

Deinde non minùs flagitiosum est, quòd Luthero & discipulis eius impudenter imputare audet, quasi Christo neglecto, externo cultu (qui literę proprius sit) & corporali exercitatione maximè delectentur, fingantque Deum Elementis mundi PRÆCIPVE coli, & his sæpè vsurpatis, saluti maximè consuli.

Impudentia Grynæi.

Quis enim iam inde à temporibus Apostolorum, Christum tanta fide prædicauit, eius gratiam & merita ita celebrauit & commendauit, sicut à Luthero factum est? Quis maiore zelo pro Christo pugnauit, externo cultu Deum non coli, qua concione totius Papatus Idolatriam, & humanas traditiones in Ecclesias inuectas, conculcauit? Aut quid Hypocrita no-

Lutherus gratiæ & cultus diuini Zelosus assertor & præco.

uisset, si Lutherum in nouissimis temporibus his Deus non excitasset?

Effugium Grynæi. *Quòd si dicat Hypocrita, hæc in genere dicta esse, videlicet, quòd ita comparatum sit humanum ingenium, vt Christo*

Refutatio. *facilè neglecto, externo cultu delectentur: manifestum tamen est, hanc erroris circa Eucharistiam causam & fontem, ad marginem notari, cuius Lutherum & discipulos eius, suppresso nomine, accusat. Lutherus enim contra fanaticos Spiritus, externi verbi prædicationem, Baptismum aquæ, & Sacramentum Eucharistiæ, in omnibus suis scriptis, præsertim in popularibus concionibus, populo grauiter inculcauit, à quibus Diabolus, per cœlestes Prophetas, quos sic vocabat Lutherus, adnescio quas Spiritus reuelationes auocauit, vt Ecclesiam suo thesauro spolient, qui in externo verbo, & per Symbola externa Sacramentorum offertur.*

Contemptus & insectatio externi Ministerij Ecclesiastici. *Inprimis verò vngues suos, Leo rugiens, & Draco infernalis, in conductitio famulo suo & fideli seruo Grynæo, monstrat, dum tacitè, imò expressè illud quoque in Luthero reprehendit, quòd docuerit: Sacramentis sæpè vsurpatis saluti maxime consuli. Non enim Lutherum notat duntaxat, sed Draco*

Sarcasmus Diaboli, contra frequentem vsum Sacramenti Eucharistiæ. *infernalis Apostolum Paulum, imò* CHRISTVM *ipsum ridet, quasi verò non multum, quoad salutis rationem, situm sit, vt sæpè Sacramentis vtamur, quibus fides in nobis confirmetur, charitas in Deum & proximum excitetur, patientia in rebus aduersis, spes æternæ liberationis, & expectatio futuri seculi corroboretur. Nomine enim Sacramentorum, Lutherus nequaquam res externas duntaxat intellexit (sicut Opinator noster cum suis facit) sed, quæ cum his rebus externis coniunctæ sunt, res spirituales, quæ hunc effectum præstant, quem res externæ nunquam efficere possent.*

Z vuin-

Zuingliani verò cum Hypocrita nostro, quoniam Sacramenta pro rebus duntaxat externis habent, quibus Relatio adhæreat, ideò mirum non est, quòd his non sæpè utantur. In primitiua Ecclesia testatur Augustinus, quibusdam in locis quotidie, quibusdam, diebus Dominicis singulis, cœna Domini fideles vsos esse, quarum posterior consuetudo in Saxonicis Ecclesijs ad hunc vsq; diem seruatur, etsi non semper ijdem sunt, qui sacris, singulis diebus Dominicis communicent. Zuinglianis verò sufficit, si in anno semel, bis, ter quaterue celebretur, ne fortè populus rebus externis nimis grauetur, qui quotidie per fidem corporis & sanguinis Christi, spiritualiter particeps fieri & communicare potest. Quin Schuenckfeldiani viginti, triginta annis, ab illis rebus externis abstinent, quòd per illa, res spirituales, tanquam Christo Regi gloriæ indignas, dispensare minimè credant. Eiusmodi profanos animos efficit peruersa hæc de Sacramentis doctrina, qua duntaxat tanquam res externæ aspiciuntur, quibus relatio tantùm & respectus aliquis adhæreat ad res spirituales, per illas autem non exhibeantur.

Cõtemptus Sacramentorũ in Zuinglianis vndè.

Frequens vsus cœnæ Domini in primitiua Ecclesia.

Apud Zuinglianos cœna Domini rarò celebratur.

Schuenckfeldiani cur nunquã ad cœnam Domini accedant.

Quòd verò ait ex Cacodoxo suo consensu, miserrimam seruitutem esse, signa pro rebus ipsis habere & accipere: sicut per se verum est, sic atrox calumnia est, quòd hanc opinionem nostris tribuit. Non enim adeò stupidi & stulti sumus, quòd signa à rebus, quæ in Mysterio in illis continentur, discernere non possimus. Zuingliani verò adeò crasso sunt cerebro, vt caput à corpore distinguere, illis sit bipenni vel gladio caput à corpore auferre, vt discrimen & distinctio conspici possit. Nos res spirituales, cum signis in Sacramentis noui Testamenti, coniunctas esse, iuxta verba Testamenti Christi, dicimus, & illas per has, seu in his rebus externis dispensari, & sumi, credimus. Quæ nequaquam miserrima seruitus est, sed diuina ordinatio, verbo Christi constituta.

Fol. 97. a. Calumnia de signis.

Zuinglianorum crassum cerebrũ.

4. Quantum rebus externis in Sacramentis tribuatur.

Sic rebus externis, quæ sensibus expositæ sunt, non plus deferimus, quàm verbum Dei docet, & simplicissimè sonat, videlicet, esse organa & instrumenta diuinitus constituta, per quæ CHRISTVS *seipsum, suaq; beneficia nobis communicat: ideoq; in summo precio & honore, propter Verbum Dei, habenda esse, docemus.*

5. De Sacramentorũ absoluta vi & necessitate.

Sed quod Sacramentorum absolutam necessitatem, vimque naturalem quandam comminiscamur: duplex impudentissimum Hypocritæ mendacium est. Semper enim & constanter in Ecclesijs nostris traditum est, in casu necessitatis homines etiam coram Deo excusari: quibus Sacramenta non contingere potuerunt, cùm non priuatio, sed contemptus Sacramentorum damnet. Interim tamen sedulò & diligenter monemus, præsertim, quod ad Baptismum attinet, ne quisquam negligatur. Sicut enim in casu necessitatis, vbi negligentia & contemptus non accessit, saluti infantis nihil decedere sentimus: sic negligentiam, à Sacramenti contemptus specie, segregari vix posse, arbitramur.

6. Vis Sacramentis qualis insit.

Vim autem naturalem Sacramentis inesse, quòd scripserint nostri, non commentum est, sed rei veritas, si eo modo Sacramentum sumeret Hypocrita, quo illi vsi sunt, videlicet, quòd simul & signum & rem signatam complectatur. Nunquam enim est Sacramentum sine sua virtute, siue ad vitam, siue ad iudicium quis particeps fiat. Verùm Hypocrita noster de rebus externis duntaxat intelligit, quasi illis naturalem aliquam vim tribuamus, quod vanissimum commentum est.

7. Quomodo in Sacram. vet. & noui Testamenti res eadem & nõ eadem.

Quod autem Manichæam imaginationem appellat, cùm dicitur: Signis Sacramentalibus mutatis, res quoque mutatas esse, quæ opinio sit falsissima, de eo partim suprà dictum est,

partim

partim hîc vlterius dicetur. Etsi enim verum est, quòd res Sacramentorum eadem in Sacramentis veteris & noui Testamenti sit, videlicet CHRISTVS: *tamen & hoc certum est, quòd hæc res in Sacramentis veteris Testamenti tantùm adumbrata sit, quæ in Sacramentis noui Testamenti reuera existit. Idcóque Sacramentalia signa veteris Testamenti mutata esse, quia duntaxat vmbræ, typi & figuræ fuerunt venturi* CHRISTI *in carne. Sic circumcisio præputij in membro genitali, Ecclesiam de semine mulieris benedicto admonuit, & de eo concionata est. Postquam ergo venit* CHRISTVS, *in eius locum aqua Baptismi successit, qua omnes in mortem Christi baptizantur, qui huic actioni præsens est, & sanguine suo à peccatis baptizatum lauat. Sic etiam Esus carnis Agni Paschalis & reliquorum sacrificiorum sublatus est, quod caro Agni & reliquorum sacrificiorum carnem & sanguinem Domini nostri* IESV CHRISTI *tantùm significarent, & repræsentarent. Postquam verò* CHRISTVS *nouum Testamentum instituit, & sua morte confirmauit, in quo promittit, quòd nobis suum corpus & sanguinem verè exhibeat, sicut sacrificia ipsa, post sacrificium* CHRISTI *in cruce peractum, omninò abolita sunt: sic etiam Esus carnium immolatorum sacrificiorum abrogatus est, vt non amplius vmbra, sed veritate, adeóque reipsa vescamur, videlicet, corpore & sanguine Christi, sicut verba Testamenti habent.*

Quapropter si rectè loqui volumus, signis mutatis, non res mutatæ sunt, sed res, quæ in signis veteris Testamenti nondum erat: verùm duntaxat per typum adumbrata fuit, nunc in signis noui Testamenti reuera adest, neque amplius adumbratur, sed verè & reipsa exhibetur. Quæ non est opinio incerta aut falsa, sed veritas certissima & manifestissima.

Nam

8. *Nam quòd Hypocrita dicit:* Ideò opinionem falsissimam esse: quia sic Christum ET EIVS BENEFICIA noui Testamenti propria facit, vt patribus nihil præter vmbras relinquat: *nullo modo sequitur. Etsi enim Christum non habuerunt incarnatum, Christum tamen habuerunt sub typo & figura adumbratum, cuius beneficiorum tàm facti sunt per fidem participes in veteri Testamento, quàm nos in nouo Testamento, qui Christum nunc incarnatum, sine vmbra, typo, & figura habemus. Id cùm non ignoret Hypocrita à nobis perspicuè & constanter doceri: qua fronte coram Principe Palatino, & Illustri ac Magnifico consessu præstantissimorũ virorum tàm apertum mendacium proponere ausus est, quod etiam ad externas rationes cupit perferri, vt vanitas & impudentia hominis pluribus innotescat.*

Quomodo in veteri Testamẽto nõ solùm vmbram habuerint Patres.

9. *Quàm etiam hac in parte nostri, sicut in alijs omnibus cum Anabaptistis, nihil commune habeant, res ipsa loquitur. Contrà verò certum est, de sacra Domini cœna,* VNAM ET EANDEM *opinionem Zvuinglianorum & Anabaptistarum esse, quod colloquium Palatinorum Zvuinglianorum cum Anabaptistis in Franckental habitum, apertè docet. Etsi enim magno studio Palatini Zvuingliani eo tempore Anabaptistis persuadere conati sunt, ipsos diuersam ab illis doctrinam de cœna Domini profiteri: Anabaptistæ tamen illos vanitatis manifestè conuicerunt, vt tandem etiam acquiescere sint coacti. Si enim in reliquis articulis nulla dissensio fuisset, facilè illos socios suæ opinionis, & Ecclesiæ suæ membra agnouissent. Quia verò, si persuasum esset omnibus, Anabaptistas eandem opinionem, de cœna Domini cum ipsis profiteri, neminem amplius habuissent, ad quem Sacramentarios errores de nudis signis deriuare potuissent, à Theologis Augustanæ Confessionis apertè damnatos, ideo tanto conatu illis dissensionem persuadere, sed frustrà conati sunt.*

Zvuing & Anabaptistarum VNA opinio de cœna Domini.

Cur Zvuingliani videri velint dissentire ab Anabaptistis.

Deniq;

Deniq́, quod tanquam Papisticum commentum damnat Hypocrita in ijs, qui Sacramentis vim iustificandi & saluandi tribuunt. Idque πρῶτον ψεῦδος, id est, primam falsitatem in hoc negocio esse dicit: quàm egregiè noster Opinator in cognitione veritatis Sacramentorum proficiat, satis testatum facit. Nam Christus Saluator noster inquit: Qui crediderit & Baptizatus fuerit, SALVVS *erit. Hìc Hypocrita noster inquit, Fidei rectè tribuitur vis iustificandi & saluandi, quia scriptum est, iustus ex fide viuet. Item, Iustificati fide pacem habemus. Item, Qui crediderit, saluus erit. Sed de Baptismo id nequaquam dici,* CERTO PERSVASVM HABET. *Quia, inquit, πρῶτον ψεῦδος. Sed num sufficit nuda & Magistralis censoria virgula Hypocritæ? nec opus est, id vllo vel argumento, vel verbo Dei confirmare?* 10. Quomodo Sacramentis vis viuificandi & saluandi tribuatur.

An verò Deus absoluta sua voluntate, si vellet, non posset hominem saluare propter Christum passum, vt maximè non haberet fidem? in quo errore etiam Zuingliani de infantibus baptizatis hærent. Quemadmodum autem necessariò requirit fidem: sic etiam ordinauit Baptismum, per quem etiam salutem baptizati operatur, quæ illi sine iustificatione, hoc est, sine absolutione à peccatis facta, non contingit.

Sicut igitur fides est instrumentum recipiens gratiam iustificationis: sic verbum Dei, siue cum signis Sacramentalibus, siue sine signis externis prædicatum, organum & instrumentum est, per quod Christus homini cum omnibus suis beneficijs confertur & applicatur. Hanc vim quisquis Sacramentis negauerit, quod Hypocrita noster aperte facit, & tanquam Papisticum commentum damnat: quid & quàm magnificè, scilicet, de Sacramentis & Ecclesiæ Ministerio sentiat, omnibus pijs iudicandum relinquo. Ego blasphemiam horrendam esse, in verbum & institutionem Christi, NIHIL DVBITO, *idq́ Lectori demonstrasse confido.*

fido. Cui denuò illud Pauli diligenter meditandum commendo, quod de Ministerij dignitate, præstantia, & efficacia ad Timotheum scripsit: Hæc faciens, teipsum, & qui te audierint, SALVABIS, σώσεις, *inquit, saluabis. Qua sententia Apostolus honori Christi Saluatoris nihil detraxit, neq;* COHONESTANDI *causa Mysterium commendauit, sed de reali illa vi disseruit, quam Deus in fidelibus per hoc Organum exercet.*

11. *Ex his manifestum esse existimo, quàm profana sit Hypocritæ nostri, de Sacramentis noui Testamenti opinio, omnibus pijs fugienda & detestanda.*

Quod verò ait: pios omnibus istis erroribus *(quos ipse tanquam errores damnat)* occurrere posse, si illud persuasum habuerint, Iesum Christum, heri & hodie eundem esse, & fore in secula, hoc est, si EVNDEM nobis factum à Deo sapientiam, iustitiam, sanctificationem, & redemptionem crediderint: si redemptorē omnium saluandorum, lustrantem eos suo sanguine, pascentem eos suo corpore, verè agnouerint. *Id verè dictum esse existimo, si horum verborum explicatio cum eo non pugnaret, quam Opinator præmisit, & quæ in sequentibus Thesibus sequitur, sicut suprà quoq; ostensum est.*

Etsi enim Christus, ratione Diuinitatis & beneficiorum suorum, est hodie, heri & in secula idem Christus, quibus beneficijs tàm fruebantur Patres in veteri Testamento, quàm fideles in nouo Testamento: non tamen eadem vel ipsius Christi præsentia, vel eadem Sacramentorum in vtroq; Testamento ratio est, sed discrimen tantum est, quantum inter corpus & vmbram. De quo cùm nunc aliquoties dictum sit, plura addere nolo, quàm hoc

12. *vnum: Falsissimum esse, quod subiungit Opinator: vetus & nouum Testamentū* NON SVBSTANTIA *differre, sed* TANTVM DISPENSATIONE, *vtroque enim differre ad*

Sacramenta vet. & noui Testamenti substantia differre.

oculum

oculum demonstrabimus. Enimuerò substantiam carnis Christi in Sacramentis veteris Testamenti non adfuisse, omnibus constat, in quibus vmbra, typus & figura duntaxat fuit, sicut suprà ostendimus. In nouo autem Testamento, sicut filius Dei incarnatus est: ita etiam in Sacramentis noui Testamenti incarnatus adest. Idcoq; respectu carnis seu humanitatis Christi, illic vmbra duntaxat, hîc verò corpus, illic typus, hîc prototypon, illic figura, hîc res figurata. Quæ res figurata, & corpus & sanguis Christi est substantia, qua realiter Sacramenta veteris & noui Testamenti differunt.

13. Discrimen ratione dispensationis.

Quemadmodum autem, quoad præsentiam Christi in vtroque Testamento, ingens est discrimen: ita etiam idem discrimen in dispensatione elucet, quod videlicet corporis & sanguinis Christi substantia, in Sacramentis noui Testamenti, præsens in Mysterio dispensatur, iuxta illud Christi: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum: Accipite, bibite, Hic est sanguis meus NOVI TESTAMENTI. *Quod in veteri Testamento non est dictum. Etsi enim Moses quoq; carnes habuit Sacrificiorum, quibus vescebantur, cum populum sanguine aspergeret, verum sanguinem habuit: non tamen vera fuit caro & sanguis noui Testamenti, hoc est, Christi caro & sanguis, sed veteris Testamenti caro & sanguis, videlicet, victimarum, quæ caro & qui sanguis duntaxat typus, figura & vmbra fuit carnis & sanguinis* CHRISTI *substantialis. Si autem verum esset, quod hic Opinator noster dicit, Sacramenta veteris & noui Testamenti substantiâ non differre, tum caro & sanguis taurorum, vitulorum, aliarumq; victimarum, tam fuissent caro & sanguis noui Testamenti, quàm panis & vinum Eucharistiæ, quo, tanquam typo, & figurâ, sanguinem Christi adumbrari, significari, & repræsentari dicunt.*

Ex opinione Zuinglian. Sacram vet. Testa. illustriora, Sacramentis noui Testamenti.

Id, quàm absurdum sit, ex eo cognoscere licet. Si enim Sacramenti ratio omnis in significando, & repræsentando consisteret, Sacramenta veteris Testamenti longè illustriora essent, quàm Sacramenta noui Testamenti. Caro enim agni Paschalis, magis perspicuè & disertè repræsentabat carnem Christi, quàm panis. Et sanguis sanguinem magis, quàm vinum, quæ ratione significationis, nullam propemodum similitudinem cum re signata habent. Et quoniam cœna Domini in memoriam mortis Christi instituta est, an verò per mactationem agni, non multò commodiùs mors Christi hominibus in memoriam reuocaretur, pueris & puellis inprimis, quàm duntaxat panis & vini vsu?

Verùm Christus panem & vinum Eucharistiæ, non ad significandum, aut repræsentandum, sed ad dispensandum & exhibendum suum corpus & sanguinem ordinauit: Ideoq; nunc substantia adest corporis & sanguinis Christi, modo cœlesti, quæ substantia in Sacramentis veteris Testamenti non adfuit.

Deinde hoc quoq; hîc monendum duxi, cùm iuxta opinionem aduersarij nostri, non substantiæ corporis Christi, sed beneficiorum eius tantùm dispensatio in Sacramentis noui Testamenti fiat, mirum est, ratione dispensationis duntaxat, Sacramentorum discrimen ponere, quum hæc beneficia non minus in veteri Testamento facta fuerint per vmbram, quàm nunc per corpus ipsum. Siquidem per fidem propter Christum, nõ minus propicium Deum habuit Abraham, quàm Petrus & Paulus: idq; propter Christum, in quem credidit, venturũ, quemadmodum hi venisse crediderũt. Sic quòcũq; se vertat Hypocrita, in errore deprehenditur.

Cur pro reali præsentia corp. Christi in Sacramento tanto perè pugnetur.

Sed posset aliquis dicere: si per vmbram, beneficiorum Christi participes facti sunt Patres veteris Testamenti, non minus, quàm nos in nouo Testamẽto: quæ causa est, vt tam acriter pro reali illa præsentia pugnetur? Respondeo: 1. *verbũ Testamenti Christi* 2. *obstat, à quo tantillũ recedere, est Christũ mendacij arguere. Et si in hoc loco illud nobis persuaderi patiamur, nihil certi in vniuersa*

religio-

Religione nostra retinebimus. Cuius periculi nos lapsus primorum parentum admonet, quo vniuersum humanum genus in perpetuum exitium præcipitatum est. Ex quo, nisi nos Christus liberasset, in æternum nobis pereundum fuisset, qui passi sunt sibi à serpente persuaderi, vt à verbis Dei apertis recederent. Sic Paulus quoq; Corinthios suos monet: Metuo (inquit) ne quomodo, sicut serpens ille Euam seduxit calliditate sua: ita corrumpantur sensus vestri, & excidant A SIMPLICITATE, *quæ est in Christo Iesu. Paulus à suis Corinthijs requirit simplicitatem, sed Opinator noster semper eruditionem commendat, qua Mysteria regni Dei ad modulum rationis humanæ accommodat, vt intelligere magis, quàm fide comprehendere doceat, quod eum facere, paulò antè ostendimus, & infrà magis perspicuè demonstrabimus, vecunq; id negare videri velit.* 3. 4. 2. Cor. 11. Cur Grynæus eruditionem perpetuò inculcet.

Deniq; etiam hoc notandum est, quòd non solùm Pauli verbis de Spiritu & litera abutitur, eorumq; sensum contra mentem & sententiam Apostoli corrumpit, & ad suum errorem torquet, quasi per literam res externas, ceremonias & elementa intelligat: sed etiam, quàm frigidè de illis rebus externis loquatur, cùm inquit: Non literam seu res externas, ceremonias & elementa, sed Spiritum, hoc est, Christum ipsum, & EIVS CAVSA VERBVM INTERNVM, ASPERSIONEM sanguinis Christi, regenerationis gratiam, escam potumque spiritualem benedictionis Iesu Christi, obsignationem per Spiritum sanctum præcipuè expetenda & magnificienda esse. *Cùm enim per literam, res externas, elementa, & ceremonias, Sacramenta à Christo instituta intelligat: omnes vident, quanto in honore habeat: ac si C. Schvuenckfeldius viueret, ex ore eius hæc verba dictata viderentur, qui ad Sacramtorum vim eleuandam, ad hunc modum loquitur.* Contemptus Sacramentorum in animo & corde Gryneï quantus.

Nemo sanè inter verè pios, & de Mysterijs rectè institutos, tàm stupidus est, qui nesciat, Christum ipsum æternum Dei Verbum, escam & potum spiritualem voci humanæ, aquæ, pani, & vino, præferendum esse. Sed quia æternum Dei Verbũ, PER *externum nobiscum loquitur,* PER AQVAM *regenerat,* PER *panem & vinum, spiritualem escam & potum nobis distribuit: ideo* MAGNIFACIENDA, *& nequaquam pro* LITERA *habenda sunt, quæ* OCCIDAT, *sed pro salutaribus organis diuinitus institutis, per quæ Christus diuina & cœlestia hæc Mysteria operatur, & seipsum nobis communicat.*

Cur Sacramenta magnifacienda.

GRYNÆVS.

XXII.

Plurimùm etiam proderit piæ & ingenioſæ iuuentuti, conſideratio, tum Analogiæ verbi & Sacramentorum (quæ viſibilia Dei verba ſcitè ab Auguſtino nuncupata ſunt) tùm phraſium Sacramentalium, figuratarum, inquam, vt de multis alijs nihil iam dicamus.

De verbi & Sacramentorum Analogia.

An non enim piæ menti amabilis eſt hæc Analogia? Sicut Miniſter externus, quando Euangelium regni piè pureque annunciat, ἔξωθεν verbum externum, quod auribus auditorum omnium percipitur, pronunciat: Dominus autem Ieſus Chriſtus, ἔσωθεν verbum internum, quod fideli corde ab ipſius demum fratribus percipitur, annunciat: Ita, quoties teipſum probans, ad ſacroſanctam cœnam accedis, Miniſter externus ſacra Symbola, hoc eſt, panem & vinum Domini, ore corporis percipienda, tibi exhibet: Ipſe autem Chriſtus Ieſus, ſacroſancti ſui corporis

pro

pro te traditi, & sanguinis pro te effusi, te magis magisque participem facit? Appello hîc conscientias omnium piorum, qui tamen in hoc negocio nihil hæsitant, vt etiam atque etiam vel hoc secum ipsi reputent. Quum lętentur, non solùm, quia aquâ à Ministro verbi, sed quia Spiritu ab ipso Christo baptizati sunt: nec Spiritus Baptismum ab alio: quàm à Iesu Christo conferri intelligant: quid tandem causæ esse possit, vt MALINT MANV HOMINIS, QVAM DEI IPSIVS, in sacra cœna corpus & sanguinem Christi, sibi exhiberi? VT MALINT ore corporis, quàm animę, seu fide illa percipere? denique, vt malint sibi persuadere, illa sanctissima dona, sibi cum huius ætatis impijs, seu infidelibus, non autem cum sanctissimis, Deoque nostro charissimis Patribus, (quorum vnus Abraham, fidelium, & proinde omnium nostrûm quoque Pater perhibetur) communia agnoscere? Sistant hoc loco piæ mentes gradum, & quid sibi velint illa Christi verba: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro Mundi vita. Ioan. 6. 51. quæ sit fidei, præ ore corporis præstantia: quę etiam communio sanctorum totius Catholicæ Ecclesiæ: quæ fidelium & infidelium seu profanorum segregatio, in timore Dei, etiam atque etiam perpendant.

IACOBVS ANDREÆ.

Quod paulò antè monuimus, id denuò hîc inculcat Opinator, INGENIOSAM *iuuentutem compellans, quæ sibi persuadet, quòd*

1. Cur ingeniosam iuuentutē semper compellet Gymnæus.

quòd in Mysterijs supra vulgus sapiat. Religio enim Zuingliana & Caluiniana PRO INGENIOSIS *est, qui se eò*

Caluin. & Zuuing. doctrina de Sacramentis, pro INGENIOSIS est.

nequaquam demittunt, vt intellectum, & INGENIVM SVVM *captiuum ducant in obsequium Christi, & simplici fide, simplicissima Testamenti Christi verba honorent, & sine Disputatione recipiant. Id enim stultorum, & minimè ingeniosorum hominum esse dicunt, qui propter ingenij tarditatem non videre, neq; colligere possunt, quanta absurda inde sequantur, si simpliciter credatur, iuxta verba Testamenti Christi: Hoc, quod Christus suis discipulis dedit, esse corpus Christi. Quandoquidem ex Philosophia & ratione humana, quæ est radius diuinæ sapientiæ, didicerint: Non posse esse verum corpus, quod simul & semel in pluribus locis præsens esse dicatur. Item, absurdum esse: Manu hominis corpus Christi dispensari: manu hominis sanguinem eius distribui: Corpus Christi cum terrenis elementis coniunctum esse, ore percipi. Vnde etiam sequi, quòd in ventrem traijciatur, in stomacho digeratur, & si quæ sunt alia horribiliora. Ideoq;* INGENIOSIS *hominibus hæc altiùs examinanda, & consideranda esse, monet egregius Dominus Doctor, Basilienſis Professor, & Palatinatus Reformator.* Fol. 98. *Inprimis verò, quòd in Orthodoxo suo Consensu monent: Non oportere simpliciter intueri verba Christi, hoc enim* ESSE CARNALITER INTELLIGERE. *Sed* OPORTET, *inquiunt,* ALIVD COGITARE, *& interioribus oculis aspicere. Item:* Fol. 150. *Sacramenta* NON EX IPSIS VERBIS, *sed verba secundum peculiarem, & proprium loquendi morem, intelligi debere. Hæc grata sunt* INGENIOSÆ *iuuentuti, tanquã campus amæniſsimus, in quo vires ingenij experiri, & laudem ingenij, & eruditionis eximiæ consequi possint. Sed quid Christus Saluator noster?* Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quòd abscondens hæc* A SAPIENTIBVS *&* INTELLIGENTIBVS, *& ea* 1. Cor. 1. *detexeris* INFANTIBVS. *Item Paulus: Abolebo sapientiam*

sapien-

sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor seculi istius? Non'ne INFATVAVIT *Deus sapientiam mundi totius? Item: Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò* STVLTITIAM.

Regulam ergo hanc certissimam esse, nemo piorum dubitare debet: quisquis eruditorum in ea opinione versatur, vt existimet, se hoc Mysterium MELIVS INTELLIGERE, *quàm hominem pium, fidelem, & simplicem, qui simplicissimè verbis Christi fidem habet, & ea fide simplici ad cœnam Domini accedit: eum toto cœlo errare, & non in fide, sed absq; fide accedere, & eius loco rationi suæ humanæ indulgere, ac Mysterium ipsum prorsus amittere. Intellectus enim noster humanus non* DILATANDVS, SED CONTRAHENDVS, *& captiuandus est, vt se simpliciter, & humiliter verbo Domini subijciat, & ingenuè fateatur, quòd hoc Mysterium non intelligat, sed verbo Domini credat.* Regula ingeniosis iuuenibus diligenter notanda, contra humanum intellectum.

Si enim aliter se res haberet, sciat Opinator, per gratiam Dei, nobis INGENIVM, *& intellectum non adeò stupidum esse, & sensus obtusos: quin etiam intelligere valeamus, quæ ipse* ERVDITIS, *&* INGENIOSIS *de hoc Mysterio concionatur. Sed vnum nobis deesse fatemur, quò minùs assentiamur: videlicet,* QVOD VERBIS TESTAMENTI *Christi ipsorum opinio non respondet, à quorum simplici sententia nos recedere docent, eaq; ex oculis remouenda, &* ALIQVID ALIVD COGITANDVM ESSE. *Nec certam sententiam ex his ipsis verbis sumi posse, vociferantur, sed aliundè petendam esse. Quod nulli piorum hominū, vt faciat, suadere possumus, aut debemus.*

Quod verò ad Analogiam verbi, & Sacramentorum attinet, etsi suprà ea de re quoq; dictum est: tamen visum est, ad ea quoq; respondere, quæ hîc inculcat Opinator. Quæ rectè Augustinus visibilia verba appellat, quòd visibilia signa verba addita De Analogia verbi & Sacramentorum.

sunt, sine quibus, si voluisset, Deus spiritualia & cœlestia sua dona, distribuere potuisset.

Grynæus Schvuēckfeldianus.

Est autem Analogia Coccysmus Schvuenckfeldianus, in quo Ministerium externum, à virtute Spiritus & verbi Filij Dei, prorsus separat, sicut à Schvuenckfeldio factum, qui hoc nomine, erroris & hæreseos, à syncteris Doctoribus Augustanæ Confessionis, iampridem damnatus est. Nam externo Ministro nihil aliud tribuit, quàm quòd externo sono vocis suæ, aures auditorum suorum feriat: nihil verò hoc ad cor pertinere vel pertingere, aut id ferire. Quod verbis Pauli apertè repugnat, cùm

Rom. 10. *inquit: Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.*

Fides ex auditu verbi prædicati.

Non autem intelligit verbum internum, sicut Opinator noster cum suo Schvuenckfeldio nugatur, sed VERBVM PRÆDICATVM, *sicut præcedentia verba manifestè docent: Quomodo, inquit, credent, de quo non audierunt? Quomodo autem audient,*

Commendatio Ministerij verbi prædicati.

ABSQVE PRÆDICANTE? PER *hoc* PRÆDICATVM *verbum:* IN HOC *prædicato verbo:* SVB HOC VERBO PRÆDICATO, CVM HOC *verbo prædicato, Christus æterni Patris Verbum, est efficax, sicut Christus Ioan. 17. inquit: Non pro eis tantùm rogo, sed & pro ijs, qui* PER SERMONEM ILLORVM *credituri sunt in me. Hoc non modò nusquam dicit Hypocrita noster, sed haud obscurè cõtrarium innuit, videlicet,* INTERNVM VERBVM, *à fideli corde duntaxat, à Christi fratribus percipi. Quasi verò* INTERNVM *verbum non tàm adsit verbo prædicato impœnitentibus, quorum corda ferit, & in testimonium contra ipsos etiam eorum corda convincit, vt minimè inanis sonus sit, qui tantùm in auribus impiorum hæreat: sed hoc ipsum verbum prædicatum in corde sentiatur, quo cor moueatur, vel ad obedientiam, vt fieri solet in fidelibus, vel ad maiorẽ contumaciã, quod in apertis & acerrimis hostibus veritatis videre licet, Act. 7. Quando igitur Minister verbũ Euangelij purè & syncerè annunciat, non ipsius verbum est, sed Dei verbũ,*

Ioan. 17.

quod

quod Christi Spiritus PER ILLVM *loquitur: sicut Christus inquit: Qui* VOS *audit,* ME *audit. Item: Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris, qui in vobis est. Sic aliquoties in Prophetis repetitur: Et factum est verbum Domini ad Hoseam. Item: Principium sermonis Domini in Hosea. Hoc fuit externũ verbum, quod Dominus ad Hosea locutus, & Hosea populo annunciauit, illis in testimonium, qui non solùm externum sonum perceperunt suis auribus, sed corde etiam intellexerunt, quod vellent, etsi ad salutem illud non perceperint.* Luc. 10. Matth. 10.

Multò verò magis fluctuans conscientia Opinatoris conspicitur in eo, cùm Analogiam hanc ad Eucharistiam applicat. Ita, quoties, *inquit,* teipsum probans ad sacrosanctam cœnam accedis, Minister externus, sacra Symbola, hoc est, panem & vinum Domini, ore corporis percipienda, tibi exhibet: Ipse autem Christus Iesus, sacrosancti sui corporis pro te traditi, & sanguinis pro te effusi, te magis magisque participem facit. *Hìc apertè docet Opinator, Ministrum nihil aliud neq; amplius dare, quàm panem & vinum externum.* NEQVAQVAM *verò corpus & sanguinem Domini. Sed quomodo hæc opinio cum verbis Testamenti Christi consonat? qui panem & vinum accipiens, dixit:* HOC EST CORPVS MEVM. *Hic est sanguis meus? Num Christus Panem accipientibus, suum corpus & sanguinem non dedit cum Pane, cum vino? Idq; tàm Iudæ proditori, quàm Petro, sicut Lucas apertè testatur, quòd etiam Iudas conuiua fuerit, & ei datum sit? Aut Petro duntaxat cum reliquis decem discipulis dixit: Accipite, manducate,* HOC EST CORPVS MEVM: *Iudæ autem, Accipe, manduca,* HOC EST PANIS TANTVM, *non corpus meum, quoniam tibi nolo dare, nec tu potes percipere corpus meum, sed panem duntaxat? quod minimè fecit* CHRISTVS, Applicatio Analogiæ verbi ad Eucharistiam. Quid Minister in Sacramentis distribuat.

Grynæi opinio cum Cõsensu Orthodoxorum Patrum pugnat.

sed VNVM *& eundem cibum omnibus proposuit & dedit. Item, quomodo hæc opinio cum doctrina Orthodoxorum Patrum, & Concilij Niceni confessione consentit, qui testantur: Agnum iacere in altari, exterius panem, interius corpus Christi esse. Corpus Christi manibus Sacerdotum distribui, & sanguinem* IN ORA *fidelium infundi? Sed fortassis ad phrases Sacramentales confugiet aduersarius noster, & figuratas locutiones, quibus errorem tegere conabitur, inprimis verò ad Metonymiam suam. De quibus cùm in sequentibus Thesibus agat, eô quoq; Refutationem reijciemus.*

Examen Analogiæ in Sacramento Eucharistiæ.

Amplius verò applicationem Analogiæ in Sacramento Eucharistiæ propositam examinemus. Non enim audet idem de corpore & sanguine Christi affirmare, quod de INTERNO *verbo dixit: videlicet, quòd corpus & sanguinem Christi percipiat cor* INTERIVS, *sicut internum verbum, ne fortè quis arbitretur, corpus & sanguinem Christi,* IN CORDE ESSE. *Sicut negare non potest, verbum* INTERNVM, *in corde fidelis hominis, realiter esse, & efficax esse ad salutem: sed loco eius participationem corporis traditi, & sanguinis eius pro nobis effusi ponit, qua phrasi, beneficia Christi duntaxat intelligit, quæ percipiuntur in vsu panis & vini huius, ad quam præsentia corporis & sanguinis Christi, neq; vtilis, neq; necessaria sit, vt illorum Cacodoxus Consensus impiè loquitur.*

Quibus verbis Zwingliani Sacramentum dispensent.

Hinc fit, vt in Dispensatione Sacramenti, illis religio sit, & horrorem incutiat, si quis communicaturo dicat: Accipe, manduca, hoc est corpus Christi, quod pro te traditum est: Hic est sanguis Christi, qui pro peccatis tuis effusus est. Nequaquã, aiunt, sic loquendũ est: quia NON *est corpus Christi, sed panis duntaxat, quod Minister distribuit, & vinum. Ideoq; hæc verba, sicut crucẽ Diabolus, fugiunt, & in distributione panis & vini ipsorum, aut prorsus silẽt, & nihil omninò loquũtur: aut hæc verba Testamenti*

Christi

Christi declinantes, alijs verbis vtuntur: Accipe, manduca, fides tua in corpus Christi pro te traditum, cibet te ad vitam æternam. Accipe & bibe, fides tua in sanguinem Christi effusum, potet te ad vitam æternam. Qua ratione fides sui ipsius cibus & potus, & quod potatur, & cibatur, erit.

Ex quo manifestum est: verba Testamenti Christi SVDEM *in oculis Zvuinglianorum esse, quæ Lutherus in Marpurgensi Colloquio, Zvuinglio cretâ in mensâ descripta proposuit:* HOC EST CORPVS MEVM. *Hæc vt deleat, si possit, seueriter vrsit.*

Quanta autem hæc, non dico, audacia & temeritas, sed etiam impietas sit, quam suis auditoribus iamdudum persuaserunt: visum est hoc loco Historiam recitare de honesto ciue, in quadam vrbe Imperiali, in qua Ecclesiæ reformatio, cùm ab initio Zvuingliana instituta, postea verò puritati doctrinæ restituta esset, & mea manu Sacramentum distribuens ei dicerem: Accipe, manduca: Hoc est corpus Christi, quod pro te traditum est, sumpto Sacramento, me eodem die priuatim accessit, & seriò affirmauit, parùm abfuisse, quin coram Altari, hæc verba, HOC EST CORPVS CHRISTI *&c. audiens, concidisset, & dubium quoq; fuisse, aiebat, an vellet ex manu mea accipere, accepisse tamen, sed maximo cum timore & tremore. Ex quo cùm quærerem, quæ causa huius consternationis fuisset, respondit: Hoc priùs in ea Ecclesia minimè vsitatum fuisse, seq; instituisse, quòd Minister non posset dare corpus Christi & sanguinem eius: Ideoq; etiam se non credere, hunc panem, vel sub,* IN, *aut cum pane hoc, corpus Christi esse. Cui ego vicissim dicebam: si ergo hæc te offendit oratio, quæro ex te, si conuiua Christi in prima cœna fuisses, & Christus tibi panem porrigens dixisset, N. Accipe, Manduca, Hoc est corpus meum: num etiam his eius verbis offensus, aut consternatus fuisses? Bonus vir*

Historia de quodã viro, Cingliano dogmate infecto.

magis confusus, nihil cùm respondere posset (hoc enim Christum dixisse, negare non poterat) dixi illi, Ministrum in dispensatione Sacramenti, eadem verba retinere, quæ Christus discipulis suis locutus est, nec ad pilum ab illis recedere. Et cùm dicere non possit: Hoc est corpus meum: quia Minister non est Christus, distribuat autẽ, quod Christus distribuere iussit, ideò loco Pronominis MEVM, reponat vocabulum Christi. Hoc est, inquit, Corpus Christi, perinde ac si Christus diceret: Hoc est corpus meum. Quomodo autem sit, id omnipotenti veritati, & sapientiæ Christi infinitæ committi, cuius verbis nos fidem habere oportet, nisi eum vanitatis arguere velimus. Quo audito, bonus vir acquieuit, ac deinceps simplici fide cœna Domini sæpè vsus est.

Historia de quodã Ministro Ecclesiæ in agro Tygurino.

Sed libet aliam quoq; historiam breuiter recitare. Cùm ante biennium in fonte acido lauarem, & valetudini operam darem, Minister quidam Ecclesiæ ex agro Tygurino à me interrogatus, qui similiter quoq; valetudinis suæ confirmandæ causa acidulis vtebatur: quomodo cœnam Domini in suis Ecclesijs celebrent? Respondit, doceri populum: Nos Ministri damus vobis panem & vinum, vos autem orate, vt Dominus vobis det suum corpus & sanguinem. Cui ego dicens: Num igitur non dicitis, accipite & manducate: Hoc est corpus Christi, quod pro vobis traditum est. Hic est sanguis Christi, qui pro peccatis vestris effusus est? Respondit ille, nequaquam, quia Minister, cùm sit homo tantùm, non potest dare corpus & sanguinem Christi: sed solus Christus dat. Cui ego, cur ergo Paulus inquit: Accepi à Domino, quod tradidi vobis, num panem & vinũ duntaxat, à Domino accepit? An verò non crederet, Christũ quidem dare corpus & sanguinẽ suum, SED PER MANVM MINISTRI? Respondit ille, Minister nihil nisi panem & vinũ dat. Nũ igitur, dicebã, alia nũc celebratur cœna Domini, quàm quæ semel à Christo celebrata est? vt in illa prima corpus & sanguinẽ distribuerit Christus, quia Dominus erat, in hac verò nostra cœna Dominica, corpus & sanguis Christi non distribuan-

stribuãtur, quia Ministri sint, nõ Dominus, qui ea dispensant? Et cur à formulis loquendi abhorreant, quæsiui, quib. Orthodoxi Patres vsi sunt, qui manib. Ministrorũ non solùm panẽ, sed etiã corpus Christi distribui, & ore accipi, secundũ verba Testamẽti Christi scripserunt? sicut falsò dictus Ortho. Conf. testatur, qui Tyguri Fol. 189. a. *impressus est. Cuius verba illi ad oculũ demonstrabã, quòd dicant, corpus Christi videri, manibus palpari, labijs & dentibus attingi, & in os ingredi, &c. Quẽ se quidem vidisse, sed nõ legisse affirmabat, & optare vt semel ab vtraq; parte pia collocutio institueretur. Cui ego respondi, me vehementer mirari, quòd Tygurini passi sint, sub titulo vrbis suæ & Typographi, hunc librũ publicari, cùm ea integritate nõ fuerint autores eius, vt sua nomina professi sint: In quo tot manifesta crimina falsi, & impudentissima mẽdacia cõtinentur, ad decipiendos simplices commissa, & Ecclesiæ Dei fidi Ministri, deq; illa optimè meriti, tàm cõtumeliosè tractentur, quorũ verba, sicut Orthod. quoq; Patrũ scripta, tàm flagitiosè peruerterint. Adquæ ille nihil aliud, quàm se librũ nõ legisse, respondebat: ideoq; id ad autores eius reijcere, si quid peccauerint, de quo ipse respondere nõ possit. Hæc ideò recitare libuit, vt pius lector videat, quàm impiè, & cõtra aperta verba Testam. Christi, Analogiã verbi et Sacramentorũ Opinator noster ad Eucharistiã accõmodauerit, qua Sacramentalẽ vnionẽ, quæ realis est, nõ verbalis, prorsus tollit, & rẽ Sacra. à symbolis separat, Ideoq; in cœna Dñi nihil nisi symbola per manus Ministrorũ dispensari, impiè asserit.*

Quòd aũt ad omnium piorũ conscientias prouocat, qui tamẽ in hoc negocio adhuc nonnihil hæsitent: vt etiã atq; etiã vel hoc secũ "
perpendant. Quare lætentur, nõ solùm, quia aqua à Ministro ver- "
bi, sed quia spiritu ab ipso Iesu Christo baptizati sunt: nec spiritus "
Baptismũ ab alio, quàm à Iesu Christo sibi conferri intelligãt: Quid "
tandẽ causæ esse posit, vt malint manu hominis, quàm Dei ipsius, "
in sacra cœna, corpus & sanguinem Christi exhiberi? vt malint "
ore corporis, quàm Animæ, seu fide illa percipere, deniq; vt malint "
sibi persuadere, illa sanctissima dona, sibi cum huius ætatis impijs, "

seu infidelibus, non autem cum sanctissimis Patribus communia agnoscere? Nos ad expediendas conscientias, quas Hypocrita noster inuoluere & perturbare conatur, respondemus: Opinatorem, diabolica hac calumnia & apertissimo mendacio, Ecclesias nostras, earumq; pios & fideles Ministros, contra suam conscientiam, si quam habet, innocenter grauare.

Calumnia Zuuing. de Sacramentorũ dispensatione.

Quis enim ex nostris Doctoribus vnquam scripsit, aut docuit: Christum non baptizare spiritu, sed Ministrum? Quis dixit, docuit, aut scripsit: Non Dei manibus corpus & sanguinem Christi exhiberi? Neminem, scio, monstrare potest Hypocrita in æternum, qui tàm profanus fuerit. Sed vicissim Hypocritæ conscientiam appello, vt ex Orthodoxis Patribus monstret, quòd negauerint, Christum suo spiritu PER MANVM MINISTRI *baptizare? Christum suum corpus, & sanguinem* PER MANVM MINISTRI *dispensare. Quod si verum est, quomodo non verè Minister sua manu, tanquam Minister distribuit, quod sua manu Christus Dominus illi in ipsius manum dat, & hoc loquitur, quod in os eius ponit, verbum?*

Corpus Christi PER MANVM Ministrorum dispensatur.

Quapropter insignis malitia Hypocritæ nostri est, quòd nostros accusat: eos malle Spiritum sanctum à Ministro, quàm à Domino Iesu Christo percipere, malle manu hominis, quàm manu Dei corpus & sanguinem Christi, sibi exhiberi. Item: malle cum impijs seu infidelibus huius ætatis, quàm cum sanctissimis Patribus communicare. Quæ, vt dixi, Satanica calumnia est. Si enim optio detur fidelibus, qui in Ecclesia nostra sunt, verum ex Dei, vel hominis manu, spiritualia dona malint percipere: nemo tàm stupidus esset, qui non manum Dei, manibus hominum præferret? Quia verò ipse Christus præsens, sed inuisibilis, PER MANVM VISIBILEM *Ministri, &* PER VISIBILIA *symbola, inuisibilia hæc dona distribuit: qui nos sumus, vt maximè rationi, & sensibus nostris absurdum videatur, vt Deo repugnemus, & id negare audeamus.*

Sic

Sic verè fideles contra suam voluntatem, cum huius ætatis hominibus impijs seu infidelibus, hæc dona communia habent, quos vellent procul abesse. A quibus etiam, corpore & externa conuersatione cùm se separare non possint: id tamen iuxta consilium Augustini, spiritu & mente faciunt. Nec Patribus Deo charissimis plura tribuere possunt, quàm Deus ipse tribuit, vt hoc sub figura dunt taxat haberent, quod nos in rei veritate habemus. 4.

Et quàm nihil noui à nobis asseratur, vel vnus Chrysostomus nos In Ioan. Hom. 45.
tueri potest, cuius hæc sunt verba: [Patres nostri manducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt [inde subdit] MAXIMAM PERSVASIONEM, QVOD LONGE PLVRIS *(nota benè Hypocrita) maioribus illis Patribus, Mosè & claris illorum temporum viris, ipsi* HABITI SINT.] *Hactenus verba Chrysostomi. Idem Christus confirmat, Luc.* 10. *Beati, inquit Christus, oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, multos Prophetas & Reges cupiuisse videre, quæ vos videtis,* NEC VIDISSE: *& audire, quæ vos auditis,* NEC AVDIVISSE. *Quemadmodum ergo huius ætatis pij homines Deo grati sunt pro tanto beneficio, quod ipsis in communione Sacramentorum contingit, & Patribus sanctissimis, in veteri Testamento* NON CONTIGIT: *sic impij seu infideles, eò maius iudicium subituri sunt, quòd non maiore animi gratitudine & pietate, hoc Dei beneficium susceperint.*

Quòd verò pias mentes hoc loco gradum sistere, & in timore Articuli quatuor.
Dei, etiam atq; etiam perpendere, monet, quid sibi velint ista Christi verba: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo 1. 2.
pro Mundi vita. Ioan. 6. 51. Item, quæ sit fidei, præ oculis corporis, præstantia? Quæ etiam communio sanctorum totius Catholicæ Ecclesiæ? Quæ fidelium & infidelium seu profanorum segregatio? Respondeo, Nequaquam negamus, neq; vnquam negauimus, aut negabimus, Christum dare, & realiter dare hunc pa- 3. 4.

I. Responsio ad singulos.

nem spiritualem, videlicet, carnem suam, quam semel pro totius Mundi peccatis in mortem tradidit, sed hoc quæritur, cùm hunc panem potu esset sine pane Eucharistiæ dare, AN PER PANEM EXTERNVM *detur quod nos constanter & intrepidè affirmamus, & cum Orthodoxis Patribus dicimus,* HVNC PANEM INTERIVS CORPVS *Christi esse, propter realem in Mysterio, cum corpore Christi, Sacramentalem vnionem.*

Caro Christi realiter datur IN PANE.

2. Oris corporei & fidei collatio.

Deinde quòd dicit, perpendendum, quæ sit fidei præ oris corporis præstantia. Respondeo, Os pij & fidelis hominis, non minus Dei opus & donum esse, quàm fidem, & fidem propter Os corporis, non os corporis, propter fidem esse. Item, fidem abolendam, os autem corporis, hominis pij in æternum victurum. Quorum ergo ora suo sanguine abluit Christus, Hypocrita non prosterquilinijs habeat, per quæ, vt Augustinus loquitur, corpus Christi in hoc Mysterio ingreditur, atq; sicut Chrysostomus loquitur, cum Christo in vnam massam, cum corpore nostro redigitur: non tamen carnaliter, sed spiritualiter, hoc est, modo cœlesti, & supernaturali.

Quod verò quorundam corpora & ora, quæ per sanguinem Christi in Baptismo lota & mundata sunt, post acceptũ Baptisma, se iterum polluunt: non tamen propter illos à sua institutione & & ordinatione recedit Christus, sed eò grauiùs hanc profanationem sui sacri Mysterij, in illis punit, qui profano corde accedunt.

3. Communio sanctorum omnium temporum.

Sicut autem nobis minimè ignota est sanctorum TOTIVS CATHOLICÆ *Ecclesiæ communio: ita vicissim etiam nobis ignotum non est, Sacramentorum veteris, & noui Testamenti rationem non eandem,* QVOAD SVBSTANTIAM, *fuisse, sicut paulò antè demonstratum est. Idcque nihil obstante illa communione, qua Patres veteris Testamenti in istem beneficijs Christi fruebantur, quibus nos in nouo Testamento fruimur: discrimen tamen vtriusque Testamenti, & Sacramentorum eorundem*

Thes. 21. Discrimen Sacramentorum veteris & noui Testamenti.

tantum

tantum fuit, quantum vmbra à corpore, & signum à rei substantia, & veritate differt, sicut Apostolus diserte testatur, cùm Gal. 4.
ait: Quamdiu hæres est infans, nihil differt à seruo, quamuis sit dominus omnium, sed sub tutoribus & curatoribus est, vsq; ad tempus, quod pater præfinierat: Ita & nos CVM ESSEMVS INFANTES, *sub Elementis mundi eramus,* IN SERVITVTEM REDACTI. Conditio sanctorum Patrũ sub Elementis mundi.
Intelligit autem Apostolus sub Elementis mundi potissimùm, ceremonias Legis Mosaicæ, quæ instar tutorum, & curatorum fuerunt, & quibus alligatus fuit populus Iudaicus, donec Christus Filius Dei tanquam corpus illius vmbræ, in hunc mundum missus est: quo exhibito, vmbræ nullius, amplius vsus est. Cum igitur Deo sic placuerit, primam ætatem tanquam infantes, sub Elementis, & quasi in seruitute retinere: quis Grynæus Hypocrita est, cùm idem nos cum Apostolo doceamus, vt hoc nomine Satanico sarcasmo reprehendere, nobisque tacitè imputare audeat, quasi sanctos Patres à communione sanctorum Catholica, excludamus, quos cum Paulo DOMINOS OMNIVM *fuisse, non minus, quàm qui post Christum exhibitum in Ecclesia viuerunt, apertè dicimus?*

4.
Sic quoq; non ignoramus, quæ sit fidelium & infidelium seu profanorum segregatio. Non autem illa, de qua Opinator noster Segregatio fideliũ & infidelium.
nugatur, quasi illis non integra quoque exhibeantur Sacramenta, quæ nequaquam sunt duntaxat externa Elementa, quoad substantiam Sacramenti, sed rem spiritualem Sacramentaliter vnitam habent, sicut suprà dictum est. Quapropter infideles & impij, in externo cœtu pijs mixti, donec in fine seculi segregatio fiat, de qua Christus Matth. 13. & 25. ipsi quoque integra Sacramenta, hoc est, non vmbram tantùm, sed corpus ipsum, verùm non ad vitam, sed ad iudicium accipiunt.

Sicut enim non aliud verbum impœnitentibus prædicatur, quàm quod pij & fideles audiunt, & cui Spiritus sanctus adest

Manducatio impiorũ cum pijs quoad substantiam Sacramenti eadem.

sua virtute, gratia, & efficacia, quo tamen non viuificantur impij, sed indurantur magis: Ita quoque non aliud Sacramentum impijs & infidelibus offertur, quàm quod pij accipiunt, videlicet, non solùm externa Elementa, sed etiam res spirituales, corpus & sanguis Christi, quibus tamen impij non viuificantur, sed iudicantur: quia ad iudicium accipiunt, sicut Apostolus Paulus apertè testatur.

GRYNÆVS.

XXIII.

Prudenter autem Orthodoxi, Ecclesiæ ex præscripto verbi Dei reformatæ, Doctores quidam, phrases Sacramentales, QVOTQVOT SVNT FIGVRATÆ, in quatuor classes distinxerunt, de quibus in iuniorum gratiam, breuiter agamus.

Prima est earum locutionum, in quibus signo tribuitur nomen rei signatæ: vt cùm de pane prædicatur, quòd sit corpus Christi. Matth. 26. 26.

Secunda earum est, in quibus vice versa rei signatæ tribuitur signi nomen: vt cùm caro Christi viuifica, panis appellatur. Ioan. 6. 51.

Tertia est earum, in quibus effectus rei signatæ, signo tribuitur: vt quando Paulus Baptismum vocat lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. Tit. 3. 5. Item, quando Ecclesiam lauacro aquæ mundatam scribit. Ephes. 5. 26.

Postrema classis earum locutionum est, in quibus signi effectus, rei signatæ tribuitur, vt cùm caro Filij hominis comedi dicitur, sanguisque eius bibi. Ioan. 6. 56.

Enim-

Enimuerò caro Christi, ore corporis non editur, nec dentibus (vt tamen Berengariana palinodia habet) teritur, nec sanguis eius bibitur oraliter, & proinde corporaliter, vt Capernaitis olim est visum, quando, vt alicubi Augustinus docuit, maius scelus est, humanas carnes mandere & deglutire, quàm hominem occidere: sed quum Christi communione fruimur spiritualiter, per fidem Christi carnem edere, & sanguinem eius bibere, rectè dicimur. Ac nota sunt pijs dicta Augustini: Crede & manducasti. Item, quid paras dentem & ventrem, &c. Et, illud Cyrilli, quo affirmatur, corpus & sanguinem Christi percipi, sola, simplici, & inexquisita, fide.

Cęterùm de Sacramentalibus prædicationibus, quę ideò propriæ dicuntur, quoniam quod signorum est, signis, quod autem rerum significatarum est, rebus significatis tribuunt, in ipsa collatione sententiarum nobis σὺν Θεῷ edisserendum erit.

Iacobvs andreæ.

Hæc Thesis ex Cacodoxo Consensu Zvuinglianorum & Caluinianorum, quem illi Orthodoxum appellant, descripta est, quæ cùm in Refutatione eiusdem Consensus, diligenter examinata sint, quamuis lectorem simpliciter eò remittere possemus: tamen ne Hypocrita noster calumniari possit, nos nihil respondere potuisse, breuiter de singulis, quantum satis erit, dicemus. Fol. 31. a. b. Pag. 151. 157. 442. 480. 481. 488. 493. 612.

Recitat autem Opinator noster quatuor phrases Sacramentales, quas ait, prudenter A QVIBVSDAM ORTHODOXIS *Doctoribus reformatarum Ecclesiarum, in quatuor classes, distinctas esse. Non enim hîc vetustatis Orthodoxæ Consensum al-* Phrases Sacramentales quatuor.

legare potest. Quapropter QVIBVSDAM NOVIS *Doctoribus hanc eruditionem tribuit, videlicet, qui in reformatis Ecclesijs docent.*

Lutheranæ Ecclesiæ à Zvuinglianis non pro reformatis habentur.

Per reformatas autem Ecclesias intelligit duntaxat Zvuinglianas & Caluinianas Ecclesias. Nam Lutheranæ, quas sic vocant, minimè illis reformatæ sunt, sed Papistis deteriores pronunciant, quæ magna reformatione indigeant. Quæ causa est, quòd Hypocrita hic Basileâ euocatus, Palatinatum ingressus sit, vt Ecclesias à pio & sanctæ memoriæ Illustriss. Principe Electore Ludouico, in Domino defuncto, ad normam doctrinæ Euangelij incorruptæ constitutas, cum horribili, & quandoq; conscientiæ ipsius intolerabili scandalo, bipenni, ad normam impurissimæ, & in Christum blasphemæ doctrinæ reformet, ad quam hac sua erudita disputatione, præclara fundamenta sibi posuisse videtur. Cuius laboris mercedem cum socijs suis aliquando accipiet, laboribus suis dignam.

Distinctio phrasiũ Sacramentaliũ hæretica.

Nos verò contrà docebimus, hanc distinctionem & explicationem phrasium Sacramentalium, minimè Orthodoxam, sed Zvuinglianam, hoc est, hæreticam esse.

Sacramentales locutiones non sunt figuratæ.

Nam quòd dicit Opinator: has locutiones omnes figuratas esse, suprà demonstrauimus, eum toto cœlo aberrare. Sacramentales enim locutiones Mysticæ sunt, non figuratæ, sicut partim suprà ostendimus, & paulò pòst amplius declarabimus.

1. Prædicatio Mystica.

Sic prima forma locutionum, in quibus signo tribuitur nomen rei signatæ, vt cùm de pane prædicatur, quòd sit corpus Christi, nequaquam figurata est, sed inter propriam & figuratam, tertia quædam, Mystica prædicatio est, in qua non duntaxat NOMEN REI *signatæ, signo tribuitur, sicut Zvuingliani falsò docent, sed res signata cum signo realiter coniuncta & vnita est, non quidem naturaliter, aut localiter, sed, vt vetustas locuta*

cuta est, in mysterio. Zuingliani autem hanc phrasin sic intelligunt, quòd cum signis res signatæ nullo modo REALITER coniungantur, sed, quoad rem, Sacramenta de sola externa re elementari, sine re signata intelligenda esse, vnde manifesta sententiæ huius phraseos deprauatio apparet. Circumcisio enim non tantùm nomen habet fœderis, sed EST REVERA fœdus. Non autem sola præputij ablatio, sed in verbo promissionis facta, quòd rem coniunctam habet. Qua ratione ablatio præputij, secundum verbum Dei, & cum verbo Dei non significat tantùm fœdus, aut nomen solùm fœderis habet, sed EST fœdus, in quo signum cum re signata coniungitur. Vbi fœdus non de signo prædicatur, quod SOLVM non est fœdus, sed de vtroq; simul intelligitur. Circumcisio est fœdus.

Sic de pane non prædicatur tantùm corpus Christi, tanquam res signata de signo, sed quid panis Eucharistiæ SIT, SACRAMENTALITER in mysterio ostenditur, videlicet, corpus Christi. In prima ergo forma locutionum Sacramentalium, vtrumque manifestè falsum deprehenditur quod Opinator dicit: Primùm, figuratam esse phrasin. Deinde quòd nomen rei signatæ duntaxat signo tribuatur, non res ipsa.

II.

Secunda forma phrasium Sacramentalium.

Deinde etiam falsum est, quòd secundam formam, phrasim appellat Sacramentalem, in qua vice versa rei signatæ tribuitur signi nomen, videlicet, cùm caro Christi viuifica, panis appellatur. Ioan. 6. 51. Nam etiam ipse Caluino teste, Ioan. 6. capite de Sacramento prorsus non disseritur, quapropter etiam phrasis Sacramentalis dici non potest.

Figurata autem est locutio, qua Christus ipse, & Euangelium eius, panis appellatur, videlicet, Metaphorica, quæ tamen errori Zuinglianorum nihil patrocinatur. Non enim Christus significat panem, sed EST PANIS verè & realiter, non autem terrenus, sed spiritualis & cœlestis.

Non

III.

Tertia forma Sacramentalium locutionum.

Non minùs quoq; in tertia forma locutionum errat Opinator. Nam quòd primùm de sententia Zuinglianorum dicit: effectum rei signatæ, signo tribui, in eo errorem occultat, quasi in Sacramento nihil, quàm signum esset, cui hic effectus tribuatur significatiuè, videlicet, quòd aqua Baptismi significet regenerationem & renouationem duntaxat, quam solus Spiritus sanctus operetur, NON PER ASPERSIONEM *illam aquæ, vel in aspersione aquæ, sed interdum in senecta primùm, & vltimo vitæ*

Error de Baptismo & baptizatis.

suspirio, eorum, qui ad vitam æternam electi sint. Reliquos enim, qui non electi sunt infantes, non regenerari, aut renouari, nec Spiritu sancto donari. Ex quo manifestum est, eos non minus in doctrina de Baptismo, quàm de Cœna Domini errare. Nam Baptismus non tantùm aqua, sed etiam Spiritu constat. Cuius effectus est regeneratio, & renouatio, qui effectus non aquæ, sed Baptismi est. Quantum igitur aqua simplex, & aqua cum Spiritu

Discrimen aquæ & Baptismi.

coniuncta differunt, tantum differt aqua à Baptismo. Quod cùm non velit, aut non possit videre Opinator, in hunc tetrum errorem, cum Compilatoribus Cacodoxi Consensus, in differentia hac Sacramentalium locutionum confingenda, delabitur. Vno enim inconuenienti dato, innumera sequuntur, videlicet, quòd Sacramentum VNA *duntaxat* RE *externa, seu signo definiunt, quòd nomen duntaxat, cum significatione, & repræsentatione habeat* REI SIGNATÆ, *quod falsissimum est: Siquidem Sacramenta noui Testamenti duabus rebus constant, videlicet, terrena & cœlesti.*

Non ignorantia, sed malitia errat Grynæus.

Non enim simplicitate & ignorantia, sed studio & malitiosè errare Hypocritam nostrum, vel ex eo constat, quòd manifesta corruptela & deprauatione verborum D. Pauli, hanc formam prædicationis Sacramentalis, confirmare conatur, cùm ait: Paulum scribere: Ecclesiam lauacro aquæ mundatam, Ephes. 5. 26.

Paulus

Paulus enim addit: PER VERBVM, *vt sanctificaret eam, inquit, purgans lauacro aquæ per verbum. Vbi non aquæ duntaxat tribuitur effectus sanctificationis & purgationis, sed aquæ cum verbo coniunctæ. Verbum autem de Spiritu quoq; loquitur, non de aqua duntaxat, cùm inquit Christus: Nisi quis renatus fuerit* EX AQVA ET SPIRITV. *Cùm igitur aqua sine Spiritu non mundet, ideò falsum est, quòd hoc loco Hypocrita noster (*CVIVS STVDIA COMPILATORES *Cacodoxi Consensus malè* CONFIRMARVNT*) Sacramentalem prædicationem dicit, in qua signo effectus rei signatæ tribuatur. Sicut enim aqua non est Sacramentum, sic etiam Sacramentalis locutio non est, si de aqua solùm intelligatur effectus, qui Sacramenti est proprius, quod non solùm aqua, sed Spiritu constat.*

Depravatio verborum Pauli de Baptismo.

Ioan. 3.

Ex quo etiam patet, non ex præscripto verbi Dei hanc differentiam locutionum Sacramentalium descriptam, sed in cerebro Zuinglianorum natam, & manifesta corruptela, & depravatione verbi Dei, falsò confirmatam, de quo pij lectoris iudicium esto.

In postrema classe harum locutionum, non tam falsitas rei, quàm crassa ignorantia Opinatoris nostri manifestè conspicitur. In qua dicit: signi effectum, rei signatæ tribui, vt cùm caro Filij hominis comedi dicitur, sanguisq; eius bibi. Vbi denuò Hypocritæ profuisset, vt sua studia melius in schola triuiali CONFIRMASSET. *Quis enim tàm indoctus & insulsus est, vt dicat, effectum panis & vini esse, comedi & bibi? An verò non dignus erat Doctor ille Seraphicus, qui in schola Triuiali Sturmiana institutus, propter tàm crassam ignorantiam* VIRGIS *cedatur? Idq; eò magis, quòd hæc, eruditionis nomine, cum Compilatoribus Cacodoxi Consensus venditat. Panis enim & vini effectus nequaquam est, comedi & bibi, sed accidit illis, quorum effe-*

IIII. Quarta Classis.

Grynæus in Pædagogium relegandus.

ctus esʒ, confirmare & exhilarare cor. In classem ergo quartam Pædagogij relegetur hic Cherubicus Doctor, in qua Dialectica de causis & effectibus docetur. Nisi fortè nimiam festinationem, studijs ipsius perniciosam, aliquis arbitrabitur, vt qui in Grammatica addiscenda diutius detinendus fuisset. Cuius ignorantia, verba Christi Ioan. 6. ad hanc formam quartam Sacramentalium locutionum refert, vbi Christus Metaphora in verbis EDERE *&* BIBERE *vtitur, cùm de doctrina Euangelij & seipso loquitur. Non enim Sacramentaliter, neque de Sacramento loquitur, sed doctrinam Euangelij sui de seipso commendat, sicut paulò antè ostensum esʒ.*

Ex hac ignorantia etiam nata esʒ declamatio, quam contra manducationem carnis Christi sequentibus verbis instituit, vbi pro confesso sumit, quod ei suisq; socijs nunquam concessum esʒ, videlicet, carnem Christi ore corporis non edi, neq; sanguinem eius oraliter bibi, idq; calumnia, seu malitiosa deprauatione ornat, & proinde inquit, corporaliter, vt Capernaitis olim esʒ visum.

Grynæus vnum tantùm modum manducandi carnem Christi nouit.

Etenim nullam aliam rationem, seu modum manducandæ carnis Christi nouit Opinator noster, quàm illum, qui Ioan. 6. descriptus esʒ, qui nihil aliud esʒ, quàm credere, corpus Christi pro nobis in mortem traditum, & sanguinem eius pro nobis effusum esse. Cum autem ore non credatur, ideo ore quoq; non posse manducari carnem Christi, opinatur.

Ioan. Caluinus super Ioan. Cap. 6.

Verùm si Caluinum suum audiuisset, MELIVS IPSIVS STVDIA CONFIRMARE POTVISSET, *qui Zuinglianos hoc nomine grauiter reprehendit, quòd vnam hanc carnis Christi manducationem asserant. Vsq; adeò solidus inter Caluinianos & Zuinglianos in errore consensus esʒ.*

Vide Refutationē Cacodoxi Consensus pag. 131. 139. 234. 235. 324. 518. 547.

Deinde per manducationem corporalem, non aliam intelligit, quàm Capernaiticam illam lanienam, qua instar alterius cuiusuis

cuiusuis carnis, dentibus atteratur caro Christi, deglutiatur, & digeratur. Hæc verò non simplex, sed affectata, & Theologo inprimis indigna est ignorantia, & detestanda malitia. Non enim ignorat Hypocrita, eiusmodi corporalem, carnalem, & Capernaiticam manducationem carnis Christi, nostros neque credere, neque docere, sed ingenuè & apertè damnare. De quo, cùm in omnibus suis scriptis luculenter testati sint Ecclesiarum nostrarum Doctores, Zuingliani verò hanc Capernaiticam, corporalem manducationem nihilominus nobis obijciant, quasi eius nulla vnquam à nostris mentio facta esset: quanta audacia, impudentia, & improbitas ipsorum sit, omnes vident.

Malitia Zuinglianorum in obijcienda manducatione Capernaitica.

Sed dicent fortassis: nos corporalem illam manducationem, de qua Lutherani loquuntur, aliter intelligere non possumus, quàm carnalem illam, & Capernaiticam lanienam carnis Christi, si ore fieri dicatur. Quibus respondemus: Nos minimè de eo disputare, quid Hypocrita noster cum suæ opinionis socijs intelligere, vel non intelligere possit. Sed quid res ipsa sit, in hoc Mysterio quærimus, cùm Christus panem exhibens, iubet ore manducare, & ait: ESSE SVVM CORPVS. *Vbi nos ingenuè cum Chrysostomo & reliquis synceris Doctoribus fatemur,* NOS *minimè intelligere,* QVOMODO *id fiat, aut fieri possit, sed intellectum nostrum in hoc Mysterio captiuum ducimus in obsequium Christi, & dicimus, Mysterij huius altitudinem, omnem humanam ingenij & intellectus capacitatem, excedere: Ideò* SOLA FIDE INTELLIGI, *vt vetustas erudita locuta est.*

Cùm igitur per corporalem præsentiam, & manducationem carnis Christi, in Eucharistia, nihil aliud intelligamus, quàm quod verba Testamenti Christi apertè sonant, videlicet,

veri corporis Christi præsentiam, & perceptionem in vsu panis sacrati, cuius modus, quoad corpus Christi, non est carnalis aut naturalis, sed supra naturam, quod in Mysterio fit, vbi intellectus in obsequium fidei captiuus ducendus est: omnibus manifestum esse confidimus, Zuinglianos malitiosè calumniari, qui Capernaiticam manducationem nobis perpetuò obijciunt, quasi auditoribus nostris eam obtrudamus.

Quomodo corpus Christi videri, tangi, &c. in Sacramento dicatur.

Pag. 35. 129. 170. 198. 311. 313. 317. 349. 434. 459 473. 476. 546. 561.

Quomodo autem corpus Christi in hoc Sacramento dentibus teri, videri, tangi dicatur, quæ non à Luthero recens inuentæ, & in Ecclesiam introductæ, sed eruditæ, piæ, & orthodoxæ vetustatis phrases sunt: in Refutatione Cacodoxi Consensus Zuinglianorum & Caluinianorum luculenter explicatum est. Nihil enim horum fit in corporis Christi proprietate, quod IN SE, *&* PER SE, *in hoc Mysterio neq; videtur, neque tangitur, neque dentibus teritur, sed tribuitur corpori Christi, propter vnionem Sacramentalem cum Pane Eucharistiæ, cuius proprium est in hoc Mysterio, videri, tangi, dentibus teri, cui etiam propriè & naturaliter conueniunt. Quia verò panis Eucharistiæ est corpus Christi Sacramentali vnione, sicut Columba Spiritus sanctus, in cuius specie se reuelauit: Ideò etiam rectè dicitur, quisquis hunc panem videt, tangit, dentibus terit, is corpus Christi videt, tangit, terit: non quidem naturaliter, in suæ naturæ proprietate, sicut panis substantiam, sed in Mysterio, verè & realiter. Sicut Ioanni dictum est: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem. Externis autem oculis Ioannes Spiritum sanctum in proprietate naturæ non vidit, qui neque ascendit, neque descendit, sed illam externam speciem columbæ vidit, non autem solam, sed cum Spiritu sancto vnitam: Ideoq; Spiritum sanctum ipsum inuisibilem vidisse dicitur.*

Simile de Spiritu sancto.

Et

Et hanc fuisse sententiam perpetuam & constantem Orthodoxorum Patrum primitiuæ prioris Ecclesiæ, Hypocrita noster nunquam negare potest, sicut in Refutatione Cacodoxi ipsorum consensus copiosè demonstratum est.

Quod verò ad Berengarianam Palinodiam attinet, quàm nihil vel absurditatis vel impietatis habeat, in Refutatione eiusdem Cacodoxi Consensus quoq; prolixè ostensum est. Nequaquam enim dicit: Corpus Christi in proprietate suæ naturæ dentibus teri, sed propter panem de ea dicitur, cum quo in Mysterio Sacramentaliter vnitum est. [Ego Berengarius Andegariensis Ecclesiæ Diaconus, &c. consentio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & confiteor de Sacramentis Dominicæ cœnæ, eandem me fidem tenere, quam D. & venerandus Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus authoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihiq; firmauit, scilicet, panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem, non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem D. N. Iesu Christi esse: SENSVALITER *non solùm Sacramentum, sed etiam* IN VERITATE *manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.]*

De Berengariana Palinodia. Pag 317.319.309. 311. 312. 444.

Hæc Berengario à Papa Nicolao, & Synodo præscripta Palinodia, nihil continet, quod in scriptis Orthodoxorum Patrum, Chrysostomi inprimis, non contineatur, sicut in Refutatione Orthodoxi, scilicet, illorum Consensus prolixè ostensum est, verbis Testamenti Christi apertis, per omnia consentiens, quæ nihil cum pontificia impietate habet commune. Expressè enim Transsubstantiatio in ea damnatur, cùm dicit: Sacramentum, panem & vinum, esse corpus & sanguinem Christi, post consecrationem, non speciem, seu accidentia panis & vini. DVABVS *enim* REBVS, *non* VNA *duntaxat* RE, *secundum Orthodoxos Patres, constat Eucharistia.*

Pag. 35. 129. 170. 198. 311. 313. 317. 349. 434. 459. 473. 476. 546. 561. 610. 642.

Crimen falsi Compil Cacodoxi Consensus Zvuingl.

Quapropter, vt speciem aliquam veri habere videatur reprehensio huius Palinodiæ, quam hîc probat Hypocrita, Compilatores Cacodoxi ipsorum Consensus, manifestum crimen falsi committere non sunt veriti, vbi pro Accusatiuo, SACRAMENTVM, *posuerunt Ablatiuum,* SACRAMENTO. *Cùm enim Berengarius dicit:* SENSVALITER *non modò Sacramentum, panem & vinum: sed etiam in veritate corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, vt vocabulum* SENSVALITER *ad corpus & sanguinem Christi quoque referatur, Casum vocabuli mutarunt: Non solùm Sacramento, sed etiam in veritate, corpus & sanguinem Christi* SENSVALITER *manibus Sacerdotum tractari, frangi, dentibus atteri.*

Corp. Christi sensualiter non frangitur, aut dentib. teritur in Sacram.

Quod à mente & sententia Nicolai Papæ, Synodi, & Berengarij, alienissimum fuit. Nam panem dantaxat sensualiter tractari, frangi, dentibus atteri dicunt, non autem corpus Christi. Sed propter vnionem Sacramentalem, IN VERITATE *ei hoc tribui affirmant. Sicut in veritate Spiritus sanctus, propter vnionem cum Columba, descendisse dicitur: qui proprietate naturæ de loco in locum non mouetur. Quod pius lector diligenter expendat, cùm ne quidem Caluinus ipse, ab hoc exemplo, in explicatione huius Mysterij, abhorreat.*

Explicatio dicti Augustin. quomodo scelus sit humanam carnem mandere.

Et rectè Augustinus dicit, maius scelus esse, humanas Carnes MANDERE, *&* DEGLVTIRE, *quàm hominem occidere: & bibere humanum sanguinem, quàm fundere. Intelligit enim de Capernaitica illa laniena, manducatione & deglutione, quam cùm nos quoque constanter damnemus: qua fronte Hypocrita nobis illam obijcere potest, vel audet? In Mysterio* CORPORIS CHRISTI *manducationem fieri,* VNO ORE *docent Orthodoxi Patres omnes. Num verò hoc est carnaliter mandere, deglutire & bibere?*

libere? Si carnalis modus manducationis carnis Christi esset, de quo solùm loquitur Augustinus, omnis Mysterij ratio cessaret. Sed quoniam in Mysterio fit: ideò illa manducatio, deglutio, & bibitio carnalis, locum habere non potest, quæ propriè & naturaliter duntaxat pani & vino competunt.

Sic quoque minimè negant nostri, quod hoc loco Hypocrita inculcat, quum Christi communione fruimur, spiritualiter, per fidem, nos Christi carnem edere & sanguinem eius bibere, rectè dici: Verùm hæc non est Sacramentalis illa manducatio carnis Christi, de qua Christus in suo Testamento loquitur, sed Sacramentalis manducatio, ad confirmationem spiritualis huius manducationis, quæ continua est in fidelibus, à Christo instituta est, qua in Sacramento CORPVS CHRISTI *pro nobis traditum editur, & sanguis bibitur. Quod Hypocritam nostrum vel à Caluino discere non pudeat, cùm* TANTVM AD CONFIRMANDA STVDIA SVA *ad nos Tubingam accesserit. Quæ enim per fidem fit manducatio, extra cœnam Domini, est quasi continua, dum fidelis homo credit, quòd* CORPVS CHRISTI *sit pro nobis traditum. Sed longè alia manducatio est, quando* CHRISTVS, *hoc ipsum* CORPVS, *quod in crucem & in mortem traditum est, nobis quoque in Mysterio Eucharistiæ offert, vt de meriti ipsius efficacia in nobis, minimè dubitemus.*

De spirituali manducatione, quæ per fidem fit, nulla est controuersia.

Manduc. per fidē extra cœnā Domini fieri potest.

Sacramentalis mā ducatio.

Sic Augustini dicta ab Opinatore recitata, suum locum habent, cùm inquit: Crede & manducasti. Item: quid paras dentem & ventrem? Loquitur enim de spirituali manducatione, contra Capernaiticam manducationem CARNIS CHRISTI, *de qua, in hoc spirituali & Mystico conuiuio, Christus non loquitur. Interim tamen verum & est, & permanet, quòd non solùm panis, & vinum, sed etiam* CORPVS & *sanguis*

Responsum & explicatio dictorum Augustini.

sanguis Christi externo ore, IN MYSTERIO, *percipiantur, &* NON SOLVM PER FIDEM. *De quo satis dictum est.*

Responsum ad dictum Cyrilli.

Sic dicti seu Testimonij, quod ex Cyrillo affertur, qui dicit: corpus & sanguinem Christi percipi sola, simplici, & inexquisita fide: non hæc est sententia, quam ei affingit Hypocrita, quòd soli fideles accipiant corpus & sanguinem Christi, sed quòd verbis Testamenti Christi, simplici fide inhærendum sit, & de modo non quærendum esse.

Sacramẽtales prędicationes nõ sunt propriæ.

Quòd verò in fine addit, de Sacramentalibus prædicationibus, quas ideò proprias esse dicit, quoniam, quod signorum est, signis, quod autem rerum significatarum est, rebus significatis tribuant, dupliciter & turpissimè errat. Nemo enim Sacramentales prædicationes proprias esse, vnquam dixit. Nam ideò Sacramentales dicuntur, quia propriæ non sunt. Et si propriæ essent, Sacramentales non dicerentur. Quæ causa est, quòd Zuingliani eas inter figuratas numerauerint. Ex quo spiritus vertiginis intelligitur, quo Hypocrita noster agitatur, vt quid scribat, nesciat.

Propria signorũ, rebus signatis tribuuntur.

Deinde falsum est, quòd dicit: In his prædicationibus, signis tribui, quod signorum est, & rebus significatis, quę sint rerum significatarum. *Nam quod propriè signorum est, panis & vini, videlicet, externo ore edi & bibi: hoc in verbis Testamenti Christi, signatis rebus, hoc est, corpori & sanguini Christi tribuitur, cùm panem accipiens Christus inquit: Accipite, manducate, Hoc est corpus meum. Id cùm Zuinglius intelligeret, corpori Christi non competere, minimè propriam, sed figuratam, & Metonymicam prædicationem esse, dixit.*

Causa erroris Grynæi.

Causa verò erroris nostri Opinatoris est, quòd separatam fingit actionem in vsu cœnæ Domini. Alteram qua Minister panem, & vinũ distribuit, & vescentes ore accipiunt: Alteram qua fideles per fidem edant corpus Christi, & bibant sanguinem eius,

hoc est,

hoc est, credant corpus Christi pro ipsis in mortem traditum, & sanguinem eius, pro ipsorum peccatis, effusum esse. In quarum posteriore manducatione, nulla amplius actio Christo secundum carnem, tribuitur, sed passionis ipsius meritum, & memoria mortis eius duntaxat celebratur. Quamuis etiam in ista opinione prædicatio non per omnia sit propria. Nam quod ad prius attinet, videlicet, externa signa, & eorum manducationem, & bibitionem, propria quidem est prædicatio: verùm in posteriore, minimè propria, sed figurata, & Metaphorica, quando Ioannis sexto Christus de manducatione suæ carnis figuratè loquitur. Vbi manducare, & bibere, propriè accipi non potest, quòd ore fiat, sed figuratè, videlicet, per Metaphoram. In cœna Domini verò, neq; figurata, neq; propria, sed Mystica, & Sacramentalis est prædicatio, sicut ostensum est.

Quæ cùm ita se habeant, adeò, vt nulla ratione negari possint, insignis impudentia sit, necesse est, quòd Opinator noster tanta confidentia, nulla prorsus ratione addita, asseuerat: phrases illas & prædicationes Sacramentales, proprias dici: quasi non opus sit, id probare argumentis & rationibus, sed sufficiat illud pythagoricum: αὐτὸς ἔφα, quod impudenter aliâs Luthero imputant.

Grynæus.

XXIV.

Restat, vt de fundamentis, tàm nostræ sententiæ, quàm aduersariæ opinionis, vice Coronidis agentes, quid inter illa interfit bona fide & breuiter exponamus.

Iacobus andreæ.

Quo loco fundamenta veræ Doctrinæ de cœna Domini habeat, prouerbiali sententia malè accommodata, docet, de quibus ait,

Fundamenta controuersiæ Coronidis vice Grynæus tractat.

bus ait, se coronidis vice acturum esse. Quæ coronis, cùm velut ornamenti gratia, perfectis omnibus addatur, & absoluto operi accedat, quàm infœliciter suo imperfecto operi addiderit, videbimus. Neq; enim ornamenta rei, sunt fundamenta, quibus res nititur, & quasi columnæ, quæ ædificium sustentant, & in quibus consistit.

Deinde neque hoc silentio prætereundum est, quòd suis sententiam, nostris verò opinionem tribuit. Non enim ignorat, opinionem à scientia, per Philosophos, ita discerni, quòd scientia sit certi, opinio verò incerti. Vnde etiam opinatur, nostram de cœna Domini doctrinam, incertam esse, suam verò, & suorum sociorum sententiam, & scientiam, certam. Id quàm verum sit, videbimus.

GRYNÆVS.

Nostræ sententiæ, quæ τὰ νοητὰ τῷ νοερῷ, καὶ τὰ αἰσθητὰ τῷ αἰσθητῷ, hoc est, intelligibilia mente, sensibilia sensibus, totius hominis pascendi, & reficiendi causa, præberi docet.

Prima demonstratio opinionis Grynæi, quòd verbis Test. Christi sit consentanea.

Primum fundamentum est, verbum Iehouæ, manens in æternum, E QVO VNO, quid in vniuersum, de Sacramentis omnibus, ac seorsim, quid de Eucharistia statuendum sit, petere solemus. Sunt autem hæc Testamenti verba, quibus nitimur.

Dominus Iesus ea nocte, qua proditus est, accepit panem, & gratijs actis, fregit ac dixit: Accipite, comedite, Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur, hoc facite ad mei recordationem. Itidem & poculum, postquam cœnasset, dicens: Hoc poculum est nouum Testamentum, PER meum sanguinem, hoc facite, quotiescunque biberitis, ad mei recordationem. 1. Cor. 11. 23. 24. 25.

IACOB.

IACOBVS ANDREÆ.

Grynæus opinionem suam, suorumque sociorum Zuinglianorum explicaturus, ac confirmaturus, primùm monet: ipsorum doctrinâ de cœna Domini, intelligibilia menti, sensibilia sensibus, totius hominis pascendi & reficiendi causa, præberi. Etsi verò non ignoramus, hæc eadem ab Orthodoxis Patribus, & Neotericis Theologis dicta, & scripta esse: longè tamen alio sensu factum, certò scimus, & res ipsa demonstrat. Nam intelligibilia, hoc est, corpus & sanguis Christi, quatenus in hoc Mysterio distribuuntur, quamuis externis sensibus non sentiuntur, siquidem oculus, corpus Christi non videt, manus non tangit, lingua non gustat, aut nares olfaciunt, in naturæ suæ proprietate: manibus tamen Ministrorum distribui, & ore accipi, omnes uno ore fatentur. Vt enim os maximè non sentiat, quid accipiat, sentit tamen & intelligit fides, sicut suprà demonstratum est. Sic non seorsim menti, Corpus, & sanguis Christi proponitur, & seorsim panis & vinum ori exhibetur, sicut Hypocrita noster opinatur, sed simul cum pane & vino, corpus & sanguis Christi distribuitur & exhibetur, sicut Orthodoxa vetus Ecclesia locuta est, & sensit. Qua ratione totus homo pascitur, & reficitur corpore & sanguine Christi, non sola Anima, vt Hypocrita sentit, sed corpus quoque, non quidem ad carnalem, & naturalem refectionem, sed ad immortalitatem, sicut Irenæus apertè testatur.

Quo. menti intelligibilia, sensibus sensibilia distribuantur.

Principiò autem vehementer miror, qua fronte, pro sua, suorumque sociorum, videlicet, Zuinglianorum opinione asserenda, verba Testamenti Christi, tanquam fundamentum allegare ausit, cùm non ignoret, quid Compilatores Orthodoxi illorum consensus, quem librum magno labore, & incredibili studio, conscriptum esse dicunt, nomine omnium Zuinglianorum

Verba Test. quo. nõ possint esse fundamentũ opinionis Zuingl.

norum, & Caluinianorum, libro Concordiæ oppoſuerint: videlicet, manifeſtum abuſum verborum cœnæ eſſe, in probando eo, quod ex verbis, in quæſtione, & controuerſia eſt. Item: Non oportere ſimpliciter intueri verba Chriſti, hoc enim, inquiunt, eſt carnaliter intelligere. SED OPORTET ALIVD QVIPPIAM COGITARE, *& interioribus oculis aſpicere: Itē, Sacramenta* NON EX IPSIS VERBIS, SED VERBA SECVNDVM PECVLIAREM, & PROPRIVM LOQVENDI MOREM, *intelligi debent. His addatur, quod Bullingerus ſuperioribus annis cōtra me ſcripſit: Verba Teſtamenti me pro fundamento doctrinæ noſtræ aſſumere non poſſe, quia de his ipſorumque ſententia controuertatur. Hæc ſi quis cum Grynæi verbis conferat, quàm præclarè* IN FVNDAMENTO *opinionis ſuæ conſentiant, conſpicitur.*

Fol. 161. b.

Fol. 98.

Fol 150.

Deinde in recitandis verbis Teſtamenti Chriſti, ſecundum Paulum, translationem Bezæ ſequitur Opinator, qui verba de Calice reddidit: Hoc poculum eſt nouum Teſtamentum, PER MEVM SANGVINEM, *arbitratur fortè ſe aliquid præſidij in hac translatione habiturum. Sed meminiſſe debebat, non modò hebraicè locutum Paulum, ſed etiam reliquos Euangeliſtas, verborum ipſius optimos interpretes eſſe, videlicet, Matthæum & Marcum Euangeliſtas, qui verborum Pauli mentem perſpicuè reddiderunt, Hoc (inquiunt) eſt ſanguis meus noui Teſtamenti. Apud Hæbræos enim littera* ב *præpoſitionis loco poſita, nunc per* IN, *nunc per* CVM *redditur, vt ſignificet:* IN SANGVINE, CVM SANGVINE, *vel* PER SANGVINEM, *ſicut ſcriptum eſt, in Pſalmo ſeptuageſimo octauo: Sacerdotes eorum ceciderunt* IN *gladio* בחרב, *hoc eſt, per gladium. Item, Thren. 5. principes eorum* בידם, *manu ſuſpenſi ſunt. Item, aquam noſtram,* בכסף *pro pecunia bibimus. Item, & ſeruiuit Iſrael* באשה, *pro vxore. Item, pueri in ligno* בעץ *corru-*

De Phraſi Hebræa IN SANGVINE.

Hoſe. 12.

Thren. 4.

corruerunt, hoc est, sub ligno. Hæ phrases in latino, variæ & diuersæ, in hebræa lingua vnica litera ב exprimuntur, qua tamen res non absentes, sed præsentes significantur. Idem ergo sensus verborum Pauli, sicut & Lucæ est, qui Hebræa phrasi locuti sunt, qui est verborum Marci & Matthæi, quorum Euangelia phrasi Græca extant, qua non absens, sed præsens sanguis Christi significatur, quem Christus in mysterio distribuit, sine quo poculum hoc, nouum Testamentum esse non potest, sed in hoc sanguine, cum hoc sanguine, per hunc sanguinem, verè est nouum Testamentum. Vt nihil dicam, per omnia eandem rationem verborum de calice esse, quæ est de pane Eucharistiæ, de quo nullâ syllabâ variant tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus, vbi hæc verba in singulis reperiuntur: HOC EST CORPVS MEVM, *&c. Cùm igitur ab his manifestissimis verbis recedant, idq; non vno modo, neq; ab vno vocabulo, sed à singulis (sicut suprà ostensum est) insignis impudentia est, quòd Opinator noster affirmare audet, opinionis ipsorum fundamentum, verba Testamenti Christi esse.*

Zvuingl à scripto verborum Test. Christi recedunt.

Cùm enim ex contextu verborum manifestum sit, pronomine (Hoc) panem demonstrari, Carolstadius prorsus negauit, & assidens corpus demonstrari contendit, non panem. Sic Zvuinglius (EST) *non retinet, sed in eius locum* (SIGNIFICAT) *reponit. Oecolampadius vocabulum (corpus) pro figura corporis Christi interpretatur. Orthodoxi scilicet, hoc est, Zvuingliani Consensus Compilatores, vocabulum* (MEVM) *arrodunt, & dicunt, in cœna non esse verum reale corpus Christi, sed aliud corpus, videlicet, Sacramentale, quod duntaxat nomen & appellationem corporis Christi habeat. Sic quoad substantiam Sacramenti attinet, in Testamento Christi,* NVLLVM *vocabulum in sua propria significatione retinent, sed à singulis eius verbis recedunt Zvuingliani, & simul docent, Sacramentum Eucharistiæ, non*

Fol. 150. *ex his verbis Testamenti, sed hæc verba, secundum quendam peculiarem modum loquendi, intelligi debere. Item, aliud quid-*
98. *piam cogitandum esse, vt rectè intelligamus. Sed videamus, qua ratione demonstrare conetur Opinator noster, Zuinglianorum opinionem de cœna Domini, verbis Testamenti Christi consentaneam esse.*

GRYNÆVS.

Vt autem piæ mentes reipsa animaduertant, verbis institutionis planè consentaneam esse, de fundamento nostræ sententię, gloriationem nostram sanctam, subijcimus has euidentissimas demonstrationes.

I. De typo & antitypo verbis Pauli. Etenim pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempè Christus 1. Cor. 5. 7.

Certo certius est, eandem esse rem Sacramenti, tàm in typis, quàm in antitypo, etiamsi non sint eadem Sacramentalia signa.

Sed in paschatis & petræ illius antitypo, videlicet, Dominica cœna, res Sacramenti est corporis Christi, & sanguinis Christi communio. 1. Corinth. 10. 16.

Quare idem de paschalis Agni esu, & de petra illa est iudicium, vt ex verbis Apostoli liquet: & omnes eandem escam spiritualem ederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim ex sequenti spirituali petra, petra autem erat Christus, 1. Cor. 10. 3. 4.

Et per consequens etiam Patres manducauerunt carnem Christi, & biberunt Christi sanguinem: quando

quando citra Christi participationem, nemo eorum vnquam saluus fieri potuit.

Iacobvs andreæ.

Denuò hic monendus est Hypocrita noster, quòd Tubingæ malè sua studia CONFIRMAVERIT, *qui demonstrationes promittit, & scopas dissolutas præstat, vt quid dicat, vel ipse quoque nescire videatur.*

Dum enim probare intendit, ipsorum gloriationem, quam sanctam appellat, verbis institutionis Christi PLANE *consentaneam esse, de fundamento ipsorum sententiæ, in prima demonstratione,* PLANE *nullam verborum cœnæ Domini mentionem facit, sed extra oleas vagatur, & de typo & antitypo, ex verbis Pauli ineptè & falsò disserit.*

Nam primò omnium typos, & antitypon discernit, & typos quidem ad vetus Testamentum, antitypon verò ad nouum, adeoq; ad Eucharistiam noui Testamenti refert. Typus & antitypon quomodo differant.

Sin igitur per antitypon intelligit hoc, quod per typos veteris Testamenti adumbratum est, videlicet, ipsum Christum, sicut haud obscurè recitatione sententiæ Pauli 1. Cor. 5. innuit, cùm ait: Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempè Christus: contra suum errorem, pro veritate nostræ doctrinæ pugnat. Si enim antitypon ipsum Christum, typus verò eius duntaxat vmbram significat: Et antitypon est in cœna Domini: inde manifestè sequitur, quòd in veteri Testamento duntaxat vmbra, in nouo autem Testamento corpus & veritas sit. Antitypon noui Testamenti.

Vtuntur scriptores Ecclesiastici quatuor vocabulis, prototypon, archetypus, typus, & antitypon, quæ si accuratè discernuntur, multum lucis huic controuersiæ intelligendæ & dijudicandæ adde-

1. Prototypon & Archetypus.

adderent. Prototypon enim & archetypum appellant, ipsum Christi corpus per se existens: & sine vllius respectu consideratum.

2. Typus.

Typum verò, vmbram, quæ prototypon duntaxat significauit, & adumbrauit, qualis typus fuit agnus paschalis, & omnes ceremoniæ Mosaicæ, quæ Christum adumbrârunt.

3. Antitypon.

Antitypon verò, cœnæ Domini Symbola appellârunt, non quòd duntaxat corpus Christi significarent, vel repræsentarent, hoc enim typi veteris Testamenti habent: sed quòd hoc sub inuolucro tectum habeant, quod per typos adumbratum fuit.

In 1. Cor. 10.

Sicut Hieronymus loquitur: Omnia, inquit, quæ in populo Israel, illo tempore fuerunt in figura, nunc in nobis IN VERITATE *celebrantur. Manna cibamur, & potum accipimus de latere Christi manantem.*

Lib. Quæst. vet. & noui Test. Quæst. 95.

Et Augustinus: Manna typus est escæ spiritualis, quæ resurrectionis Domini veritas facta est, in Eucharistiæ Mysterio.

Refutatio primę demonstrationis Grynæi á typo ad Antitypon.

Sed videamus, quomodo Opinator à Typo & antitypo, ad confirmationem sui erroris, argumentetur: videlicet, non aliam manducationem carnis Christi esse in Eucharistiæ Antitypo, quàm in typo paschatis & petræ.

Eadem *(inquit)* res Sacramenti est in Typo & Antitypo. Sed in Antitypo, videlicet, Dominica cœna, res Sacramenti est corporis & sanguinis Christi COMMVNIO. Ergo & in Typo Agni paschalis & petræ, & per consequens, non aliter adest corpus Christi in cœnę Domini Antitypo, quàm in typo Agni paschalis & petræ. Quod confirmat sententia Pauli, 1. Corinth. 10. Omnes eandem spiritualem escam ederunt, &c.

Responsio ad Argumentationem.

Ad maiorem propositionem respondeo, per distinctionem, cùm dicitur: Eadem res Sacramenti est in Typo & Antitypo. Si enim largè accipiatur, verum est, videlicet, quòd res significata

cata per typum, eadem sit, quæ in antitypo exhibetur. Non enim sunt duo, sed vnus Christus, typo adumbratus, & antitypo exhibitus. Sed si intelligatur, quòd eodem modo adsit in antitypo, sicut præsens fuerit in typo, PERNEGO. *Nam res Sacramenti, quæ est caro, & sanguis Christi, in typo Agni paschalis, & petræ, tantùm adumbrata fuerunt, vt esset Typica caro, & Typicus sanguis. Sed in antitypo verè & realiter adest, iuxta verba Testamenti Christi: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus* NOVI TESTAMENTI. *Cùm autem Opinator noster maiorem propositionem, iuxta secundam explicationem positam, accipiat, simpliciter eam negamus.*

Similiter quoq; & ad minorem propositionem respondeo, per distinctionem, cùm dicitur, quòd res Sacramenti sit corporis & sanguinis Christi communio. Nam iuxta Apostolum Paulum, Communio corporis Christi, quid Paulo significet. *κοινωνία corporis & sanguinis, significat communicatum corpus Christi, non absens, sed in Mysterio præsens. Sed de sententia Zuinglianorum, significat tantùm participationem beneficiorum Christi, & spiritualem communionem per fidem, quæ sine præsentia, & exhibitione reali corporis & sanguinis Christi fiat.*

Cùm autem in paschalis Agni esu, & vsu aquæ ex petra per Mosen datæ, caro & sanguis Christi nondum essent, sed his tanquam typo adumbrata duntaxat fuerint: inde sequitur, vehementer errare Hypocritam, qui idem de typo Agni paschalis, ac petræ, & antitypo cœnæ Domini, iudicium esse dicit: Quantum enim vmbra à corpore, & figura à veritate rei differt, tantum typi & antitypon differunt.

Et falsò allegat D. Pauli sententiam, eamq; malè ad cœnam Domini accommodat, qua ait: Omnes eandem Escam spiritualem ederunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Deprauatio verborum Pauli de spirituali esca, 1. Cor. 10. *Bibebant enim ex sequente spirituali petra: Petra autem erat Christus. Et enim Apostolus nequaquam dicit, quòd* NOBISCVM

EANDEM *spiritualem escam ederint, sed confert inter se Iudæos infideles & fideles, & ait: quòd etiam illi, qui in deserto prostrati sunt, & Deo non placuerunt, cum fidelibus eo tempore, qui Deo placuerunt, eandem escam ederint. Quapropter etsi verum est, quòd Patres manducauerint Christi carnem, & biberint eius sanguinem: non tamen verum est, quòd ederint eo modo, quo nos in antitypo edimus, sed in typo tantùm & figura, quæ fuit vmbra eius rei, quæ nobis in veritate, in Mysterio tamen, reipsa exhibetur. Sicut paulò antè Hieronymi verbis ostendimus.*

Sine participatione Christi nemo vnquam saluatus est.

Sic verum quoq; est, quòd nemo citra participationem Christi, vnquam saluus fieri potuerit. Ex eo autem minimè sequitur, quòd eadem sit Sacramentalis participatio Christi, in veteri & nouo Testamento. Nam per fidem spiritualiter participârunt Christum venturum, quem nos quoq; participamus eâdem fide spiritualiter: cuius meritum ex æquo omnibus temporibus, omnibus fidelibus applicatum fuit, in remissionem peccatorum.

Spiritualis participatio Christi per fidem omnibus temporibus vna.

Ad cuius fidei confirmationem, Figuræ & Typi veteris Testamenti seruiebant, quæ vmbra tantùm erant eorum, quæ in antitypo cœnæ Domini verè præsentia sunt, & distribuuntur, videlicet, corpus & sanguis Christi. De quibus cùm in Refutatione Cacodoxi Consensus Zuinglianorum copiosè actum sit, breuitatis causa eò lectorem remittere libuit.

Vsus figurarum & typorum in veteri Testamento.

Prima Demonstratio Grynæi vana est.

Satis enim demonstratum existimo, cùm non aliam præsentiam, & manducationem carnis Christi, in antitypo cœnæ Domini doceat Opinator noster, quàm quæ in typo Agni paschalis veteris Testamenti facta est: eius opinionem nequaquam verbis Testamenti Christi consentaneam, ideoq; & hanc primam eius Demonstrationem vanam esse. Christus enim non dixit: Accipite, manducate, hoc est typus corporis mei, bibite, hic est typus sanguinis mei: sed ait: HOC EST CORPVS MEVM,

MEVM, *hic est sanguis meus, & studio addit: Noui Testamenti, vt Typum veteris Testamenti, à rei veritate discernat in nouo Testamento. Ibi enim sanguis typicus erat, hîc verò realis sanguis est,* IPSIVS *Christi pro nobis effusus, &c.*

Sed videamus alteram quoq; non minus vanam & futilem, ex ritibus Sacramentalibus, petitam Demonstrationem.

GRYNÆVS.

II. De ritibus Sacramentalibus: ex verbis Pauli: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. 1. Cor. 11. 23.

Secunda Demonstratio opinionis Grynæi.

Nihil dubium est, in cœnæ liturgia, pastoribus quidem ea, quæ in prima cœna Christus Dominus: gregi autem ea, quæ Apostoli egerunt, esse diligenter obseruanda & præstanda,

Atqui Christus Dominus, panem initiò accepit, fregit, actisque gratijs, dedit discipulis, dixitque: HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vobis frangitur: Hoc facite ad mei recordationem. Discipuli verò, acceptum panem ederunt. Itidem & poculum, postquam cœnasset, discipulis exhibuit, &c. Hi verò biberunt omnes, &c.

Quare nunc quoque pastores Ecclesiæ, mortem Domini Iesu annunciare, panem accipere, frangere, & distribuere, poculum Domini exhibere: gregem verò Dominicum, panem Domini accipere, & edere, eq; Domini poculo bibere oportet: sic tamen, vt seipsos probent, discernant corpus Domini, & illius mortem annuncient.

IACOBVS ANDREÆ.

Refutatio secundæ Demonstrationis.

Ostendit hæc quoque minimè Magistralis demonstratio, opinionem Zuinglianorum verbis Testamenti Christi non consentaneam esse. Docet enim panem & vinum duntaxat per Ministrum distribui, & à grege Dominico ad recordationem Christi, & mortis eius, ore sumi. Longè verò aliter verba Christi sonant: quos iubet Christus ad sui recordationem, corpus & sanguinem suum edere & bibere, quorum distributioni, panis & vinum cœnæ Domini, in hoc Mysterio seruiunt.

Etsi verò astutè in fine addit: Sic tamen, vt seipsos probent, discernant corpus Domini, & mortem Domini annuncient: *ne videatur nullam corporis Christi mentionem facere: nequaquam tamen dicit, corpus & sanguinem Christi, cum pane & vino distribui, aut ore sumi, quod aperta verba Christi docent. Et dijudicationem corporis Christi intelligit non eam, qua pij considerant, se ore non solùm panem, sed etiam corpus Domini accipere in Mysterio, qua ratione corpus Domini, à quouis alio pane discernunt, sed in ea consideratione positum affirmant, quòd corpus Christi cogitant, pro nobis in mortem traditum, & sanguinem eius pro peccatis nostris effusum esse, qua ratione tàm extra vsum huius panis, & vini sanctificati, corpus & sanguinem Christi edere, bibere, & corpus Domini dijudicare possunt fideles.*

Quid per dijudicationem corporis Christi intelligat Grynæus.

Vera dijudicatio corporis Christi in cœna Domini.

Verùm de hac dijudicatione nequaquam loquitur Paulus, sed de ea, qua corpus Domini, in mysterio præsens distribuitur, & sumitur ab omnibus, in cœna Domini, vescentibus, quam hic Opinator cum suis Zuinglianis prorsus negat, & panem ac vinum duntaxat distribui, & sumi docet, quod à verbis Testamenti Christi alienum est. Quapropter & in hac secunda demonstratione, Opinator noster, tanquam falsus interpres verborũ Testa-

Testamenti Christi, deprehenditur: Quod ex sequentibus tribus demonstrationibus patebit. In quibus verba Testamenti Christi, iuxta Zuinglij spiritum interpretatur, de quo, ATER AN ALBVS *fuerit, non meminit.*

GRYNÆVS.

De subiecto in verbis cœnæ: HOC EST CORPVS MEVM, Matthæi 26. 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24. *III.* Tertia Demonstratio.

Pronomen Demonstratiuum Hoc, de eo accipi debet, quod Christus Iesus accepit, fregit, dedit discipulis suis.

Accepit autem panem, eumque fregit, & discipulis dedit: Ergo de pane pronomen illud, subiectum designans, intelligi debet: qui propriè panis est & dicitur.

IIII. De prædicato, in ijsdem verbis Domini nostri Iesu Christi. Quarta Demonstratio.

Illud est prædicatum, quod de subiecto dicitur. Atqui de pane dicitur, quòd sit corpus Christi. Istud igitur est prædicatum, vt sani omnes iudicant.

V. De Copula, videlicet, de verbo substantiuo est. Quinta Demonstratio.

Quotiescunque in propositione aliqua, verbum Substantiuum EST, iungit disparata, quæ formis specificis differunt: tùm fatendum est, prædicationem non esse propriam, sed figuratam.

Atqui in hac propositione: panis est corpus Christi, id fit: Disparatum enim, videlicet, Christi corpus, de pane prædicatur.

Quare certum est, figuratam esse prædicationem.

IACOBVS ANDREÆ.

Recitat hoc loco tres Demonstrationes, quibus Zvuinglianam opinionem, de sententia verborum Testamenti Christi, euincere conatur Hypocrita. Nusquam verò in tota Disputatione, errorem & impietatem cordis tàm manifestè prodit, quàm in his tribus Demonstrationibus factum est. Id quomodo fiat, videbimus.

Responsio ad tertiam Demonstrationem.

Primùm omnium monet, per Pronomen (Hoc) intelligendum esse panem, tanquam subiectum propositionis, qui propriè panis SIT & DICATVR. *Sed quis est, qui hoc neget, nisi Thomisticus Asinus? qui contendit, in omnem æternitatem, propositionem, seu locutionem hanc,* HOC EST CORPVS MEVM, *verificari non posse, si per Pronomen (Hoc) panis intelligatur. Quod eâdem facilitate negatur, qua asseritur. Etsi enim panis propriè panis est & dicitur, adeoque etiam in hoc Mysterio permanet: tamen propter verbum Filij Dei accedens, non tantùm panis est, sed etiam hoc ipsum, quod Christus prædicat, videlicet, corpus Christi, quæ duo per Pronomen (Hoc)* SIMVL *demonstrantur, alterum sensui, alterum intellectui, seu fidei, quæ sola hoc Mysterium intelligit. Sicut in Refutatione Cacodoxi Consensus verbis Buceri ostensum est, quem à partibus suis per omnia stare, vociferantur Compilatores.*

Pronomen (Hoc) significat panem.

Impia & blasphema vox Thomisticorũ Asinorum.

Respons. ad quartam Demonstrationem.

Deinde Opinator demonstrat, Corpus Christi, in hac propositione seu locutione Sacramentali, prædicatum esse: quod etiam nemo negat, nisi Schvuenckfeldianus, qui ordinem verborum Testamenti Christi stolidè inuertit, & subiectum, loco prædicati, & prædicatum, loco subiecti posuit.

Summa autem verborum Testamenti deprauatio, in explicatio-

plicatione copulæ, seu verbi Substantiui (EST) *conspicitur, quam hoc loco Opinator ponit. Inprimis verò insignis impudentia est, quòd manifestum & crassum errorem, pro indubitata regula veritatis, obtrudere audet*: Quotiescunque *(inquit)* in propositione aliqua verbum Substantiuum (EST) iungit disparata, quæ formis specificis differunt, TVM FATENDVM EST, prædicationem non esse propriam, sed figuratam. *Ex qua infert, cùm in hac propositione: panis est corpus Christi, id fiat, videlicet, quòd disparatum, corpus Christi, de pane prædicetur, ideò* CERTVM *est, inquit, figuratam esse propositionem.*

Regula Zuingl. falsissima de copula (EST.)

Hoc autem non est Theologum, sed Sophistam agere. Principia enim humanæ Philosophiæ cum Theologia confundit, & Mysteria cœlestia, regulis humanæ Philosophiæ subijcit, quod falsum est. Nam in Philosophia hæc regula locum habet, quam Opinator hîc recitat: In Theologia verò falsissima est.

Grynæus Sophista non Theologus.

Quod in prædicationibus de persona Christi perspicuum est, vbi disparata, quæ formis specificis differunt, iunguntur, nec tamen prædicatio vel propria vel figurata est, sed inusitata, hoc est Aristoteli, Platoni, & omnibus Philosophis ignota, adeoq; stulta, vt Apostolus loquitur, cùm dicitur: Verbum caro factum EST. *Item: Hic homo est Deus. Vbi caro de Verbo, & Deus de homine, tanquam disparato, non figuratè, sed verè, & realiter prædicatur. Non enim figuratè, sed verè & realiter Verbum caro factum, & homo Deus est. Sic panis Eucharistiæ, non figuratè, sed verè, & realiter corpus Christi est, per & propter vnionem Sacramentalem, quam sensus & ratio, seu Philosophia non capit,* SED SOLA FIDES INTELLIGIT.

Prædicatio de persona Christi neque propria, neq; figurata, sed inusitata. In Refut. Cacodoxi Consensus. pag. 18. 493.

Quæ cùm ita se habeant, nisi Articulos fidei Christianæ negare velimus, omnibus manifestum est, sophisticè ab Opinatore

nostro

Admonitio Pauli de Philosophia. Col. 2.

nostro Philosophicum regulam, ad hæc Mysteria applicari, in quibus prorsus nullum locum habere potest &c. Ideoq; diligenter admonitio Paulina obseruanda & sequenda, cùm ait: Videte ne quis sit, qui vos deprædetur PER PHILOSOPHIAM, *& inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum* 2. Cor. 11. *Elementa mundi,* ET NON SECVNDVM CHRISTVM. *Item: Timeo, ne sicut Serpens Heuam seduxit, suâ astutiâ: ita corrumpantur sensus vestri, &* EXCIDANT A SIMPLICITATE, *quæ est in Christo Iesu. Harum admonitionum quisquis memor fuerit, nõ facilè patietur se à manifestis Testamenti Christi verbis abduci, ad Regulas Philosophicas, vt his, Mysteria regni cœlestis, metiatur, quæ omnibus Philosophis ignota fuerunt, & quamdiu intellectum suum non captiuum ducunt in obsequium Christi, perpetuò ignota manent.*

Mysteria regni Dei Philosophis ignota.

GRYNÆVS.

Sexta Demonstratio.

VI. De Metonymia.

Rectissimè Metonymia dicitur, quando signo tribuitur nomen Rei significatæ, vt omnes mediocriter docti intelligunt,

Atqui in hac propositione: panis est corpus Christi, signo, videlicet, pani, tribuitur nomen rei significatæ, quæ est corpus Christi. Neque enim in illa idem de seipso dicitur, quum specie differant, panis & corpus Christi, neque species de indiuiduo, neque de specie genus, differentia, proprium, aut accidens: sed de signo, signatum, analogicè tamen, vt Relatorum ratio postulat, prædicatur.

Metonymiam itaque in cœnę verbis illis iure statuimus: quæ nequaquam Sacramentum in picturam inanem transformans, illud euacuat: sed ideò signum

rem

significatam vocat, vt Analogicè doceat, tàm certò rei cœlestis nos participes fieri per fidem, quàm certum est, etiam externorum sensuum nostrorum testimonio, terrena & visibilia, illi repræsentandæ destinata, nos percipere.

IACOBVS ANDREÆ.

Quemadmodum Philosophicâ regulâ abutitur Hypocrita noster: sic etiam Grammaticam regulam, malè ad verba Christi accommodat, vt ostendat, verba Christi, non secundum literam, sed figuratè intelligenda esse, videlicet, per Metonymiam, qua signo tribuatur nomen rei signatæ. Quasi verò Christus in Testamento suo, nos nomine duntaxat corporis sui pascere voluerit, & sanguinis sui. Nam secundum Opinatoris huius, & sociorum eius Compilatorum Cacodoxi concensus, opinionem, duo distribuerentur, videlicet, panis & vinum, & NOMEN DVNTAXAT *corporis & sanguinis* CHRISTI. *Quod cùm nimis frigidum esse intelligeret, addit: Analogicè* CORPVS CHRISTI *de pane prædicari, vt Relatorum ratio postulat.*

Refutatio Metonymiæ in verbis Testamenti Christi. In Refutat. pag. 18. 493.

Diximus autem suprà, cuiusmodi Relationem constituat Opinator, cum Cacodoxi Consensus Compilatoribus, quæ cùm in nullo genere Relatorum inueniatur, ipsi viderint, quomodo sua dogmata saluare velint.

Eucharistia in nullo genere Relatorum.

Deinde etsi quædam Analogia est, signi & rerum signatarum, SI INTER SE CONFERANTVR: *nequaquam tamen Christus in verbis sui Testamenti, docere, quid sit corpus & sanguis suus: sed promissionem suam de gratia, hoc tanquam sigillo obsignare voluit, videlicet, corpore & sanguine suo, quæ nobis per res externas exhibet, exhibere & communicare placuit.*

Analogia signi & rerum signatarum quando locum habeat.

Metonymia vim facit verbis Testamenti Christi.

Ex quo manifestum est, Opinatorem hac sua figura, Metonymia scilicet, VIM FACERE *verbis Testamenti Christi, quasi pani & vino in cœna Domini nihil aliud, quàm nomen corporis Christi accedat. Longè verò aliter de hoc Mysterio pia sensit antiquitas, quæ rem signatam adesse, nihil dubitauit. Idque in Mysterio, supra sensuum & rationis humanæ iudicium posito.* DVABVS ENIM REBVS *Eucharistiam constare, Orthodoxa antiquitas docuit, terrenâ & cœlesti. In Metonymia autem vna duntaxat res est, & tantùm nominum fit permutatio. Ideò in hac prædicatione, nullum locum habere potest. Sicut etiam Metaphora huc non quadrat, in qua etiam vna duntaxat res est, quæ propter similitudinem nouum nomen sortitur, sine alterius rei præsentia, à qua nomen sortitum est. Ideoque propter realem vnionem rerum, quæ in hoc Mysterio fit, sicut tota Orthodoxa vetustas sensit, nulla figura, siue Metaphora, siue Metonymia locum habere potest: omnem enim* SENSVM & RATIONEM *seu intellectum superat, quod sola fides intelligit, vt Patres loquuntur.*

Dilemma Grynæi.

Quantum verò trepidet conscientia Opinatoris, haud obscuris verbis ostendit, dum Metonymiam suam ad cœnam Domini accommodare conatur. Dilemmate enim putat se suam demonstrationem ita munire, vt nusquam vel oppugnari, vel expugnari possit. Nam idem, *inquit*, de seipso, HOC EST CORPVS CHRISTI, de corpore Christi, prædicari non potest. Disparata verò non de se inuicem tanquam species de indiuiduo, aut de specie genus, differentia, proprium, aut accidens prædicantur. Ergo necessariò figuratam, & per consequens Metonymicam locutionem, seu prædicationem esse.

Refutatio Dilemmatis Grynæi.

Non autem consistere hoc cornutum argumentum, ex eo patet, quòd tertius modus prædicationis monstrari possit, inter identicum

identicum & regularem. Etsi enim in verbis cœnæ, idem de seipso non prædicetur, videlicet corpus Christi, de corpore Christi, nec ratione subiecti panis, regularis sit prædicatio: nihilominus tamen vera, & realis est prædicatio, sed INVSITATA, *hoc est, Philosophis ignota, quia etiam res, hoc est, Eucharistiæ, illis inusitata, & ignota fuit. Sicut suprà ostensum est.*

Cur prædicatio Sacramentalis inusitata.

Quòd verò obijcere posset, prædicationes inusitatas tantùm ad prædicationes de persona Christi reijciendas esse. Respondeo, rectè hoc dici, sed addo, ad illas prædicationes etiam Sacramentales locutiones, seu prædicationes referendas esse, quæ de persona Christi loquuntur. Tolle enim personam Christi ex cœna Domini, & cœnâ Domini sustuliſti: quæ persona, & quæ de ipsa dicũtur, est illud admirandum Mysterium: sicut in carne manifestatum sic quoque in Mysterio, in pane cœnæ Domini distributum.

Prædicationes Sacramentales etiam ad personã Christi referuntur.

Procul ergo, procul inquam, à Mysterio Sacramentorum, Grammatica figura Metonymia remouenda & reijcienda est, quæ Sacramentum Eucharistiæ, in picturam inanem transformat, & illud prorsus euacuat. Siquidem nihil NISI NOMEN *corporis, & sanguinis Christi, in Eucharistia relinquit, cum doctrinâ seu prædicatione analogica, de qua hîc Hypocrita loquitur. Quæ violenta est verborum Christi, non interpretatio, sed deprauatio. Non enim dixit Christus: Accipite & manducate hunc panem, & credatis, nihil præter nomen corporis mecum hoc pane dare, sed interim sciatis, tàm certò vos, per fidem, rei cœlestis participes fieri, quàm certum est, vos terrena illa, & visibilia percipere. Nihil inquam horum habent verba Christi, sed simpliciter ait: Accipite, manducate: Hoc est corpus meum. Hîc nullius analogiæ fit mentio, neq; Christus dicit: Accipite, manducate, Hic panis habet nomen corporis mei, & per Analogiam docet vos aliquid de meo corpore: sed inquit,* HIC PANIS EST CORPVS MEVM. EST, EST *inquit, non Analogicè prædicatur de meo corpore.*

Metonymia ab Eucharistia procul remouenda.

Deinde Amphibologia etiam in phrasi vtitur, cùm ait: nos participes fieri rei cœlestis, per fidem, quod homo simplex Christianus accipere posset, pro illa participatione corporis Christi, quæ in verbis Testamenti Christi creditur, & non intelligitur. Hypocrita autem noster nequaquam de illa participatione loquitur, sed eâ duntaxat, qua homo credit, Christi corpus pro nobis traditum, & sanguinem eius pro peccatis nostris effusum. Vt edere & bibere sit duntaxat credere, non autem in Mysterio, corpus & sanguinem Christi, cum pane & vino accipere.

Ex quo constat, quàm sancta, imò quàm VANA *sit gloriatio Zuinglianorum, de fundamento opinionis ipsorum, quod in verbis Testamenti Christi repositũ se habere, falsò gloriantur: cùm luce meridiana clarius sit, eos à verbis Testamenti Christi apertè recedere, & illis alienam sententiam, per suas grammaticas figuras, & prædicationes figuratas, affingere, quæ conscientiæ, & animo piorum in tentationibus, neq; satisfacere, neq; consistere possunt, quod etiam mediocriter docti intelligunt.*

Optio data lectori in hac controuersia Sacramentaria.

Vnde quoq; pij & intelligentes, quibus Animarum suarum salus curæ est, facilè iudicare poterunt, cuinam parti se coniungere debeant: Illis ne, qui fundamentum opinionis suæ in figuris grammaticis, contra aperta verba Testamenti Christi collocant, contra totius vetustatis testimonia: An verò illis, qui simpliciter sine figura, & tropo, simplicissimis verbis Testamenti inhærent, neq; illa vel regulis dialecticis aut figuris grammaticis subijciunt, sed Mysterium simplicitate fidei admirantur, amplectũtur, & (vt maximè sensus & intellectus humanus reclament, quibus absurdum videtur) intellectũ suũ in obsequiũ Christi captiuũ ducunt. Hîc eligant omnes liberrimè. Neq; dubium est, quotquot spiritu Dei agũtur, salutẽ suã magis tutò in verbis Christi positã esse, quàm in figuris grammaticis, & somnijs humanis, quæ in agone vltimo, & corã tribunali Dei, consistere non possunt.

Tentatio docet verbum Dei præferre humanis cogitationibus.

Quod

Quod multorũ tristia exempla docent, qui cogitationibus philosophicis seducti, dum extra tentationem constituti sunt, eruditè sibi ipsis disputare visi sunt: sed ingruentibus fluctibus tentationum grauissimarum, IN QVIBVS VNVM & SOLVM DEI VERBVM CONSISTIT, *in desperationem ruunt, de quo paulò pòst plura.*

GRYNÆVS.

VII. De præsentia, modo percipiendi, & de instrumentis apprehendentibus, & applicantibus ea dona, quæ in sacra cœna exhibentur.

Septima Demonstratio.

Sicut se habent visibilia Sacramenta, ad corpus hominis cœnâ vtentis, & eius instrumenta physica: ita se habet & res Sacramenti, quę cœlestis & inuisibilis est, ad mentem, & eius organum. Colligere id licet, ex vnione Sacramentali, & Analogia signi & signati, quæ nulla esset, nisi illa proportio vera esset.

Atqui Sacramenta, manibus, & ori cœnâ vtentium, corporaliter percipienda, exhibentur, vt sensus & experientia testantur.

Ergo res Sacramenti, corpus, videlicet, & sanguis Christi, menti nostræ offeruntur, vt per fidem spiritualiter percipiantur.

IACOBVS ANDREÆ.

Refutatio septimæ Demonstrationis.

Si studium veritatis, & candor in illis hominibus Zuinglianis, & Caluinianis Doctoribus inesset, facilis quoq; & expedita ad piam & sanctam concordiam via esset. Nam septimam demonstrationem fatetur se sumere à præsentia, & modo percipiendi corpus Christi: In argumento verò ipso, ne verbum quidem vnum 1.

de præsentia loquitur, sed ambiguis verbis vtitur, rem Sacramenti, corpus videlicet & sanguinem Christi, menti nostræ offerri: quod pius & simplex homo intelligeret, quasi veram corporis, & sanguinis Christi præsentiam statueret. Nam ad eum modum, Ecclesiarum nostrarum eximia lumina, D. Lutherus & D. Brentius sæpè locuti sunt, & in hoc argumenti genere scripserunt. Non autem soli menti offerri, sed toti homini, quamuis sola mens intelligat, quid OS *in hoc Mysterio, præter panem accipiat, sicut suprà verbis Lutheri explicatum est. Nihil minus autem Opinatorem nostrum credere, sentire, aut facere, suprà demonstrauimus. Cùm eandem præsentiam corporis & sanguinis Christi, in Sacramentis veteris & noui Testamenti statuat, qua fides efficit, quando credimus, Christi corpus pro nobis in mortem traditum, & sanguinem eius pro peccatis nostris effusum esse, quod in veteri Testamento Patres non minùs, quàm nos in nouo Testamento, crediderunt.*

Deinde quod ad modum percipiendi attinet, ex verbis Testamenti Christi patet, cùm ait: Accipite, manducate, vbi etiã instrumenta apprehendentia exprimuntur, videlicet, OS. *Manducare enim hoc loco* NEQVAQVAM *significat credere, sed ore manducare, hoc ipsum, quod Christus dat, videlicet, panem, de quo dicit:* HOC EST CORPVS MEVM.

Nugę Grynæi de Analogia signi & signati.

Quod autem Opinator de Analogia signi & signati, & eorundem proportione scribit: non ex verbis Testamenti desumpta, nec eis consentanea sunt, sed in cerebro hominum nata, qui verba Testamenti Christi non in magno precio habent, nec eis inhærendum, SED ALIQVID ALIVD COGITANDVM *docent. Christus enim nusquam docuit, seorsim panem ore, & seorsim & separatim fide corpus suum sumere, sed veriq; vnicum instrumentum percipiendi, in hoc Mysterio destinauit, videlicet, os, os inquam. Quapropter hæc Opinatoris nostri vel Analogia, vel*

propor-

proportio, contra aperta verba Testamenti Christi, locum non habet, nec habere potest.

Quod autem rationis & sensuum iudicio, & experientiæ absurdum videtur, quid hoc ad rem? Nos ad verba Testamenti Christi alligati sumus, non ad somnia & ratiocinationes humanas de Analogia vel proportione, de quibus Christi verba nihil habent. Hìc nullius manducationis alterius meminit Christus, quàm QVÆ FIT ORE.

Mysterium Euch. iudicio sensuum & experientiæ absurdum.

Quod si verò Analogia vsq; adeò delectantur aduersarij, vt singulis sua applicent, longè commodiùs Lutherus eam explicuit, quàm hîc ab Opinatore factum est. Cùm duo sint in Sacramento, videlicet, res terrena, & cœlestis, quæ verbo Testamenti copulata sunt, Sacramenta ore, verbum verò fide & mente per auditum percipi. Sicut enim os neq; audit, neq; credit, sed manducat tantùm: sic mens, & fides, neq; manducat aut bibit. Mente ergo per fidem, cùm pij & fideles in verbum Testamenti Christi intenti sunt, quod promittit corpus & sanguinem Christi, & idem in Mysterio accipit os corporis, iuxta verba Testamenti: hæc Deo gratissima, & verbis institutionis Christi consentiens est Analogia & proportio.

Analogia Luth. de Sacramento & verbo promiss.

Et turpiter in eo errat Hypocrita, atq; ab orthodoxorum Patrum consensu recedit, quòd per Sacramenta hîc nihil aliud intelligant, quàm externa signa, quæ sunt duntaxat pars Sacramentorum. Ideoq; mirum non est, quòd per Analogiam introductam, separationem rei terrenæ & rei cœlestis doceat, de quo suprà satis dictum est.

Error Grynæi de Sacramento.

Et sibijpsi manifestè contrariatur, cùm suprà in Thesi 7. posuerit: Cœnam Domini esse efficax Sacramentum, nostræ cum Christo Iesu consociationis. Hîc verò per Sacramenta, duntaxat externa signa intelligat, quæ illam efficaciam præstare non possunt, EAQVE SOLVM *more accipi, contendit, quod cum verbis Testamenti Christi apertè pugnat.*

Grynæus sibijpsi contrarius.

Quam-

Quamuis igitur res Sacramenti, corpus videlicet, & sanguis Christi, menti nostræ offeruntur: inde tamen minimè sequitur, Finis Sacramentalis perceptionis corporis & sanguinis Christi. *quòd ore non accipiantur, in hoc mysterio. Nam hic finis est Sacramentalis illius exhibitionis, & perceptionis corporis & sanguinis Christi, in Mysterio, vt fidei manducatio, quæ apud pios continua & perpetua est, confirmetur, per quam ipsius Christi, & omnium beneficiorum eius, facti sunt participes.*

Sic quoque satis ostensum est, septimam Demonstrationem nostri Opinatoris nequaquam verbis Christi consentientem, sed ei contrariam esse.

GRYNÆVS.

Octaua Demonstratio. VIII. A Correlatiuis, verbo inquam promissionis & fide.

Id quod in Dei verbo, & Sacramentis, à Deo Patre nobis verè offertur, verè quoque, sed spiritualiter fide accipitur.

Atqui Christus ipse, in verbo promissionis, & Sacramentis, à Deo Patre nobis offertur, & exhibetur.

Quare idem verè, sed spiritualiter percipitur. Hæc autem perceptio metaphoricè vocatur manducatio carnis Christi. Ioan. 6. 54. 55. Ac illud est certissimum, illa demum verè percipi à nobis, quorum per fidem, spiritualiter simus participes. Loquimur autem de Mysterijs regni Christi, & de donis cœlestibus ac spiritualibus.

IACOBVS ANDREÆ.

Refutatio octauæ Demonstrationis. *Est & hæc quoq; nulla Demonstratio, sed aperta verborum Testamenti Christi, & sensus eorum deprauatio, quæ à correlatis, promissione Dei, & fide sumitur.*

Nam

Nam maior propositio simpliciter neganda est: quæ Deus in verbo ET SACRAMENTIS *offert, sola fide spiritualiter accipi. Etenim vt demus nunc aduersario, Sacramenta, solùm externa Symbola significare: tamen cùm dicitur, non solùm in verbo, sed* ETIAM IN SACRAMENTIS *Christum offerri, planè contrarium sequitur, videlicet, quòd non solùm per fidem in verbo, sed etiam ore* IN SACRAMENTIS *accipiatur, in quibus offertur, cùm inquit Christus, Sacramenta offerens: Accipite, manducate, videlicet, ore, hoc est corpus meum: Bibite, hic est sanguis meus. Sic non solùm in verbo per fidem, accipitur corpus Christi, sed etiam propter verbum, ore, in Sacramento oblatum, accipitur, quod verba Testamenti Christi apertè testantur. Idq; fieri potest, sine fide ab indignis conuiuis, ad iudicium, non ad vitam, quia Mysterium hoc profanant.*

In Sacramentis oblata, non sola fide percipiuntur.

Quòd autem dicit: hanc perceptionem, Metaphoricè manducationem carnis Christi vocari, & huc verba Christi Ioan. 6. accommodat: in eo, vel Caluino teste, vehementer errat. Nam Christus in verbo Testamenti sui, vocabulo manducationis nequaquam Metaphoricè vtitur, sed in sua propria significatione, ore edere significat, idq; de sancto pane Eucharistæ loquitur, de quo ait: Hoc est corpus meum, vt naturaliter edens panem, simul etiam percipiat corpus Christi, vbi nulla Metaphora locum habet, sed Mysterium est, quod videlicet in Mysterio, IN PANE, SVB PANE, CVM PANE *illo, communicans accipit, sicut pia & erudita vetustas locuta est, & Hypocrita noster negare non potest.*

2.

Interim verò minimè negamus, vocabulo manducationis, Christum Ioan. 6. Cap. Metaphoricè vti, pro credere. Ibi autem nequaquam loquitur de Sacramentali manducatione, seu perceptione corporis Christi, sed de spirituali illa, qua in Christum Saluatorem, & Redemptorem vnicum credimus.

Vocabulum (Manducationis) Ioh. 6. Cap. Metaphoricè vsurpatur.

4. *Ideoq; certissimum est, quòd corpus & sanguis Christi* VERE PERCIPIANTVR, *ab omnibus in cœna Domini vescentibus, tàm ab indignis, quàm à dignis: sed ad vitam duntaxat eos percipere, qui per fidem illorum sunt verè participes facti. Econtrà verò falsum est, quod contra aperta verba Testamenti Christi, hic Opinator asserit, eos duntaxat verè percipere, qui eorundem, per fidem antè participes facti sint.*

In summa, Hypocrita noster non potest, aut non vult discernere manducationem corporis Christi Sacramentalem, quæ fit ore: & spiritualem, quæ extra vsum cœnæ fit fide: Idq; etiam à suo præceptore Caluino non vult discere, qui eius STVDIA MELIVS CONFIRMARE POSSET. *Ideò ex suo errore, quo inuolutus tenetur, se expedire non potest.*

Metaphorica mãducatio quæ fit per solam fidem.

Nam sicut nunc sæpè dictum est, de manducatione carnis Christi, Ioan. 6. nulla controuersia est, quæ metaphoricè manducatio dicitur: & nihil aliud significat, quàm credere in Christum, quòd corpus eius sit pro nobis in mortem traditum, & sanguis eius pro peccatis nostris effusus. Quæ manducatio semper fit ad vitam, nulli hominum ad mortem, de qua passim Augustinus plurima prædicat. Neque fit, aut fieri potest ab infidelibus, sed per solam fidem, & duntaxat à fidelibus. Sed alia est manducatio carnis Christi in cœna Domini, Sacramentalis, de qua Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 11. Quæ manducatio non est Metaphorica, sed fit ore in Sacramento, vbi in Mysterio corpus Christi verè & realiter adest, & per Ministrum distribuitur, & Sacramentaliter manducatur, ad confirmationem manducationis spiritualiter per fidem iam antè factæ. Huius modum ignoramus, præterquam sicut in verbo Christi nobis præscriptus est, qui iussit ORE MANDVCARE, *& ait: Hoc est corpus meum. Hîc si possemus nos ipsos, sensus & rationem humanam, in diuinis rebus cæcam, captiuam ducere, & Christo laudem veri-*

Manducatio Sacramentalis.

tatis

tatis & omnipotentiæ tribuere, QVI POTEST FACERE SVPRA ID, QVOD NOS INTELLIGIMVS: *iam omnis scandalosa cessaret disputatio, & firma Deoq; grata pax in hoc articulo constituta esset. Id dum aduersarij nostri facere nolunt, de offendiculo dato, & interitu tot millium animarũ, quandoq; Deo sunt rationem reddituri durissimam, in quorum gratiam, nos ne ad pilum quidem à verbis Testamenti Christi, recedemus, neq; auditores nostros confirmare cessabimus, vt in hac simplicitate fidei suæ immoti consistant, neq; iudicium Christi in eo metuant, quòd eius verba, eorumq; simplicem sensum retinuerunt. Mysteria enim regni Christi, non cæco humani intellectus iudicio, sed sola fidei simplicitate comprehenduntur, quæ Deo quoq; gratissima est, Matth. 11. 1. Cor. 1. 2. Corinth. 11.*

Zvuingliani & Caluiniani obstant pię concordię.

GRYNÆVS.

IX. Quemadmodum vna eademque est electionis, vocationis, iustificationis, omnium saluandorum benedictio, à qua omnes reprobi alieni sunt: sic vnica est viuificationis illorum causa, à qua planè alieni sunt omnes infideles, etiamsi in sinu militantis Ecclesiæ versentur, & Sacramentis quotidiè vtantur. Nona Demonstratio.

Viuificationis autem saluandorum vnica causa est, esus viuificæ carnis Christi, Ioan. 6. 54. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Eius autem ratio traditur, sequenti versu 56. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.

Ex his euidentissimè colligimus, & manducationem carnis Christi, hausumque sanguinis eius, nobis cum sanctis Patribus communem esse, & infideles nequaquam Christi carnem edere, eiusque sanguinem bibere.

IACOBVS ANDREÆ.

Refutatio nonæ Demonstrationis. Fallacia æquiuocationis.

Ad hanc Demonstrationem respondeo: Fallaciam esse æquiuocationis, in vocabulo Manducationis carnis Christi: ideoq; etiam plus esse in conclusione, quàm est in præmissis.

Nam maior & minor propositio loquuntur de manducatione carnis Christi, de qua Ioannis sexto disseritur: quæ nihil aliud est, quàm VERE *in Christum credere, qui* VNICA *est causa electionis, vocationis, iustificationis, adeoq; eadem omnium saluandorum benedictio, à qua omnes reprobi alieni sunt. Etenim sine Christo, nemo electus, iustificatus, saluatus, aut viuificatus est. Quicunq; ergo in Christum non credit, alienus est ab hac benedictione.*

Sed quid hæc ad manducationem carnis Christi, quæ fit in Sacramento? quæ non solùm à fidelibus, sed etiam ab infidelibus fieri potest, idq; non solùm ad vitam, sed etiam ad iudicium & mortem. Vbi manducare NON SIGNIFICAT CREDERE, *sed* ORE EDERE.

Quomodo manducatio carnis Christi cum Patribus communis.

Quapropter, etsi manducatio carnis Christi, haustus q; sanguinis eius, nobis, cum sanctis Patribus communis fuit, de quo Ioan. 6. hoc est, eandem fidem in Christum venturum habuerunt, quam nos habemus in ipsum iam à Patre missum: tamen Sacramentalis manducatio illis nobiscum communis non fuit, qui in sacrificijs, & Sacramentis, vmbram duntaxat habuerunt corporis, & sanguinis Christi: nos autem iuxta expressa verba Testamenti Christi, corpus & substantiam in Mysterio præsens, quod illi non habuerunt. Hoc nunquam refutare poterit Hypocrita noster superbissimus, cum omnibus sui erroris socijs, vt maximè omnes ingenij vires coniunxerint. Neq; etiam orthodoxorum Patrum testimonijs se ornare poterunt, quos omnes contradicentes ipsorum errori habent, sicut in Refutatione Cacodoxi Consensus prolixè demonstratum est.

GRYNÆ-

GRYNÆVS.

X. A consideratione corporis ἐνεργητικῶς. Decima Demonstratio.

Si ideo corpus Christi non simpliciter, sed secundum quid, cibus animarum nostrarum est, quatenus videlicet pro nobis traditum est: & sanguis Christi potus est, QVATENVS pro nobis effusus est: tùm verò non mirum videri debet, quòd nobis & Patribus hunc cibum potumq; (sine quo nemo saluari potest) communem esse dicimus: negantes interim, eundem ab infidelibus percipi.

Vera sunt quæ antecedunt: vt ex his cœnæ Dominicæ verbis liquet: QVOD pro vobis traditur, aut frangitur. QVI pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Traditum enim est Christi corpus, & sanguis eius effusus est, propter fideles, tàm veteris, quàm noui Testamenti.

Verum igitur est & quod sequitur.

IACOBVS ANDREÆ.

Zuingliani hactenus potissimùm in tribus verbis Testamenti Christi, luserunt, videlicet (HOC) (EST) (CORPVS) MEVM. *Nam Carolstadius, non panem, sed assidens corpus Christi per Pronomen* (HOC) *demonstratum esse, contendit, & præsidium causæ suæ in hac interpretatione posuit. Zuinglius* (EST) *per* (SIGNIFICAT) *interpretatus est. Oecolampadius per* (CORPVS) *figuram corporis, intelligendam esse, disputauit. Nunc quartum quoque, & quintum vocabulum, relatiua* QVOD *&* QVI *inuadunt, & iisdem non minus, quàm superioribus tribus, alienum sensum affingunt, vt significent idem, quod* QVATENVS. *Sed quis nobis fidem faciet, hanc Relatiuorum istorum,* Refutatio decimę Demonstrationis.

Quod & qui per quatenus.

veram, & germanam sententiam esse? Vbi hîc Orthodoxorũ Patrum, piæ & eruditæ antiquitatis consensus? Quapropter minorem propositionem huius Demonstrationis vltimæ, CONSTANTER negamus, quam Hypocrita ex verbis Christi nequaquam confirmare potest. Christus enim inquit, QVOD pro vobis datur: QVI pro vobis effunditur, quibus relatiuis vocabulis, pro ratione naturalis, & propriæ suæ significationis, Christus explicare voluit, quid hoc sit, quod in Mysterio ad fidei confirmationem dare voluerit, videlicet, CORPVS suum verum, hoc ipsum videlicet corpus, QVOD in mortem traditum est, & non aliud corpus: Item: HVNC ipsum sanguinem, QVI pro peccatis nostris effusus est, & non alium. Et sic omnes Orthodoxi Patres intellexerunt. Neq; VNVM ex omnibus monstrare potest Hypocrita noster, qui hæc relatiua vocabula, QVOD & QVI aliter interpretatus sit.

Vis & germana significatio vocabulorũ Relatiuorum QVOD & QVI.

Desumpsit autem hæc Opinator noster, ex Orthodoxo, scilicet, Zuinglianorũ & Caluinianorũ Consensu, cuius authorẽ se esse, Iurista gloriatus est, in quo propemodum tot insunt mendacia & crimina falsi, quot testimonia, vel ex antiquorũ Patrũ, aut neotericorũ scriptis, ab eo citata sunt. Quæ cùm in Refut. Cacod. illius Consen. refutata sint, breuitatis causa eò lectorẽ remittimus.

In Orthod. Conf. Fol. 40. 105 114. 145.

Sic quoq; verum est, infideles excludi à communione beneficiorum mortis, & meritorũ Christi, quorum per solam fidem homines participes fieri possunt. Sed constanter negamus, eos propterea in cœna Domini Sacramentaliter corpus Christi non percipere: quia propter fideles, tàm veteris, quàm noui Testamenti, traditum, & sanguis eius effusus est.

Infideles excludi à communione beneficiorũ Christi.

Ioannes enim Euangelista testatur, quòd Christus non tantùm pro fidelibus, sed etiam pro totius Mundi peccatis propitiatio sit. Item Baptista ait: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi. Huius beneficij infideles ideo non fiunt participes, quia sua incredulitate repellunt, quod, vt dixi, sola fide nobis applicatur. Christus au-

Christus non tantum pro fidelibus mortuus.

1. Ioan. 1

Ioan. 1.

flus autem, cùm non modò propitiator & saluator, sed etiam iudex à Patre constitutus sit, cui Pater omne iudicium dedit: Idcó in fideles, hunc ipsum Christũ, non minùs præsentẽ habent, nec minus recipiunt in hoc mysterio, quàm pij & fideles: quoniã non partem duntaxat Sacramentorũ, sed integra Sacramenta accipiunt. Non autem saluatorem, sed iudicem, non ad salutem, sed ad iudicium. De quo cùm in Refutatione Cacodoxi Consensus, præsertim in duobus postremis capitibus copiosè actum, & vetustatis quoq; manifestissimis testimonijs, erroris Zvningliani & Caluiniani conuicti sint, eò denuò lectorem breuitatis causa remittimus.

Christus infidelium iudex à Deo constitutus.

Ioan. 5.

Infideles Christum quoque in Sacramento recipiunt.

*Et spero, pium lectorem, ex hac breui refutatione, facilè intelligere posse, vanas esse demonstrationes, futiles & inanes, adeoq; manifestè falsas Opinatoris nostri: quibus docere conatus est, Zvuinglianorum opinionem de cœna Domini, fundamento verborum Testamenti Christi niti, eiq; per omnia consentaneã esse: cuius contrarium ad oculũ demonstratũ est. Nullius.n. ferè verbi germanam sententiã in eo retinent, sed omnia & singula, à sua vera, & germana significatione, in alienam peruertunt: vt (*MANDVCARE*) non sit illis ore mandere, sed corde credere (*HOC*) non panem, sed assidens corpus demonstret: vocabulum (*EST*) idem sit, quod* SIGNIFICAT: CORPVS *idem, quod figura corporis,* MEVM, *nõ proprium naturale Christi corpus significet:* QVOD & QVI *pro* QVATENVS, *ponantur. Hæc cùm Hypocrita noster non ignoret, & Sacramentariorum scripta apertè demonstrent, non sine causa mirabitur pius lector,* QVA FRONTE *Opinator noster iactare ausus sit, suæ suorum sociorum opinionis, de cœna Domini fundamentum, verba Testamenti Christi esse: à quorum scripto, se recedere, in his ipsis suis Thesibus manifestè fatetur. Hæc si quis non potest, aut non vult videre, causam sui interitus in alium transferre non poterit. Et frustra plures admonitiones inst. tuentur, quibus in viam veritatis tales reducantur.*

Zvuingl. omnia verba Test Christi substantialia peruertunt.

GRYNÆ-

GRYNÆVS.

XXV.

1. I. Regula nobis vnica eſt fidei noſtræ, cuius arti-
2. culi hiſtorici ſunt, analogia. Prophetandum enim no-
3. bis eſt, pro proportione fidei, Rom. 12. 6.
4. II. Δαδαχὴ nobis eſt, tota erudita & Orthodoxa Eccleſię antiquitas. Prophetias enim pro nihilo non habemus: ſed omnia explorantes, quod bonum eſt,
5. tenemus. 1. Theſſ. 5. 20. 21. ſemper tamen ad Chriſti Ieſu inſtitutionem oculos mentis dirigimus, quia eius
6. authoritate, & teſtimonio ſubnixi, tutò acquieſcimus:
7. ac ſæpe repetimus, illa beati Martyris Cypriani verba: Non quid hic aut ille ante nos dixerit: ſed quid Chriſtus Ieſus, qui ante omnes eſt, dixerit: nobis attendendum eſt.
8. Ne verò eos non conſulere videamur, hæc ſelecta eorum teſtimonia ſubiungimus.

Athanaſius de verbis Chriſti: Qui dixerit verbum contra Filium hominis: quomodo fieri poſſet, vt totus Mundus ederet de carne ipſius, quæ non ſufficeret paucis hominibus? Ideo Dominus cum Apoſtolis ſuis de carnis ſuæ manducatione loquens, aſcenſionis ſuæ mentionem fecit: vt à corporali eos cogitatione abſtraheret, & vel inde diſcerent, & intelligerent, carnem, de qua locutus fuerat, cibum cœleſtem, & in alimoniam Spiritualem dari.

Chryſoſtomus Hom. 45. in Ioannem: carnale eſt dubitare: quomodo nobis poſsit Chriſtus carnem ſuam ad manducandum dare: cùm hoc ſit Myſticè, &
9. ſpiritualiter intelligendum,

Homi-

Homilia 60. ad populum Antiochenum: Quoniam ergò ille dixit: Hoc est corpus meum: nulla teneamur ambiguitate: sed credamus, oculis INTELLECTVS id perspiciamus & intueamur. Nihil.n. sensibile traditum est nobis à Christo: sed rebus sensibilibus, omnia quæ tradidit, insensibilia & intelligibilia sunt. Sic & in Baptismo per aquam, quę res sensibilis est, donum illud conceditur, & quod in ea conficitur, regeneratio scilicet & renouatio, intelligibile est.

Augustinus lib. 3. ad Max. cap. 22. In Sacramentis, 10.
non quid sint: sed quid ostendant, semper est attendendum: quia signa sunt rerum aliud existentia, aliud significantia: in quibus aliud videtur, & aliud intelligitur: Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem.

Augustinus sermone ad infantes: Quomodo panis est corpus eius, & calix, vel quod habet calix, sanguis eius? Ista, fratres, ideo Sacramenta dicuntur: quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualē. Corpus ergo Christi, si vis intelligere, audi Apostolū dicētē fidelibus: vos estis corpus Christi & mēbra. Augustinus Serm. 2. de verbis Apostoli: Tum autem erit vita vnicuiq; corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur.

III. Rationi autem humanę, quæ post regenera- 11.
tionē spiritualis facta est, & probat non errores Philosophiæ, sed vera principia, de Humani corporis proprijs essentialibus, quatenus verū testimoniū creaturis 12.
perhibet, fidem non derogamus. Reuera enim piū est,

quum & de sacro Christi Iesu corpore quæritur, testari, illud locale, & nostris simile esse, respectu substantię. Hebr. 2. 14. Item, corpora nostra in vita beata con-
13. formia fore glorioso ipsius corpori, Phil. 3. 21. Quanquam enim multas hyperphysicas dotes ex vnione personali cum τῷ λόγῳ, & gloria, quæ resurrectionem illius subsecuta est, ad carnem Christi redijsse, & nobis
14. inenarrabilem ipsius gloriam esse agnoscimus: tamen antiphysicis proprietatibus (qualis est immensitas, quæ nulli substantiæ corporeæ, & creatæ competit) in illam realiter effusis, eius naturam destructam esse, ne-
15. gamus. Perfectio enim carni Christi obtigit, veritas autem naturę eius non destructa est. Vt ergò Marcionis, qui corpus phantasticum Christo affinxit, Scyllam, & Seueri, qui ea lege atque omine, substantiam naturæ humanæ in Christo agnouit, vt tamē proprietates eius physicas absorptas esse contenderet, Charybdin: deniq; & Schvuenckfeldij, qui Christi carnem sic Deificatam contendit, vt creaturā esse neget, alio-
16. rumq; tetros errores euitemus: libenter repetimus è Symbolo sancti Athanasij hęc de Domino nostro Ie-
» su Christo verba: [Sed necessarium est ad ęternam sa-
» lutem, vt incarnationem quoq; Domini nostri Iesu
» Christi fideliter credat. Est ergò fides recta, vt crede-
» mus, & confiteamur, ꝙ Dominus noster Iesus Chri-
» stus Dei Filius, Deus & homo est. Deus est, ex substan-
» tia Patris, ante secula genitus: & homo ex substantia
» Matris, in seculo natus, perfectus Deus, & perfectus
» homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens,
» æqualis Patri secundum Deitatē, minor Patre secun-
» dum humanitatem. Qui licet Deus sit & homo, NON

DVO

DVO tamen, sed VNVS est Christus: vnus aût non conuersione Deitatis in carnẽ, sed assumptione humanitatis in Deum. VNVS omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Nam SICVT ANIMA RATIONALIS & CARO vnus est homo: Ita Deus & homo vnus est Christus.]

Ergò cum beato Athanasio dicimus aduersus Arianos, Filium Dei sine Matre, ex substantia Patris, ante secula genitum: aduersus Martionitas, humanũ corpus organicũ ipsum habere: aduersus Apollinaristas, animam rationalem eundem obtinere: aduersus Nestorianos, vnum esse Christum, nec diuidi eius personam: aduersus Eutychianos, nullã seu proprietatum, seu naturarum confusionem esse factam, quando vnione & fœdere personali, æternus & ὑφυπάρκτως ille Dei Sermo, & Filius naturam humanam sibi iunxit, inconfusè, inconuertibiliter, indiuulsè, inseparabiliter, vt habet confessio fidei, edita in Chalcedonensi Synodo, quam totam ex animo probamus. 17.

IACOBVS ANDREÆ.

Hæc Thesis plurima capita continet, ad quæ etiam omnia, & singula ordine respondebo.

Primùm quòd ait Aduersarius: Regulam vnicã veritatis nobis esse, fidei nostræ analogiam: *in eo nos consentientes habet: Quidquid enim fidei non analogum est, sed cum ea pugnat, falsum esse, & veritati contrarium minimè dubitamus: iuxta illud Apostoli: Prophetia sit analoga fidei.* 1. Regula veritatis Analogia fidei. Rom. 12.

Articulos quoque Symboli Apostolici, historicos & non allegoricos esse, certò statuimus. Quòd autem Zuinglianis nostris tribuunt, eos in explicatione horum Articulorum, Allegorias quærere, & germanam illorum sententiam peruertere: non modo calumnia, sed apertum mendacium est, præsertim 2. Articuli Symboli Apostolici historici non allegorici.

Zvuinglianorum mendacium.

cùm de ijs articulis intelligant, qui de ascensu Christi in cœlum, & sessione ad Dexteram loquuntur, quos intelligimus & interpretamur, sicut verba simplicissima, in sua propria & nativa significatione sonant: sicut in Refutatione Cacodoxi Consensus copiosè explicatum est. Econtrà verò demonstratum est, quòd Zvuingliani, & Caluiniani, à germana sententia horum Articulorum recedentes, ijsdem sua figmenta assuant, & contra genuinum sensum, & Orthodoxorum Patrum explicationem ex scriptura desumptã, falsò ad suum errorẽ confirmandum torqueant. Nam apertè fatentur, se de corpore Christi non aliter cogitare posse, quàm ratio corporis iubet. Quasi corpus duntaxat sit, & non Dei corpus, & Articuli Symboli Apostolici, corpori Christi nihil supra naturam corporum humanorum tribuant, cuius longè alia ratio est, & proprietates aliæ, quàm corporis duntaxat, sicut paulò pòst suo loco explicabimus.

Hinc adeo fit, vt qui articuli Symboli Apostolici de Christo, secundum humanitatẽ, loquuntur, perindè eos accipiant, ac si Christus ψιλὸς ἄνθρωπος, homo duntaxat, & non cũ Deo vna persona esset, quẽ omni maiestate exuunt, quæ diuinitatis propria est, ipsis Nestorianis longè deteriores. Sicut paulò pòst docebimus.

3. Quòd autem non δαδάχος ipsis sit erudita & Orthodoxa Ecclesiæ antiquitas, non modò explicatione sententiarũ, & testimoniorũ allegatorũ, apertè demonstrabimus: sed in Refut. Orthodoxi, scilicet, Consensus, copiosè, & ipsorum apertis verbis ostensum est.

4. Zvuingl. Prophetiarum contemptores.

Quapropter si Prophetias tanti facerent, quanti sua somnia æstimant, in quib. se à spiritu institutos gloriantur, de quo non meminit Zvuinglius, ATER AN ALBVS fuerit, illud Apostoli sibi facilè persuaderi paterẽtur: Spiritus Prophetarũ Prophetis subiecti sunt: vnde tandem & illud certò sequeretur, quando omnia probata, & ad analogiã fidei, & regulã verbi Dei examinata fuerint, quod bonum, hoc est, verbo Dei consentaneũ est, tenerent.

Inpri-

Inprimis verò, si eius perpetuò meminissent, quod hîc gloriatur se facere Hypocrita noster, videlicet, VT SEMPER AD IESV CHRISTI INSTITVTIONEM OCVLOS MENTIS DIRIGERENT: *salua omnia, & iampridem hæc infœlix, & scandalorũ plena controuersia, dirempta & sopita esset, quoniam hæc sola, nos, de hoc Mysterio, solidè instruit, quod in eius pia celebratione credendum, & faciendum nobis sit, ne contra voluntatem Testatoris Filij Dei, in hoc Testamento, peccemus, aut aliter credamus, vel faciamus, quàm ipse expressis, & perspicuis, minimeq; ambiguis, aut obscuris verbis, testatus est.*

Ad verba institutionis Christi perpetuò in hac controuersia respiciendum.

6.

Ideoq; & hoc rectè ab aduersario nostro hîc dicitur: QVOD EIVS AVTHORITATE ET TESTIMONIO SVBNIXI, TVTO ACQVIESCAMVS. *Quisquis enim his verbis firma fide inhæret, & de eorum veritate nihil dubitat: is non humana authoritate, aut falso testimonio seduci potest, sed δαδοῦχον habet ipsum Christum, qui veritas & vita est, neq; mentiri aut fallere potest. Ideoq; TVTO IN HAC AVTHORITATE acquiescit. Qui verò à simplicissimis, disertis, perspicuis, & apertis verbis institutionis, tantillum recedit, & se ad humanam glossam conuertit, quod Zuinglianos, & Sacramentarios in omnibus, & singulis substantialibus verbis Testamenti Christi facere, paulò antè demonstraui: is nunquam in æternum TVTO in illa glossa acquiescere potest, sed seipsum & alios, ad perpetuam dubitationem, & tandem ad desperationem præcipitabit, quod plurima tristissima exempla docent.*

In SOLIVS Christi authoritate, & testimonio, tutò acquiescit conscientia fidelis hominis.

7.

Quapropter etiam Cypriani sententia hîc rectè allegatur: Non quod hîc aut ille ante nos dixerit, sed quid Christus Iesus, qui ante omnes est, dixerit, nobis attendendum esse. Id Lutherum fecisse, & SOLIVS CHRISTI & INSTITVTIONIS EIVS AVTHORITATE, *contra Papistas, & Zuinglianos pugnasse, præclara ipsius monimenta, & polemica scripta testantur,*

Cypriani sententia pia, solum Christũ audiendum esse.

Lutherus solius Christi & verborũ eius authoritate nixus est.

stantur, qui ne ad pilum à verbis INSTITVTIONIS, *& simplici & germana eorum sententia recessit, quod ipse Christus cum suis angelis, & omnibus verè credentibus, in nouissimo die testabitur.*

Zvuingliani & Caluiniani, in quo precio & honore verba Testamenti Christi habeant.

Zvuingliani verò & Caluiniani, sicut ipsorum Cacodoxus Consensus testatur, in tanta authoritate & precio, scilicet, verba Testamenti Christi habent, vt impio, ac impudenti ore, aduersus nostros, qui oculos mentis ad institutionis Christi verba dirigunt, scribere non vereantur: Clamant, inquiunt, aduersarij nostri ad rauim vsq;, verba cœnæ Dominicæ esse clara, diserta, perspicua, & rotunda, & quæ propriè, sine omni interpretatione, vt litera sonat, intelligi debeãt. SED ALIAM FVISSE *Euangelistarum, & Apostolorum* SENTENTIAM, *ex eo apparet, quòd in eorum recitatione, seu descriptione,* NON TAM CVRIOSI *fuerint, vt ijsdem literis & syllabis, vel etiam* VOCABVLIS *sibi instandum putârint, quod omnino facturi erant,* SI LITERA NVDA VRGERI, AC PROPRIVS EIVS SENSVS, *absq; omni tropo, retineri deberet. Item, Sacramenta* NON Ex IPSIS VERBIS, *sed verba secundum peculiarem, & proprium loquendi morem intelligi debent. Hæc Orthodoxi, scilicet, ipsorum Consensus verba, si quis cum Opinatoris nostri verbis conferat, intelliget, quantum verbis* CHRISTI *tribuant, & quàm præclarè inter se in errore communi consentiant.*

In præfatione Orthodoxi Consensus 5. & 6.

Fol. 150.

Zvuing & Cal. sua doctrina nunquã possunt conscientiam hominis trãquillam reddere.

Quapropter coram Deo, & Ecclesia eius in terris intrepidè affirmamus: impossibile esse, vt conscientia Zvuinglianorum, & Caluinianorum, vnquam tranquilla, & pacata, adeoq; sine acerbo morsu esse possit, quoties verba Testamenti Christi inspiciant, à quibus eos recedere, & humana duntaxat gloss â, non textu verbi Dei niti, manifestum est. Sunt enim hæc verba Christi fudes in oculis Zvuinglianorum, & Caluinianorum, ideo

ALIVD

ALIVD QVIPPIAM *cogitandum, & non literæ insistendum esse, impiè & scelerate monent.*

Sed videamus testimonia, quæ ipse appellat selecta, orthodoxorum Patrum, veteris Ecclesiæ, quibus Zvuinglianam opinionem & explicationem verborum Testamenti Christi impiam, confirmare conatur. 8. Testimonia orthodoxorum Patrum de germana sententia verborum Testamenti Christi.

Recitat autem saltem trium Doctorum veteris Ecclesiæ sententias: Athanasij, Chrysostomi, & Augustini: quæ, tantum abest, vt ipsius errori patrocinentur, quin apertè eidem contradicant.

Nam quod ad Athanasij sententiam attinet, quid quæso aliud volunt ipsius verba, quàm quòd caro Christi non carnaliter comedatur in hoc Mysterio, sicut Capernaitæ verba Christi carnaliter accipiebant? Ideoq; quoties de hoc Mysterio cogitamus, ab omni corporali cogitatione, animos abstrahendos esse docet, quoniam cibus cœlestis, & alimonia spiritualis est, quæ non corporali, carnali, physica ratione, sicut alia caro, vel adest, vel manducatur: sed vt Patres Orthodoxi loquuntur, supernaturaliter, cœlesti, & diuino modo, fieri dicitur. Sicut in Refutatione Cacodoxi Consensus, demonstratum & explicatum est. 9. Athanasius. Pag. 70.

Chrysostomi sententia hîc allegata, non in 45. sed 46. Homilia legitur. Quàm verò non suffragetur errori Opinatoris nostri, adeoq; omnium Zvuinglianorum, integra verba eius recitabimus, quæ sic sonant: Spiritus, inquit Christus, est, qui viuificat: « Caro non prodest quidquam. Hoc est: secundum Spiritum « verba mea audienda sunt. Qui secundum carnem audit, nihil « lucratur, nihil vtilitatis accipit. Carnale est dubitare, quo- « modo de cœlo descendit, & Ioseph filium arbitrari, & quomo- « do possit nobis carnem suam dare ad manducandum. Hæc in- « quã omnia carnalia, quæ mysticè & spiritualiter intelligẽda sunt. « Et quomodo potuerunt intelligere, quid esset, carnẽ manducare? « Chrysostomus. NB.

Expecta-

„ *Expectare igitur eos oportuit, non discedere, interrogare, non de-*
„ *sperare. Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.*
Verba Christi quomodo Spiritus esse dicantur.
„ *Spiritus, hoc est* SPIRITVALIA, *non carnalia, nullam natu-*
„ *ralem consequentiam habentia, sed* OMNI HAC TERRENA
„ NECESSITATE, *& huius vitæ legibus libera. Est & alius*
„ *sensus. Sicut in hoc loco Spiritus, pro spiritualibus posuit: ita cùm*
Caro quid significet in verbis Christi.
„ *carnem dicit, non pro carnalibus, sed pro carnaliter audire eos si-*
„ *gnificans, qui semper carnalia desiderabãt, cùm spiritualia deside-*
NB.
„ *rari oporteat. Nam si carnaliter ea quis acciperet, nihil sanè lu-*
Auscultа Grynæe.
„ *craretur. Quid igitur? caro non prodest quidquam?* NON DE
IPSA CARNE DICIT, ABSIT, *sed de his, qui carnaliter illa accipiunt, quæ dicuntur. Quid autem est carnaliter intelligere? simpliciter vt res dicuntur: neq; aliud quippiam excogitare. Non enim ita iudicanda sunt, quæ videntur, sed mysteria omnia interioribus oculis considerանda, hoc est, spiritualiter. Qui non manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, non habet vitam in semetipso. Quomodo nihil prodest caro, sine qua nemo potest viuere? Vide, quòd ea particula, caro non prodest quidquam,* NON DE IPSA CARNE, *sed de carnali auditione dictum est.*

His verbis Chrysostomus disertè explicat, quid per vocabula, spiritualiter, & mystice, intelligat, quæ opponit carnali auditioni, & carnalibus cogitationibus, de carne Christi, & eius Capernaitica manducatione. Inprimis verò hoc diligenter notandum, quòd ait: Verba Christi: Caro non prodest quidquam, nullo modo de carne Christi intelligenda, quæ tamen contra carnis Christi præsentiam, & manducationem, in Eucharistia, perpetuò vrserunt Zuingliani. Absit, vt de carne Christi intelligamus, inquit Chrysostomus, non de ipsa carne, sed de carnali auditione intelligebant. Et sæpè in Refutatione Cacodoxi Consensus,

quomodo

quomodo vocabulo (SPIRITVALITER) *ludant Zuingliani & Caluiniani, & qua significatione Ecclesiastici scriptores, in explicatione Mysterij cœnæ Domini eo vsi sint, dictum & explicatum est: videlicet, non de manducatione illa, quæ nihil aliud sit, quàm credere, corpus pro nobis traditum esse, sed de modo spirituali, & supernaturali præsentiæ & manducationis, quæ ore fit in huius Mysterij vsu. Quod eò magis elucet ex sequenti Chrysostomi testimonio, mutilatè ab Opinatore nostro producto, quod integrum adscribemus, vt omnes videant, ex diametro cum Zuingliano-rum errore pugnare. [Credamus, inquit,* VBIQVE DEO, *nec repugnemus ei,* ETIAMSI SENSVI ET RATIONI NOSTRÆ ABSVRDVM ESSE VIDEATVR, *quod dicit, superet &* SENSVM *& rationem nostram, quæso, quod in omnibus, & præcipuè in Mysterijs faciamus, non illa, quæ ante nos iacent,* SOLVMMODO *inspicientes,* SED VERBA *quoq; eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non possumus.* SENSVS VERO NOSTER DECEPTV FACILIMVS EST. *Illa falsa esse non possunt: hic sæpius atq; sæpius fallitur. Quoniam ergò ille dixit: Hoc est corpus meum:* NVLLA TENEAMVR AMBIGVITATE, SED CREDAMVS, *& oculis intelligentiæ perspiciamus,* NIHIL *enim* SENSIBILE *nobis Christus tradidit, sed res quidem sensibiles, omnes autem intelligibiles. Itidem & in Baptismate, per rem, nempe sensibilem aquam, donum confertur, intelligibile verò quod perficitur, regeneratio & renouatio. Si.n. incorporeus esses, nuda & incorporea tibi dedisset ipsa dona: sed quoniam anima corpori conserta est,* IN SENSIBILIBVS *intelligibilia tibi præbet. Quòd nunc dicunt: vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta. Ecce* EVM *vides,* IPSVM *tangis,* IPSVM MANDVCAS: *& tu quidem vestimẽta videre cupis?* IPSE *verò tibi cõcedit,* NON TANTVM VIDERE, *verùm & manducare, &* TANGERE, ET INTRA TE SVSCIPERE. *Igitur accedat nemo cum nausea, nemo resolutus:*

Vocabulo (SPIRITVALITER) quomodo vsi sint Patres.
Pag. 131. 135. 138. 151. 236. 287. 425. 521. 664.

Homil. 60. ad populum Antiochenum.

„ lutus: omnes accensi, omnes feruentes, & excitati. Et paulò pòst:
„ Nec enim satis fuit homo fieri, colaphis cedi, verùm ET SE-
Auscultа Grynæc. „ METIPSVM NOBIS COMMISCET, ET NON FIDE
„ TANTVM (quod Opinator noster diligenter notet) verùm ET
„ IPSA RE NOS suum corpus efficit. Et paulò pòst: Quis pa-
„ stor oues proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres
„ multæ sunt, quæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutrici-
„ bus. Hoc autem ipse non est passus, SED IPSE NOS PRO-
„ PRIO SANGVINE PASCIT, ET PER OMNIA NOS
„ SIBI COAGMENTAT. Et paulò pòst: Non ne videtis, quan-
„ ta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu la-
„ bia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque AD
„ HANC MENSAM, & vber spiritualis poculi: quin imò cum
„ longè maiori trahamus, tanquam infantes lactanei, spiritus gra-
„ tiam, & vnus sit dolor nobis, HAC ESCA PRIVARI, NON
NB. „ SVNT HVMANÆ VIRTVTIS opera proposita. Qui tunc ipse
„ fecit in illa cœna, IDEM ea nunc quoq; facit: nos ministrorum te-
„ nemus locum, qui verò sanctificat ea, ET IMMVTAT, IPSE
„ EST.

Quomodo, quæstio incredulitatis. Sic in Ioan. Homil. 45. diligenter monet, & piè, ne quæramus, QVOMODO id fiat. Quando enim subit quæstio (inquit)
„ QVOMODO aliquid fiat, simul subit incredulitas. Quare di-
„ cendum, ait: NECESSARIO, QVAM ADMIRANDA my-
„ steria, & cur data, & quæ sit illorum vtilitas. Et paulò pòst:
„ Cùm enim amorem suum in nos indicare vellet: PER CORPVS
„ SVVM se nobis commiscuit, & IN VNVM nobiscum redegit, vt
„ corpus cum capite vniretur. Et paulò pòst: Hic Mysticus san-
„ guis, Dæmones procul pellit. DÆMONES enim CVM DOMI-
Auscultа Grynæc. „ NICVM SANGVINEM IN NOBIS VIDENT, in fugam
„ vertuntur. Quod si eius figura tantam habuit vim in templo He-
„ bræorum, in media Ægypto liminibus aspersus: longè magis VE-
„ RITAS. SI VMBRAM ita horruit mors, quantoperè quæso

iam

iam formidabit VERITATEM? *Hactenus Chrysostomi verba.*

Quæ si quis cum doctrina, & explicatione verborum cœnæ Domini conferat, quam Hypocrita noster cum suis Zvuinglianis propugnare conatur: reipsa deprehendet, δὶς διὰ πασῶν Chrysostomum eis contradicere, eosq; manifesti erroris, & impietatis apertè accusare, & damnare.

Si enim Metonymia in verbis cœnæ Domini locum habet, in qua Nomen pro Nomine ponitur, de qua Opinator noster cum suis Zvuinglianis loquitur: quid opus erat magnifica illa prædicatione Mysterij, quod sensum & rationem superet? Nam sensus & ratio, Metonymiam vel Metaphoram capere, & intelligere possunt. Quæ figuræ, à Grammaticis, pueris in Scholis traduntur & explicantur. Metonymia Zvuingliana non superat sensum & rationē humanam.

Quapropter denuò repeto, quod suprà aliquoties monui, Opinatorem nostrum operæprecium facturum fuisse, si STVDIA SVA, *etiam in Grammatica, melius* CONFIRMASSET. *Sic enim videre potuisset, quàm friuolis rationibus, & argumentis, Zvuinglius, erroris huius in Heluetia dux, vsus esset: Qui in Grammatica non rectè institutus, Mysteria Dei, eius ignorantia depravare ausus est. Cùm enim Christus inquit: Ego sum pastor, ostium, via: Item, Paulus: Christus est petra, Agnus, metaphoricas locutiones esse, nemo ignorat. Minimè autem Zvuinglianam admittunt interpretationem: Ego significo ostium, pastorem, viam.* CHRISTVS *significat petram, vel ostium, pastorem, viam, agnum Dei. Nihil quidquam horum volunt, vel admittunt iam commemoratæ locutiones metaphoricæ, sed res exprimunt, hoc ipsum existentes, quod metaphoricæ appellantur esse. Sic Christus* EST *verus, & realis pastor:* EST *verum ostium:* EST VIA: EST *agnus Dei:* EST PETRA: EST VITIS *vera, sed spiritualis, & si quæ his sunt similia.* Zvuinglius cum suo Grynæo in Grammatica non benè institutus.

EST pro SIGNIFICAT, non potest explicari in metaphoricis locutionibus de Christo.

Cur metaphora in verbis cœnæ Domini non habeat locum.

Hæ metaphoricæ locutiones autem, locum non habent in Mysterio sacræ cœnæ, vbi non vna res est, sicut in iam commemoratis locutionibus: SED DVÆ RES *sunt, videlicet, panis & vinum, terrena: corpus & sanguis Christi, cœlestis: ex quibus Eucharistia constituitur.*

Synechdochen quomodo Lutherus Zvuinglianis propoluerit.

Sin verò vsq; adeò figuratis locutionibus delectantur Zvuingliani: Lutherus illis Synechdochen largitus est, quæ non tollat rem significatam, sicut Metonymia, sed contineatur cum signo externo. Et sic quoq; lis dirempta esset. Quod cùm Zvuinglianis etiam non placuisset, sine omni figura verba Testamenti Christi, sicut sonant, accipienda esse, CONSTANTER *vsq; ad extremum vitæ spiritum docuit, & aliter sentientes magna πλεο-ονεξίᾳ Spiritus, apertè damnauit.*

10. Augustinus.

Sic quoq; Augustinus sententiâ contra Maximinum Arrianum hîc recitatâ, nihil prorsus ad errorem Zvuinglianorum confirmandum facit. Vbi D. Augustinus ne vnum quidem verbum de Eucharistia disputat: Sed vocabulo Sacramenti lar-

Tom. 6. lib. 3. cap. 22.

» *gissimè vtitur, pro eo, quod aliquid aliud significet. Explicat enim*
» *locum 1. Ioan. 5. Tres sunt testes (inquit) Spiritus, aqua, &*
» *sanguis, & tres sunt vnum. Ne fortè dicas Spiritum, Aquam,*
» *& sanguinem esse diuersas substantias, & tamen dictum esse,*
» *tres vnum sunt. Propter hoc admonui ne fallaris. Hæc enim*
» *Sacramenta sunt, in quibus, non quid sint, sed quid ostendant,*
» *semper attendendum, quoniam signa sunt rerum, aliud exi-*
» *stentia, aliud significantia. Si ergo illa, quæ his significantur,*
» *intelligantur, ipsa inueniuntur, vnius esse substantiæ: tan-*
» *quam si dicamus, petra & aqua vnum sunt, volentes per*
» *petram significare Christum, per aquam Spiritum sanctum. Quis*
» *dubitat petram & aquam diuersas esse naturas? Sed quia Chri-*
» *stus & Spiritus sanctus vnius sunt, & eiusdem naturæ: ideo*
» *cùm dicitur, petra & aqua vnum sunt, ex ea parte rectè*

accipi-

accipi potest, quia istæ duæ res, quarum est diuersa natura, aliarum quoque signa sunt rerum, quarum una est natura. Tria itaq; nouimus de corpore Domini exijsse, cùm penderet in ligno. Primùm spiritum, vnde scriptum est: Et inclinato capite tradidit spiritum. Deinde, quando latus eius lancea perforatum est, sanguinem & aquam. Quæ tria, si per seipsa intueamur, diuersas habent, singula quaq; substantias, ac per hoc non sunt vnum. Si verò ea, quæ his significata sunt, velimus inquirere, non absurdè occurrit Trinitas, quæ vnus, solus, verus, summus Deus est, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Vt nomine spiritus accipiamus Deum Patrem. Nomine autem sanguinis, Filium, quia Verbum caro factum est. Et nomine aquæ, Spiritum sanctum. Cùm enim de aqua loqueretur Iesus, quam daturus erat sitientibus, ait Euangelista: hoc autem dixit de spiritu, quem acceputuri erant credentes in eum. Hactenus Augustini verba.

In quibus pius lector videt, Augustinum significatione vocabuli Sacramenti largissimè vti, pro omni re, quæ aliquid ratione suæ substantiæ, & naturæ aliud sit, & aliud significet: adeo quidē, vt sanguis Christi hoc loco Augustino sit signum, & Christus sit signatum: id quomodo ad cœnam Domini applicetur, Hypocrita viderit, in qua sanguis Christi nunquam est signum, sed res signata. Ex eo autem minimè sequitur: verba Testamenti Christi, per Metonymiam explicanda esse, vt maximè verum sit, in Sacramentis aliud esse signa, proprietate suæ naturæ, & aliud res signatas.

Multò verò minus altera sententia Augustini, erroremillum confirmat, quam ex sermone ad infantes produxit Opinator. Augustinus in sermone ad infantes.
In quo Augustinus differit, quomodo panis sit corpus Christi, & calix, vel quod continetur in calice, sanguis eius? Ista, inquit, fratres, ideo Sacramēta dicuntur, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur,

telligitur, fructum habet spiritualem. Quid quæso hîc scribit Augustinus, quod vel nostræ doctrinæ repugnet, aut Opinatoris errorẽ confirmet? Apertè enim dicit: in Sacramento aliud videri, aliud intelligi: quod videtur, habere speciem corporalem, videlicet panis & vinum: quod intelligitur, habere fructum spiritualem, videlicet, corpus & sanguis Christi. Sed num hîc affirmat, per Metonymiam, Panem corpus Christi dici? Item, corpus Christi non adesse? nihil minus. Ac ne de sententia Augustini quisquam dubitet, quid velit, cùm inquit: aliud intelligi: seipsum explicat, sic scribens: hoc est, quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus. Sacrificũ Ecclesiæ duobus modis confici, DVOBVS CONSTARE, visibili Elementorũ specie, & inuisibili D. N. Iesu Christi carne & sanguine. Item, conficitur sacrificium Ecclesiæ duobus, Sacramento, & re Sacramenti, id est, corpore Christi. Est igitur Sacramentum, & res Sacramenti, id est, corpus Christi. Item caro eius, quam formâ panis OPERTAM IN Sacramento accipimus: & sanguis eius, quem SVB vini specie & sapore potamus.

Cap. Hoc est, de con. Di. 2.

Caro Christi forma panis in SACRAMENTO OPERTA.

Non igitur mens Augustini est, in cœna Domini, panẽ solùm, & vinum per Ministrum in Eucharistia dispensari, & corpus & sanguinem Christi intelligi, hoc est, pane & vino significari, cuius meritum sibi communicans per fidem applicet: sed quòd IN Sacramento corpus Christi formâ panis opertum accipiatur, & sanguis eius SVB vini specie potetur.

Deprauatio Zuingliana verborum Augustini.

Quod verò additur: corpus ergò Christi si vis intelligere: audi Apostolũ dicentẽ fidelibus: vos estis corpus Christi, & membra. Nota est ὁμωνυμία seu æquiuocatio vocabuli corporis Christi, quod aliâs corpus Christi propriũ, aliâs Ecclesiã eius significat. Quando igitur in posteriore significatione sumitur, nequaquã ad verba Testamenti referri aut intelligi potest, cùm dicitur: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Nam Ecclesia Christi non est pro nobis tradita, sed significat ipsum

Vocabulum corpus Christi ὁμώνυμον.

corpus

corpus Christi, pro corpore Ecclesiæ traditum. Quæ duo, cùm Opinator confundat, malè vetustatis Testimonia, ad stabiliendum errorem suum, torquere, & accomodare deprehenditur.

Idem confirmat quoq; tertia Augustini sententia ex Sermone 2. de verbis Apostoli allegata: Tunc autem erit vita vnicuiq; « corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiter sumi- « tur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur. Quæ verba non « possunt per Metonymian explicari, videlicet quòd panis duntaxat nomen corporis Christi habeat. Nam panis neq; potest spiritualiter in veritate manducari: sed duntaxat oraliter, neque etiam vitam dare: sed corpus Christi, cui vtrumq; competit, & rectè tribuitur: Ideoq; expressè dicit Augustinus: Corpus & sanguis CHRISTI *erit tunc vita vnicuiq;, non solùm in Sacramento visibiliter, hoc est, cum visibili, vel* IN *visibili signo sumitur, quod etiam ab indignis fieri potest: Sed in ipsa veritate spiritualiter, hoc est, vera fide manducatur, non inquit: si Sacram. visibiliter sumitur: sed quod* IN SACARMENTO *sumitur. Illud aũt dicit esse corpus Christi, quod visibiliter sumi dicitur, propter visibile signũ:* IN, SVB, *vel* CVM QVO, *sumitur. Hæc, & non alia est verborã Augustini sententia, neq; aliã inde elicere potest, si maximè omnes ingenij vires & neruos intendat Hypocrita. Ex quib. omnibus cõstat, quòd aduersarij nostri Opinatoris, & omniũ Zuingl. opinio de cœna Dñi, non modo fundamento verborũ Christi destituatur, sed nulla etiã vetustatis Orthod. Patrum testimonia habeat: qui omnes lõgè aliter de hoc Mysterio senserũt, & scripserunt, sicut in Refutat. Cacod. Consensus demonstratũ est.*

II. Phanthasma Grynæi de ratione regenerata.

Cæterùm, quòd Opinator Mysteria hæc rationi humanæ nõ simpliciter subijcit, videlicet, nõ ante regenerationem, sed post regenerationem, quando ratio facta est spiritualis, quæ minimè errores probet Philosophorum, sed vera principia de humani corporis essentialibus proprijs, quatenus verũ testimoniũ creaturis perhibet, & fidem non derogare: haud obscurè, astutè, tamen, opinionis

Zuin-

Zvuinglianæ fundamentum, in iudicio rationis humanæ collocat. Qua in parte etiam non modò non errare, sed rem ipsam acu tetigisse sibi videtur.

Vnicum ac præcipuũ fundamentũ opinionis Zvuing. ratio humana.

Vnicum enim hoc, rationis humanæ etiam regeneratæ iudicium, basis, & fundamentum est ipsorum falsæ de corpore Christi, & cœna Domini opinionis, quo solo nituntur, ad quod deinceps scripturæ, & Patrum testimonia ab ipsis malè accommodantur.

Argum. Zvuingl. fundamentale.

Sic enim ratio humana argumentatur: Ratio hominis regenerata verum dicit: corpus Christi esse locale, & nostris simile, ratione substantiæ. Nostra autem corpora non possunt esse simul & semel in diuersis & pluribus locis: Ergo & corpus Christi: & per consequens, non potest realiter adesse simul & semel in tot millibus locorum, quando cœna Domini celebratur.

Quæstio igitur nunc est, an hæc argumentatio sit rationis regeneratæ, vel non regeneratæ? Opinator noster pro indubitato ponit, rationi regeneratæ tribuendum esse, quod nos constanter negamus. Regenerata enim humana ratio, corpus Christi non modò in essentialibus suis proprietatibus considerat, quod etiam ratio non regenerata facere potest, sed verbum Dei intuetur, quod corpori Christi conditiones & prærogatiuas tribuit, supra proprietates naturales, propter vnionem personalem cum Verbo. Vnde corpus Christi habet, quod aliâs, non modò omnibus corporibus, verùm etiam spiritualibus creaturis, negatum est.

12. „ *Quapropter etsi reuera pium est (quod dicit Opinator) testari, corpus Christi locale, & nostris corporibus ratione substantiæ simile esse. Item, corpora nostra in vita beata conformia fore*
„ *glorioso ipsius corpori, sicut Apostolus testatur: ex eo tamen*
„ *minimè sequitur, per omnia conformia esse, & nullas prærogatiuas præ alijs corporibus habere. Nostra enim corpora cum Filio Dei personaliter non sunt vnita, neq; ad Dexteram virtutis*

Fallacia à dicto secundum quid.

& ma-

& maiestatis exaltata, quæ extra omnem locum & tempus est, quam maiestatem credimus, ratione autem humana perscrutari non possumus.

Cùm igitur tàm certum sit, quàm quod certissimũ, corpus Christi, quatenus cum Deo vnum personale, ad Dextram Dei exaltatũ extra tẽpus & locum collocatũ, cui hac ratione omnipræsentia tribuitur: non absoluta, qua proprietate suæ naturæ vbiq; diffundatur seu extendatur, sed in Deo Verbo, cui personaliter vnitum est, quod omnibus præsentissimum, & longè præsentius est, quàm nos nobis inuicem, imò quisque sibi ipsi esse potest. Hinc patet, minimè REGENERATÆ, *sed cæcæ in rebus diuinis, & non regeneratæ rationis humanæ, argumentationẽ & collectionem esse, cuius vitiũ ratio etiam non regenerata facilè videre, & iudicare potest. Est enim fallacia manifesta à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, quod in simili exemplo videre est, cùm dicitur: Corpus mensæ, quod lignum est, non videt: Oculus est verum corpus: Ergo oculus non videt. Vbi consequentia negatur. Etsi enim mensa est corpus ratione suarum dimensionum simile oculo, quia habet suam longitudinem, latitudinem & profunditatem, adeoq; omnia quantitatis continuæ propria: tamen quia non est animata, sicut oculus, ideo oculus propria habet, propter vnionem cum anima, quæ mensa non habet.*

Corp. Christi quatenus ad Dextram Dei, extra tempus & locum est.

Ratio non regenerata vitia argumẽtationis rationis Zvuinglianorum corrigere potest.

Simile de Mensa & oculo.

Sic corpus Christi, quatenus corpus animatum, corporibus nostris, ratione substantiæ conforme & simile est. Sed quia Deificatum, vt vetustas Orthodoxa locuta est, hoc est, cum Deo personaliter vnitum, & ad omnipotentem Dexteram virtutis & Maiestatis Dei exaltatum est: ideo tribuuntur illi, quæ nostris corporibus tribui non possunt. Etsi enim est eiusdem naturæ, tamen non est eiusdem gloriæ & Maiestatis. Inde verba Testamenti eius de ipsius corpore verificantur: HOC EST CORPVS MEVM, *quæ de corpore Petri & Pauli, si Petrus aut Paulus*

Applicatio similitudinis. Corpus Christi Deificatum.

ea locutus esset, aliter intelligenda fuissent, quàm sonant: quorum corpora in hanc sedem Maiestatis minimè exaltata sunt. Christus autem cùm suum corpus in hanc Maiestatem realiter exaltauerit, quæ extra omnem locum & tempus est: ideo etiam præstare potest, quod in verbis Testamenti sui promisit, & hæc Sacramentalis eius præsentia, ad illius Maiestatis omnipræsentiã se habet, vt CONTRACTVM *propter* ABSOLVTVM, *sicut Scapulensis piè & sanctè scripsit. Verbis ergo Christi simpliciter fides habenda, neq; propter essentiales proprietates corporis, quatenus corpus, alius sensus his ipsius verbis affingendus est.*

13. Calumnia de immensitate naturæ humanæ.

Manifesta autem Calumnia est, quod Opinator de antiphysicis proprietatibus narrat (qualis est immensitas, quæ nulli substantiæ corporeæ & incorporeæ competit) in naturam humanam realiter effusis, quibus natura humana destruitur. Nemo enim dicit: humanam Christi naturam (vel propter vnionem cum Verbo, vel propter gloriam nobis inenarrabilem, quæ post resurrectionem ipsius secuta est, & ad carnem Christi rediit) IN SE, *&* PER SE, IMMENSAM *factam, & immensitatem illam, realiter in eam ita effusam, atq; hoc modo naturam humanam destructam, atq; in Diuinitatem conuersam esse. Sed hæc sunt Zuinglianorum malitiosa figmenta, qui eiusmodi effusionem proprietatum diuinarum, in humanam naturam factam, nostros docere fingunt, qua ipsa humanitas Christi per se, & in se immensa, infinita facta, Diuinitati exæquata sit. Quod turpissimum mandacium, cùm toties à nostris confutatum sit, indignus est Hypocrita, cum quo plura verba de eo faciamus.*

Effusionem proprietatum Diuinitatis, qualē nostris affingant Zuingliani.

Maiestas immensa est, ad quam caro Christi exaltata est.

Aliud verò est, cùm dicitur: Humanam Naturam in se permanentem, & essentiales proprietates suas retinentem, in Diuinam Maiestatem exaltatam esse: quæ Maiestas immensa & infinita, adeoque Deitatis propria est: quæ immensa & infinitæ Maiestas, omniq; eius plenitudo in Christo habitat corporaliter,

ter, hoc est, sicut Orthodoxi Patres interpretantur, in suo proprio corpore, tanquam in proprio templo.

Cùm enim Diuinitas non sit corpus, ideo etiam plenitudo eius in ipsa Diuinitate corporaliter habitare non potest. Habitat ergo in corpore, hoc est, in assumpta natura humana, qua ratione, hæc ipsa assumpta natura, exaltata est supra omnes creaturas, iam inde statim à tempore conceptionis, cùm in forma Dei esset homo Iesus Christus assumptus, nec rapinam arbitratus, esse æqualem Deo, quam maiestatem tamen non ostentauit, sicut facere potuisset, sed vt Apostolus ait: ἑαυτὸν ἐκένωσε, *seipsum exinaniuit, seu* EVACVAVIT, *formam serui suscipiens, donec redemptionis opere, passione, & resurrectione, completo, hanc formam serui prorsus deposuit, quem Deus Christum & Dominum fecit, sicut Petrus loquitur, cui omnia subiecta sunt, sicut Psal. 8. docet, non modò homines, sed omnes etiam creaturæ.*

Plenitudo Diuinitatis non in Diuinitate, sed in humanitate habitare dicitur corporaliter.

Actor. 2.

Psalm. 8.

Erroris autem vnica causa, & origo, est cæcitas mentis nostræ, quòd NON VIDEMVS, *quomodo ei omnia subiecta sunt, sed quoniam loci imaginatio semper nobis ob oculos versatur, & altius ascendere ratione humana non valemus: ideoq; cum Thoma non credimus, quàm diu intellectum nostrum non captiuum ducimus in obsequium Christi, sed fingimus regiam sedem in cœlo, vbi Christus ad Dexteram Patris collocatus, autoritatem & potestatem habeat, super omnes creaturas, sicut Imperator Romanus in sede imperatoria Maiestatis collocatus, non tamen in toto Imperio præsens est: sed autoritate tamen imperat omnibus, qui ipsius imperio subiecti sunt. Cùm nihil minus sit in sede Maiestatis Dei propriæ, quæ neq; locus est, neque in loco, sed supra, infra, extra, & intra omnia loca, quod fides capit, sensus non comprehendit: neq; ratio humana (siue regenerata, siue non regenerata) intelligit.*

Imaginatio loci etiam quando de Deo cogitamus.

Carnales cogitationes de regia sede in cœlo.

Si igitur saltem rationem ac considerationem loci obijcere

Quomodo nos, in

cõtrouersia de præsentia Christi extra, & in S cœna, expedire queamus.

possemus, & quomodo Deus sine loco & tempore omnia præsentia habeat, & rebus omnibus præsens sit, diligenter cogitaremus, quod Stapulensis piè & sanctè monet: tum facilè nos ipsos ex hoc errore expediremus, cùm propter Diuinitatem, & humanæ naturæ cum ea vnionem personalem, in Filio Dei factam, hæc omnia carni Christi tribuantur.

14. Malitia Grynæi, pro hyperphysicis antiphysica ponendo.

Plurimùm etiam in eo errat Opinator noster, cum erroris sui socijs, quòd hyperphysicas dotes, de quibus nostri Theologi loquuntur, antiphysicas appellat, quasi contradictoriæ in natura humana opponerentur: videlicet: cùm dicitur: corpus Christi, quatenus corpus est, & permanet, proprietate suæ naturæ, finitum, circumscriptum, & simul ad infinitã Maiestatem euectum, quæ Deitatis propria est, cuius etiam realiter, per vnionem & exaltationem illam, particeps factum est. Hæc infinitæ Maiestatis communicatio, non est antiphysica, quia neq; contrariè, neq; contradictoriè, naturæ humanæ opponitur: sed est hyperphysica, qua humana natura non destruitur, sed summè perficitur, & exaltatur. Neq; enim ei ita tribuitur, quòd IN SE, & PER SE, à Diuinitate seorsum, tanquam in subiecto habeat, qua ratione contradictio locum haberet, si videlicet, humana Christi natura, PER SE, & IN SE, simul finita & infinita, simul circũscripta & incircũscripta esse diceretur, qua ratione manifesta cõtra dictio implicaretur. Sed diuerso respectu de humana natura Christi prædicãtur. Circũscriptio.n. & finitas, respectu naturæ & essentiæ, infinitas verò, & incircumscriptio, respectu vnionis cum Verbo, in quo omnia infinita sunt, quæ ratione plenitudinis Deitatis in Christo habitantis corporaliter, naturæ humanæ cõmunicata, & phrasi S. S. in eã effusa dicuntur. Cùm ei spiritus nõ datus sit ad Mensuram: Et Christus oleo lætitiæ, præ consortibus suis, vnctus sit. Hæc vt ilia rumpãtur Hypocritæ nostro, nunquam vlla specie veri, negare potest, nisi simul Dexterã Dei Patris infinitam esse, impiè negare velit.

Ioan. 3.

Psalm. 45.

Et

Et hæc perfectio naturæ humanæ est, quæ carni Christi cõtigit, per quam veritas naturæ nequaquam destructa, sed summè exaltata est, in qua exaltatione summa, omnium fidelium consolatio reposita est, quòd sciunt, carnem suam, in hac sede collocatam esse, in qua præsentissima omnibus pijs, ipsorum ærumnas videt, his afficitur, eos protegit, & gubernat.

Summa perfectio naturæ humanæ in Christo.

Consolatio piorũ in exaltatione carnis Christi reposita.

Quod si verò nos audire recusat Opinator, vt qui ipsius opinione, affectibus, & perturbationibus quibusdam indulgere videamur: vel saltem virum doctissimum, cuius nomen in omnibus scholis celebre est, Iacobum Stapulensem audire non dedignetur, cuius verba hîc adscribere libuit, vt ea examinare, & apud se diligenter expendere possit. Quæ sic sonant: Quod si ratio quærat à fide, (quæ nimirum Magistra est, cùm de diuinis agitur) cùm Filius sit in Patre, & in omnibus sanctis, qui sunt in cœlo & in terra: AN ETIAM CORPORALITER SIT? *Quid ni?* SED ABSQVE MODO, NISI DICAS, DIVINO ET INCOMPREHENSIBILI MODO, *qui non tàm modus, quàm* NON MODVS *dici debet. Et mirum,* SI ID FIDES NON DICERET. *Cùm videat simul in India, Aphrica & Europa, locis innumeris, Filium* DEI IN CORPORE *Sacramentaliter esse. Quòd autem dicitur Sacramentaliter,* MODVS *est. Quomodo ergo, si subtrahat modum?* NON VIDEAT VBIQVE *Filium Dei* CORPORALITER, *sed sine modo,* AC SVPRA OMNEM MODVM ESSE. VBICVNQVE *enim Christus est, incarnatus est. Incarnatus autem,* SINE CORPORE NON EST. *Et magna est fides, cognoscere, Christum corporaliter esse, vbi Sacramentaliter est. Sed maior est, cognoscere,* EVM ABSOLVTE VBIQVE CORPORALITER ESSE. *Nam hoc est sine modo cognoscere, illud cum modo. Fides autem quæ est* ABSQVE MODO, *maior est, quàm quæ modum habet.* ET ILLVD

" Iacob. Stapulensis in 14. Cap. Ioannis Euangelistæ verba.

" Filius Dei VBIQVE CORPORALITER.

" Christus ABSOLVTE VBIQVE corporaliter est.

Præsentia Sacramentalis ab omnipræsentia pendet.

„ LVD QVODAMMODO PROPTER, HOC EST, VT
„ CONTRACTVM PROPTER ABSOLVTVM. *Item.*

Idem in 1. Cor. 12. Cap.

„ *Neq; Europa, neq; Asia, neq; Aphrica capax est plenitudinis corporis Christi*, CORPORIS *inquam* CHRISTI, *cui corpora nostra spirituali modo vniuntur, & vt sic dicam, concorporantur.* QVOD COELVM IMPLET ET TERRAM. *Est enim* VBICVNQVE VERBVM EST. *Nam Verbum caro factũ est.* QVIA VERBVM NVSQVAM SINE CARNE EST: *neq; caro illa sine Verbo*, VIDE, NE CARNALIS IMAGINATIO VOS HIC LVDAT, LOCA MVLTIPLICANS, SPACIA DISTENDENS. *Neq; hîc locorũ multiplicatio, neq; spaciorũ distentio intelligitur:* SED PLENITVDO SINE LOCO, SVPRA LOCVM OMNEM, INFRA LOCVM OMNEM, EXTRA ET INTRA OMNEM, SINE SPACIO, SVPRA ET INFRA OMNE SPACIVM, EXTRA ET INTRA OMNE SPACIVM. *Et corpus Christi* SVPER SPIRITVALI ILLO MODO, *qui sine modo est*, NVLLI COMPARABILE, NVLLI PROPORTIONABILE EST: *sed corporali modo, quo in terris visus est, & comparabile, & proportionabile est. Hoc, ex assumpta infirmitate, & modum & comparationem proportionemq; admittens, illud autem, ex assumente virtute*, MODVM, COMPARATIONEM OMNEM, *omnemq; proportionem* DIFFVGIENS. ID RATIO IMAGINATIONI IVNCTA, NON ATTINGIT: NEQVE RATIONALITER IN SEIPSA MANENS. VERVM ABSVRDA VTRINQVE LOQVITVR, AFFINGIT. *Sed extra se euadens*, SVPER RATIONALITER SVPERIORI MENTI INFVSA VIRTVTE, VBI NEQVE LOCA, NEQVE SPACIA, NEQVE NVMERVS, NEQVE MVLTITVDO, NEQVE TEMPVS COGITANTVR, VERA SENTIT, ET VERA LOQVITVR. LOQVITVR *quidem, vt ineloquibilia,*

Admonitio necessaria de imaginatione loci.

NB.

Auscultа Grynæe.

Corpus Christi, quomodo corporibus nostris comparabile, & nõ comparabile.

Cæcitas humanæ rationis.

lia, incõparabilia, improportionabilia dici queant, & quodammodo ineloquibiliter. Hactenus Iacobi Staplensis verba. ‹‹

Hæc non obiter legat Opinator noster, sed nonnihil vel saltem ad tempus duntaxat breue, deposito superbo & hypocritico Spiritu, diligenter, & accuratè expendat: AN SINT RATIONIS HVMANÆ REGENERATÆ, *vel non regeneratæ Staplensis verba de corpore Christi, Deo Verbo vnito. Inprimis verò diligenter attendat, quod de* IMAGINATIONE *carnali monet. Videte (inquit) ne* CARNALIS IMAGINATIO VOS HIC LVDAT, LOCA MVLTIPLICANS, SPACIA DISTENDENS. *Hac imaginatione carnali sublata, quæ hominis non regenerati est propria, & quam deponere non potest, donec regeneratur: quid absurditatis habet, hæc pia, sancta, & verissima Staplensis de corpore Christi sententia? Quam* MENS IMAGINATIONI IVNCTA NON *intelligit, sed supernaturaliter superiori menti virtute infusa firmissimè credit, & ne tantillum quidem dubitat.* Apostrophe ad Grynæum.

15.

Hac pia, vera, & irrefutabili doctrina de corpore Christi posita, omnes errores & hæreses, facilè refutantur, quæ de persona Christi, & duabus eius naturis inciderunt. Primùm Marcionis figmentũ, de corpore Christi phantastico, ingenua confessione cõfutatur, cùm dicitur, quòd Christus habuerit verum corpus, nostris corporibus comparabile, & proportionabile, si substantiã & veritatẽ eius spectes. Deinceps quoq; Seueri hæresis, quòd proprietates essentiales corporis, nequaquã absorptas esse dicimus. Cum Maiestatis diuinæ cõmunicatio, naturam non absorpserit, sed summè perfecerit, & glorificauerit. Sic delirium quoq; Schvuenckfeldij confutatur, qui falsa & noua definitione, seu descriptione vocabuli creaturæ excogitata, carnem Christi creaturam esse negauit. Nã creatura Schvuenckfeldio significat, quod seruitutis legibus est subiectum: Christum autem etiam secundum carnem constitutum esse Dominum supra omnia, testari scripturam, ideoq; creaturam esse Refutatio breuis hæreseon de persona & duabus naturis in Christo.

1.

Marcionis hæresis confutatio.

2.

Seueri erroris confutatio.

3.

Schvuenckfeldij delirij confutatio.

Creaturæ noua definitio.

esse carnem eius, sine contumelia, & diminutione gloriæ Christi, dici non posse, falsò existimauit. Nos verò creaturam appellamus, quicquid non est ab æterno, sed initium habet in tempore. Cùm ergo Schuenckfeldius concedat, carnem Christi initium habere in tempore, & non fuisse ab æterno, interim tamen negauit, esse creaturam: Elleboro illi magis opus erat, ad cerebrum purgandum, quàm operosa Refutatione erroris huius, quæ omnibus manifesta est.

Cur hæreses has Grynæus recitauerit.

Recitat autem has hæreses Hypocrita noster, hanc potissimùm ob causam, vt tacitè nos illorum accuset, & coram Ecclesia reos faciat, quòd Christo secundum carnem infinitam illam Maiestatem, quæ Deitatis propria est, communicatam esse, doceamus. Quasi verò cum illa communicatione Maiestatis, naturæ humanæ veritas consistere non possit, quod falsum esse, Stapulensis verbis, non à ratione humana, non regenerata profectis, sed à Spiritu sancto dictatis, demonstrauimus. Quæ si Hypocrita noster diligenter expendere, & rationem suam ab imaginatione de spacijs locorum reuocare posset, iam iam à suo pernicioso errore liberatus esset. Præterea, diligenter quoq; cogitare debet Opinator noster, D. Paulum non cum infidelibus & cæcis gentibus nondum regeneratis, sed cum regeneratis loqui, quando ad Corinthios sanctos scribit: Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed diuinitus valida, & ad subuersionem munitionum, λογισμοὺς καθαιροῦντες, dum ratiocinationes euertimus, omnemq; sublimitatem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus OMNEM COGITATIONEM, *ad obediendum Christo.*

Admonitio Pauli contra cæcum iudicium rationis humanæ.

Nam etsi homines fideles verè sunt regenerati per Spiritum sanctum: primitias tamen eius duntaxat acceperunt, & regeneratio duntaxat inchoata est. Ideoq; perpetua manet pugna carnis & spiritus, etiam in ipsis sanctis. Cùm igitur λογισμοὶ & ratiocinationes

tiocinationes in rebus diuinis instituuntur, etiam regenerati in errores delabi possunt, si non perpetuò verbum Dei intuentes, quod ratio humana non intelligit, sed fides apprehendit, ad rationis humanæ argumenta conuertuntur, & his insistentes, à verbo Dei, propter absurda recedunt, quæ in sensus & rationem humanam incurrunt. Quod primis nostris parentibus accidisse, cum summa ipsorum & nostra miseria experti sumus, quorum intellectus regeneratione ante lapsum non indigebat. Idem multis doctis viris euenisse, & euenire, tristissima exempla plurimorum, quæ commemorare possem, testantur, qui suæ rationi nimium fidunt, & in tetros errores incidunt, quòd νόημα suum in obsequium Christi captiuum ducere nolunt, decepti à maligno Spiritu, quasi ipsorum λογισμοὶ rationis regeneratæ, & à Spiritu sancto inspiratæ cogitationes essent. Quod etiam Opinatori nostro accidisse, non dubium est.

Quomodo ratio humana ad errores à veritate abducat.

Desinat ergò nobis rationem humanam regeneratam obijcere, quæ à verbis apertis Testamenti Christi recedens, ex Philosophicis principijs, de proprijs essentialibus corporis ad corpus Christi, contra eius Maiestatem, & veritatem verborum ipsius, RATIOCINATVR. *Hæc enim minimè regeneratæ, sed* NON REGENERATÆ *rationis humanæ ratiocinatio est. Nam regenerata ratio, omissis Philosophicis principijs, per fidem verbum Testamenti Christi aspicit, & statim se illi captiuam subijcit, seq; credere, non autem intelligere, ingenuè fatetur, quod Christus loquitur, & λογισμοῖς rationis humanæ, Philosophicis duntaxat principijs nitentibus, sese acriter opponit. Qui λογισμοὶ, vt maximè videantur sublimes, ex intima Philosophia petiti: ratio tamen regenerata, verbum Dei intuens, eos euertit, & illam sublimem persuasionem sapientiæ, in infernum vsq; præcipitat, quæ aduersus cognitionem Dei se extollit, quæ in verbo & per verbum reuelata est, & sola fide apprehenditur.*

Ratio sc scripto verborum Testamenti Christi opponens, non est regenerata.

16. S. Athanasij.

Non solùm autem magna alacritate animi S. Athanasij, de Domino nostro Iesu Christo, verba in Symbolo ipsius de persona, & duabus naturis in Christo, posita amplectimur, sed in his quoq; contra omnes aduersarios nostros gloriamur. Inprimis verò probatur Similitudo animæ & corporis. *similitudo animæ & corporis, quæ etsi per omnia non respondet huic mysterio, vix tamen alia magis accommodata æst, qua non Athanasius solùm, sed alij quoq; orthodoxi scriptores veteres Ecclesiastici sunt vsi: Eâq; omnes iam commemoratæ hæreses refutantur. Nam propter vnionem corporis cum anima, &* Propria animati corporis non abolent corpus. *acquisita propria corporis animati, quibus ab inanimato corpore differt, corpus non desinit esse corpus, neq; in substantiam animæ, aut phantasma Marcioniticum aliquod conuertitur, sed permanet corpus. Neq; per vnionem cum anima, errore Eutychiano & Seueriano, absorbentur corporis, quatenus corpus, proprietates essentiales, sed easdem retinens, alijs sublimioribus superinduitur:* Applicatio similitudinis ad humanam Christi naturam. *Sic assumpta quoq; humanitas, per vnionem deificata, & exaltata in sedem Maiestatis Dei propriam, non modò substantiam, sed etiam proprietates naturæ humanæ essentiales retinet, neq; in diuinitatem mutatur, aut proprietates absorbentur, sed insuper diuina hac Maiestate per vnionem exaltatur, & glorificatur.*

Assumptio humanitatis in Deum. „ *Vnus, inquit Athanasius, non conuersione Deitatis in carnem,* „ *sed assumptione humanitatis,* IN DEVM. *Quæ assumptio, non est nuda vnio, sine communicatione eorum, quæ Deitatis propria sunt, sicut Zuingliani & Caluiniani falsò opinantur.*

17.

Quæ igitur in fine contra Arrianos, Martionitas, Eutychianos, & Apollinaristas asserit, apud nos certa & indubitata sunt. Sed aduersus Nestorianos, quòd ait: se credere & statuere, Grynæus Nestorianus. *vnum esse Christum, nec diuidi eius personam, tàm verum est, quàm verè id de se Nestorius affirmauit. Nam ipse quoq;* Nestorius ORE vnam singularem personam in Christo confessus est. *Nestorius* ORE VNAM SINGVLAREM PERSONAM *confessus est, sicut ipsius Epistolæ verba expressè testantur, & à Synodo*

nodo Ephesina iniuriam sibi factam conquestus est, quæ illi tribuat, quòd duos Christos faciat, & personam eius diuidat in duas. Quod tamen illum fecisse, conuictus est à Synodo, dum pertinaciter negaret communicationem Idiomatum realem, videlicet, humanitatis, tanquam Deo indignas, vt nasci ex muliere, crucifigi, &c. Quamuis enim dixit: in Christo vnam singularem personam, & Filium Mariæ, Filium Dei esse: tamen fateri noluit, Mariam esse matrem Dei: Deum ex muliere natum: Deum crucifixum esse. Noli, inquit, gloriari Iudæe, hominem, non Deum crucifixisti. Ego, inquit, Deum bimestrem, & trimestrem, nunquam dicam. Mariam χριστότοκον, sed non θεοτόκον dicere voluit. Ex hac confessione Nestorij, Cyrillus, & Synodus Ephesina colligebant bonâ consequentiâ, Nestorium duos constituere Christos: alterum hominem, qui ex Maria natus, & crucifixus, & cuius mater Maria sit: alterum Deum, qui neq; ex muliere natus, neq; crucifixus sit.

Nestorius quomodo personam diuiserit in Christo.

Hæresis Nestoriana est communicatio Idiomatum realis.

Nestorio autem longè deteriores sunt Zuingliani, & Caluiniani in Disputatione de communicatione Idiomatum, qui impio corde, & blasphemo ore pertinaciter contendunt, humanam naturam in Christo, omnipotentiæ Dei neq; capacem, neq; participem esse, sed habere MEDIAM POTENTIAM, *quæ minor sit potentia Dei, & maior quàm angelorum & beatorum hominum potentia & gloria: contra expressa sacræ Scripturæ, & illustria testimonia: In Christo, inquit Apostolus, habitat* OMNIS PLENITVDO *Deitatis* CORPORALITER: *hoc est, sicut orthodoxi Patres vnanimiter exponunt,* IN CARNE, IN CORPORE, IN *humanitate assumpta, tanquam in proprio templo.*

Qualem potentiã Christo homini tribuãt Caluiniani.

Coloss. 2.

Quidquid igitur ore fateatur Hypocrita noster, cum socijs suis Zuinglianis & Caluinianis, de vnitate personæ Christi cõtra Nestorium, nugæ sunt: quamdiu realem communicationẽ Idiomatum diuinitatis, in persona Christi negant: quod hactenus

Vnitatem personæ in Christo Zuingliani non credũt.

pertinaciter fecerunt, & hanc communicationẽ, tanquam Eutychianam naturarum & proprietatũ confusionem, condemnârunt.

18.

Zvuingliani Chalcedonenſis Synodi Confeſsionem non tenent.

Ideoq; etiam impoſsibile eſt, vt vel credant, Confeſsionem Chalcedonenſis Synodi, quòd Filius Dei indiuulsè, & inſeperabiliter ſibi humanitatem iunxerit. Negatio enim communicationis proprietatum realis, manifeſta eſt perſonæ diuiſio, & naturarum ſeparatio, ſicut Synodus Epheſina rectè contra Neſtorium concluſit. Quæ, vt dixi, propemodum in Neſtorio tolerabilior fuit, quàm nunc eſt in Zvuinglianis & Caluinianis. Neſtorius enim arbitratus eſt ſe tueri honorem Dei, ſi ab eo remoueat, quæ Deo indigna iudicabat eſſe. Qualia ſunt, naſci ex muliere, pati, crucifigi, bimeſtrem & trimeſtrẽ eſſe. Quæ abſurditas, hodie quoque Iudæos in errore retinet, quò minus credere poſsint, Ieſum Nazarenum Mariæ Filium, ESSE DEVM. *Econtrà, communicationẽ Idiomatum diuinitatis cõcedebat, videlicet carnem Chriſti eſſe viuificam, quam etiam in cœna Domini diſpenſari nihil dubitabat, cui vicißim σαρκοφαγία & ἀνθρωποφαγία obiecta fuit, niſi communicationem Idiomatum conceſſerit, vbi certamen non fuit otioſum de verbis, & inanis λογομαχία, ſed de rebus, & ſeria πραγματομαχία.*

Error Neſtorij tolerabilior quàm Zvuinglianorum.

Certamen Neſtorianum non fuit λογομαχία.

Caluiniani & Zvuingliani, Neſtoriani.

Zvuingliani verò & Caluiniani, ex profeſſo, contra cõmunicationem Idiomatum diuinitatis, pertinaciter pugnant, quòd diuinitatis propria, aſſumptæ naturæ humanæ, nullo modo realiter communicari poſsint. Quòd hæc communicatio, quã phyſicam appellant, ſit Eutychiana confuſio naturarum & proprietatum. Ideoq; communicationem Idiomatũ, eſſe dantaxat phraſin, & modum loquendi, contendunt, & permutationem nominum. Qua ratione, perſonã Chriſti cum Neſtorio manifeſtè ſeparant, & Chriſtũ iuxta humanitatẽ, à dextera omnipotenti virtutis & Maieſtatis Dei, quod in ipſis eſt, deponunt: qui tamen ſe ab illis deponi non patietur: ſed propediem hanc diuinitatis propriam communicatam Maieſtatem, illis ad iudicium declarabit.

Communicatio Idiomatum quid Zvuinglianis ſignificet.

Zvuingliani Chriſtum à dextera Dei nõ deponent.

Et

Et hæc quidem hactenus de fundamentis opinionis Zuinglianorum & Caluinianorum, quàm friuola & nullius momenti sint. Et confido pio ac Christiano lectori me disertè demonstrasse, quòd verbis Testamenti Christi manifestè repugnet, nec Orthodoxæ vetustatis testimonia habeat: sed ijsdem apertissimè oppugnetur, quæ adeius confirmationem Opinator produxit, sicut paulò antè ostendimus.

Nunc quoque videamus, quid de sententiæ & doctrinæ nostræ fundamentis sentiat & scribat, & quomodo ea euertere conetur.

GRYNÆVS.

XXVI.

Eorum verò, qui à Consensu Orthodoxo Ecclesiæ Dei, hac in parte discedunt, & nobis contradicunt, principia, duûm generum sunt, quando alijs quidem suam opinionem vtcunque tueri: alijs verò, veram nostram sententiam confutare, infœliciter satagunt. 1.

Principia illorum confirmantia, inquam, hæc sunt: 2.

I. Scriptum in verbis cœnę Dominicę, quod si quis sequatur, Papistica potiùs transsubstantiatio, quàm Cardinalis Cameracensis nugamentum, videlicet, consubstantiatio, confirmabitur.

II. Carnis Christi commentitia multis in locis 3.
præsentia, ignota toti Orthodoxæ antiquitati (vt plæ- 4.
ræque Ecclesiæ orbis Christiani testantur) & reuera 5.
ex Eutychianismo ortum ducens.

III. Opinio quæ fingit: Ideo carnem Christi vbiq;, 6.
ac proinde in cœna corporaliter præstò adesse, quia illa sedet ad Dexteram Dei.

IIII. Cresphygeton falsum, & seipsum euertens, 7.

de carnis Chriſti pluribus eſſendi modis, cùm non niſi vnus ſit, ſecundum quem, in Verbi perſona illa ſubſiſtit.

7. V. Ad hęc accedit D. Lutheri ἀνθρωπόφα. Etſi autem
8. hic vir eximium Dei organum fuit, ac præclarè de Ec-
9. cleſia meritus eſt: Sicut tamen Petrus Apoſtolus,
10. apud Antiochenos, nõ recto pede, vt veritati Euãgelij congruebat, incedere, & Barnabam, aliosq; exemplo ſuo in eandem ſimulationem potuit abripere. Gal. 2. 13. 14. Ita Petro inferior Lutherus humani aliquid ſeſe paſſum, ſatis demonſtrauit, quando extra contentionis calorem, de Myſterio cœnæ Domini multò re-
11. ctius pronunciauit, quàm in illius æſtu & paroxyſmo.
12. Ideo prudenter faciunt, quicunque malunt, cum eodem concordiam cum noſtris ineunte (id quod anno Epochę Chriſtianæ 1536. factum conſtat) poſterioribus curis, quæ meliores eſſe conſueuêre, locum
13. dare, in veritatis viam ſeſe recipere, & in ea inoffen-
14. ſo pede progredi, quàm cum eodem perturbationi-
15. bus quibuſdam indulgente, & à nonnullis inſtigato,
16. à vero aberrare: probare Nicolai Papæ iuſſu præſcri-
17. ptam Berengario Palinodiam (quæ etiam Scholiaſtæ
18. Iuris Canonici diſplicuit, eò, quòd affirmat, corpus Chriſti dentibus teri) impijs iuxta pijsq; facere communem carnis Chriſti manducationem, licet non eodem affectu: vſum vnius ſpeciei in cœna, Eleuationem Papiſticam, inter adiaphora reponere, & alia quędam affirmare ἐμμάτωρ θαύματα, quæ certè in nullius, quantumuis clari, emeritique hominis gratiam, ſanis hominibus, qui naſo ſeduci non ferunt, recipienda ſunt.

Con-

Confutantia autem eorundem principia sunt: 19.

I. Contemptus rationis humanę. Quæ vt est radius diuinæ sapientiæ, ita cùm sit post lapsum primorum parentum obscurata, postea tamen gratię regenerationis efficacitate, fit πνευματικὴ seu spiritualis: quo nomine ingrati hominis foret, eximium Dei donum vilipendere, & tragicè exagitare. Scriptum enim est: 20. Ne sitis sicut equus & sicut mulus, quibus non est intelligentia: capistro & freno maxillam eorum constringis, ne accedant ad te. Psalm. 32. 9.

II. Irrisio veræ Philosophiæ. Enimuerò cùm nos 21. fines egressam suos philosophiam, & de mundi ęternitate, de viribus humanis, de particulari prouidētia, à vero aberrantem, non sequendam: cùm etiam de ijs, quę fidei propria sunt, minimè consulendam fateamur: Ea tamen de quibus vera testimonia in philosophia extāt, ideò, quia omnis veritas in Logica, Ethicis, & Physicis, à Deo patefacta est, magnifacienda censemus, quis homo prudens id nobis vitio vertat? 22. Irascuntur quidam principio, quòd statuit: omne corpus, & esse loco & tempore circumscriptum: Et Philosophicũ esse, nec ei locum in Schola Theologica concedendum, clamitant. Si ita libet vitilitigare, quid de 23. doctrinæ Ethicę principijs, & prœceptis, quę & esse Deum, & qualis is sit, & quales non esse velit, edocent, 24. 25. 26. fiet? Num illa quoque iuuentuti ingeniosæ irridenda 27. propinabunt? Num doctissimos solidæ & seuerioris Philosophiæ (in qua, grata de Deo fama sparsa est, & quæ id, quod de Deo cognosci potest, profitetur, Deo manifestante per Naturę lumen, Rom. 1. 19.) promos, & cõdos, hostiũ loco se habere, gloriabũtur. Istud sanè 28. si fece-

si fecerint, IVVENIBVS ERVDITIS, in memoriam reuocabunt Platonis dictum, quod monet, inscitiæ certum signum esse, si quis ab eruditissimis viris sese alienum esse dicat: καὶ τι μεῖζον ἁμαρτάδος τεκμήριον, ἢ ἐάντις τοῖς καλοῖς ἀνδράσι διαφέρηται.

29. III. Sophistica multiplex, ἀποσλάνησις καὶ ἀδολογία
30. in colloquijs, narrationes falsæ de tragico interitu
31. præclarorum Christi seruorum: audacia præiudican-
32i di Ecclesijs reformatis, & multis millibus piorum, san-
33. ctum Iesu Christi nomẽ inuocantium: Licentia con-
34. tradictorijs, in disputationibus serijs, vtendi: in de-
spectum humanæ rationis & alia δυσφήμα & tristia, quorum certè Dei seruos magnoperè pudere debet.

IACOBVS ANDREÆ.

In hac Thesi 26. propemodum tot insunt mendacia, quot verba sunt Hypocritæ, quæ omnia & singula, etiam accuratè examinabimus.

1. *Primùm, quòd affirmat: nos à consensu Orthodoxo Ecclesiæ Dei, in doctrina de cœna Domini discessisse: id manifestum mendacium esse, Refutatio Cacodoxi Zuinglianorum consensus apertè docet, quem sub Titulo Orthodoxi Consensus, suppresso autoris nomine, in lucem emiserunt. Cuius Autor Iureconsultus esse perhibetur, Doctor Christophorus Herdesianus, Norinbergensis Reipublicæ minister. Id si verum est, quod ipsemet de seipso confessus est viris, quibus non facilè fidem derogare poterit, non cum laude magna, & commendatione doctrinæ ipsorum coniunctum existiment: quòd videlicet Doctorem Iuris, authorem, tanquam aduocatum ac procuratorem suæ causæ conduxisse, videantur, qui malis artibus eam pingere & ornare studeat, ve-*

Author Consens. falsò dicti Orthodoxi.

quàm

quàm plurimis imponant. Quapropter cùm id intelligerent, maluerunt sine authoris nomine, in lucem prodire, quàm expresso nomine authoris, maculam suæ doctrinæ inurere, & authoritatem Theologorum Zvuinglianorum, & Caluinianorum minuere, quasi nullus ex illorum numero esset, qui hanc malam causam tueri posset, nisi impudens Iurista Φάρμακα σοφὰ suppeditaret, & Rabularum forensium malis artibus instructus, lectori fucum faceret.

Quod verò ad principia confirmantia attinet, initio fatetur, scriptum in verbis Dominicæ cœnæ à nobis produci, quod Lutherus, piæ & sanctæ memoriæ, diligenter notandum monet: plus enim quàm dimidiam partem victoriæ in eo positam, verè dicit. Si etiam aduersariorum confessione obtineamus, SCRIPTVM *verborum Christi pro nobis stare, si verba in proprio sensu accipiantur, sicut in Testamento Christi posita sunt.* 2. Primum principiũ confirmans nostrã doctrinam. SCRIPTVM verborum Testamenti Christi.

*Sed quod Hypocrita subiungit: si scriptum, Τὸ ῥητὸν, in verbis Testamenti Christi quis sequatur, Papisticam potius transsubstantiationem, quàm Cameracensis cardinalis nugamentum, videlicet, consubstantiationem confirmari: vtrumq; falsum, & nugamentum Opinatoris esse, dicimus. Quisquis enim crediderit, panem Pronomine (*HOC*) demonstrari, & quòd panis permaneat, ratione suæ substantiæ, is transsubstantiationem nunquam asseret. Quemadmodum Petrus Christum hominem alloquens, inquit: Tu homo, Filius Mariæ, Iesus Nazarenus, es Christus Filius Dei viui, non opus fuit, vt Filij Dei assumpta humanitas, in Diuinitatem transsubstantiaretur: sic τὸ ῥητὸν, seu scriptum, vel literalis sensus, retineri potest, in verbis Testamenti Christi, vt nullo modo transsubstantiatio confirmetur.* 3. Obiectio Grynæi. Τὸ ῥητὸν seu SCRIPTVM verborum Testamenti Christi non confirmat transubstantiationem.

Deinde, per τὸ ῥητὸν, seu SCRIPTVM, *non confirmatur consubstantiatio, quam Cameracensi Cardinali, & Luthero affingit Hypocrita, per quam nihil aliud intelligit, quàm physicam, corporalem*

poralem, & localem coniunctionem corporis Christi cum pane, sicut ipsorum Cacodoxus Consensus, ex quo hæc omnia descripsit Opinator, perpetuò vrget. Quod nugamentum, dum Grynæus oppugnat, non Ecclesiarum nostrarum confessionem, sed suum proprium ipsorum figmentum impugnat. Realis enim præsentia corporis Christi IN MYSTERIO, *non est consubstantiatio, qualem Cingliani nobis affingunt, quasi corpusculum membris contractum in pane latitare, doceamus, sed est Mysterium, quod sola fides capit, & ratio non intelligit, ab Orthodoxa vetustate innumeris testimonijs confirmatum, & elogijs ornatum.*

Consubstantiatio malitiosum figmẽtum Zuingl. & Caluinistarum.

Quapropter, pius lector, hoc aduersarij testimonium, diligenter attendat, nos pro assertione nostræ doctrinæ & confessionis, scriptum verborum Testamenti Christi, tanquam fundamentum ponere, quo nitimur: hoc est, nos, simplicissima fide, horetamur omnes, insistere verbis institutionis Christi, quia sint verba Testamenti clara, perspicua, diserta, neq; curandum, quòd neq; sensus, neq; ratio, eius modum percipiat, & intelligat.

Fundamentũ fidei & Confes. nostræ de cœna Domini, Scriptum verborũ Testam. Christi.

Ex quo etiam manifestum est, quòd auditores nostros, non à verbo Dei abducamus, sed doceamus, vt simplici fide, in verbo Domini acquiescant, & Christo honorem veritatis, & omnipotentiæ, tribuant, qui non possit fallere, sed valeat præstare, quod promisit, vt maximè sensibus & rationi nostræ humanæ absurda videantur: sicut Articuli Symboli Apostolici omnes, & reliqua regni Dei mysteria, non intelliguntur, sed creduntur.

Contrà verò hoc ipso fatetur Hypocrita noster, se cum opinionis suæ socijs Zuinglianis, A SCRIPTO IN *verbis cœnæ Domini recedere. Vnde patet, quisquis ipsius opinioni assentitur, eum non scripto in verbis Christi:* HOC EST CORPVS MEVM: *sed in verbis Zuinglij acquiescere: cuius verba sunt: Hoc significat* CORPVS MEVM. *Quod cùm ita se habeat, optionem*

Zuingliani, à scripto verborũ Test. Christi, apertè recedunt.

Optio pio lectori data.

damus

damus lectori, verum Scriptum ex his duobus amplecti velit, & in quo existimet, se tutissimè acquiescere posse: CHRISTI ne: qui ait: HOC EST CORPVS MEVM: an Zvuinglij, qui dicit: HOC SIGNIFICAT CORPVS MEVM. Etsi verò, extra tentationem, aliquandiu verbis ludere possunt, homines curiosi & ingeniosi: tamen quid hac in parte faciendum sit, TENTATIO docebit. Fides enim vt in tentatione consistere possit, necesse est, vt verbum Dei habeat, quo nitatur, aliâs nulla fides est. Sed quis tàm stupidus est, qui non videat, MAGIS TVTVM esse eum, QVI VERBVM CHRISTI retinet, & ei nihil addit, nihil detrahit, quàm illum, qui Scripto Christi sepositio, Scriptum Zvuinglij amplectitur? Id verò an verbum Dei sit, quis te certiorem reddet? Cum ipse ingenuè fateatur, se id per somnium didicisse, à spiritu, qui ater an albus fuerit, non meminerit?

Collatio, verborū Christi & Zvuing.

Vis Verbi Dei, in tentatione conspicitur.

In summa: Doctrinæ & Confessionis nostræ fundamentum solidum & immotum, etiam Confessione aduersariorum nostrorum, est SCRIPTVM, in verbis Testamenti Christi: in hoc exultamus, triumphamus, & omnibus hostibus nostris, & Diabolis insultamus. Quisquis huic Scripto credit, de nullo alio fundamento solicitus est: sufficit enim, hoc Christum dixisse, & nos credere, fiat nobis secundum verbum tuum Domine.

Securitas & triumphus Luth. contra Zvuingl. & Caluinianos.

Luc. 1.

Malitia verò insignis est Opinatoris nostri, quòd de sententia nostra, fundamentum doctrinæ nostræ, dicit, esse carnis Christi commentitiam in multis locis præsentiam. Nam hæc præsentia in multis locis, in quibus cœna Domini simul & semel, eodem tempore, celebratur, κρινόμενον est, de quo inter nos disputatur, quod Zvuingliani negant, nos verò affirmamus.

3. κρινόμενον de præsentia carnis Christi in cœna.

Eam verò non commentitiã, neq; Orthodoxæ vetustati ignotã,

4. Præsentia carnis Christi in cœna Domini non commentitia,

in Cacodoxi Zvuinglianorum & Caluinianorum Consensus Refutatione, copiosè demonstratum est, quò breuitatis causa lectorem remittimus. Quam Orthodoxi Patres admirati sunt, tanquam Dei omnipotentis opus, quod Spiritus sanctus POTENTIALITER *operetur: Mysterium, non humana ratione scrutandum, sed simplici, & indubitata fide amplectendum, docuerunt: Sicut Liturgiæ quoq; in primitiua Ecclesia, ab Orthodoxis Patribus vsurpatæ, testantur, ipsorumq; scripta confirmant, quemadmodum suprà demonstrauimus.*

5. Præsentia carnis Christi in S cœna non ex Eutychianismo.

Quòd autem Opinator inquit, hanc doctrinam, de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna Domini, reuera ex Eutychianismo ortum ducere, id non tàm facilè probatur, quàm dicitur. Hanc enim præsentiam, in SCRIPTO VERBORVM *Testamenti Christi fundatam esse, iam demonstrauimus: quam Orthodoxi Patres apertè confirmarunt, priusquàm Eutyches natus, & nomen eius in Ecclesia notum esset, sicut ipsorum verba apertè testantur, quibus de hoc Mysterio concionantur. Inter quos maximè, in hac parte, Chrysostomus excellit, cum quo Theophylactus, & Damascenus, Augustinus, Irenæus, & reliqui Patres, consentiunt.*

6. *Tertium fundamentum assertionis nostræ, dicit esse* opinionem, quę fingat, ideò carnem CHRISTI vbique, ac proinde in cœna corporaliter præstò adesse, quia illa sedet ad Dexteram Dei. *Respondeo: nequaquam opinionem, hoc est, doctrinam incertam, sed ipsum quoque, ex scripto verborum Testamenti Christi desumptum, videlicet, à persona Testatoris.*

7. *Si enim Petrus hoc Testamentum fecisset, & hæc verba posuisset, de pane loquens:* HOC EST CORPVS MEVM, *sine dubio aliter intelligenda essent, quàm sonant: Quoniam Petrus*

est

est ψιλὸς ἄνθρωπος, *nudus homo, qui hoc præstare non posset, vt corpus suum simul, & semel, eodem tempore, in pluribus locis præsens esset. Corporis autem Christi, longè alia est ratio, quod ad dexteram Dei exaltatum, extra locum, & tempus, ratione huius sessionis, collocatum est. Ideoq; Filius Dei omnipotens, facilè præstare potest, vt sine motu locali, ascensu vel descensu corporali, vbiq; præsens sit. Nam dextera Dei, neq; locus est, neq; in loco, sed supra, infra, extra, intra omnia loca, & sedere ad dexteram Dei omnipotentis significat, consortem esse, Imperij & iudicij summi, regnare, pari gloria, potentia, & maiestate, cum Deo, super omnes creaturas, summam potestatem, maiestatem, virtutem, dignitatem, magnificentiam, summum imperium Dei, summam regnandi authoritatem, excellentiam. Ideoq; Spiritus sanctus, quoties huius meminit, non eâdem, sed diuersis phrasibus vtitur. Actor. 2. Dextera Dei exaltatus, effudit hoc, quod videtis. Actor. 7. Ecce video cœlos apertos, & FILIVM HOMINIS STANTEM, A DEXTERIS VIRTVTIS DEI. Rom. 8. Qui est ad dexteram Dei. Ephes. 1. Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam, in cœlestibus, super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc, sed etiam venturo seculo, Coloss. 3. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est, IN DEXTERA DEI Patris. Heb. 8. Talem habemus Pontificem, qui considet AD DEXTERAM THRONI Maiestatis illius cœlestis. Heb. 12. Sedet in dextera Dei. 1. Pet. 3. Qui est dextera Dei. Huius ergo maiestatis, particeps est quoq; corpus Christi, quod in hac sede omnipotentiæ Dei collocatum est, in qua sede nullus angelorum, & beatorum hominum, collocatus est. Cui enim angelorum (inquit Epistola ad Hebræos) dixit: Sede à dexteris meis? Ac ne quis sessionem ad dexteram, de diuinitate Christi intelligat, consensus orthodoxorum Patrum accedit, qui vnanimiter ad carnē, hoc est,*

Quid dextera Dei, & sedere ad dexteram Dei.

ad humanitatem Christi referũt, cum ipse Filius Dei sit ipsa dextera Dei Patris. Chrysostomus: [*Cognoscamus, quæ natura sit, cui dixit: Sede à dexteris meis.* ILLA NIMIRVM, *quæ audierat: Terra es, & in terrã reuerteris.*] *Athanasius:* [*Hæc verba: Sede à dextris meis: de corpore Dominico dicta sunt.*] *Augustinus.* [*Dexteram intelligite, potestatem, quam accepit* HOMO *ille, susceptus à Deo.*] *Cyrillus:* [*Ascendit* CVM CARNE, *in gloriã Deitatis, & Dominus omniũ esse creditur, etiã* CVM CARNE.] *Ideoq; inuictum argumentum est, à sessione ad dexteram Dei, quod nunquam expugnare poterit aduersarius noster: Quidquid ad dexteram Dei exaltatum est, & sedet: illud quoq; adest, vbicunq; dextera Dei est. Corpus Christi ad dexteram Dei exaltatũ est: Ergo quoq; adest, vbicunq; dextera Dei adest: est autẽ dextera Dei vbiq;: ergo & corpus Christi. Hîc nobis, more suo, non poterunt quatuor terminos obijcere, aut formam argumenti reprehendere. De materia igitur, & reipsa nobis respondere cogũtur: vbi commentum ipsorum, de dextera Dei, consistere non potest, quòd fingunt, dexteram Dei, significare, locum beatorum in cœlo. Id enim non modò sine Scriptura, sed contra manifestã Scripturam dicitur: quæ apertè testatur, dexteram Dei non locum aliquem, sed* POTENTIAM *significare, quam Pater Filio contribuit. Quod, vel ipse Caluinus, nostrum Hypocritam, docere potuisset, cuius lectione, etiam* SVA STVDIA CONFIRMASSET. *Hic locus (inquit) si quis alius apertè ostendat, quid significet* DEI DEXTERA, NON LOCVM *scilicet, sed* POTENTIAM, *quam Pater Christo contulit, vt eius nomine cœlum & terram administret. Quare, inquit, frustrà de eo litigant quidam, quòd Stephanus viderit eum stantem, quem Paulus hîc sedere scribit.* NEQVE ENIM, HOC AD CORPORIS COLLOCATIONEM *pertinet, sed* SVMMAM REGNANDI AVTHORITATEM *exprimit: qua præditus est Christus. Hoc*

Commentum Zuuinglianorum de dextera Dei in cœlo.

Caluinus in Epist. ad Ephes. cap. 1.

sonant

sonant Pauli verba, super omnem principatum. Et paulò pòſt: "
Cùm autem dextera Dei cœlum & terram implcat, ſequitur re- "
gnum Chriſti VBIQVE DIFFVSVM *eſſe, atq; etiam virtutem,* "
VNDE PERPERAM FACIVNT, *(quòd noſter Opinator di-* " Auſculta Gry-
ligenter expendere velit,) QVI EX SESSIONE AD DEX- " næc.
TERAM DEI CONANTVR *probare,* CHRISTVM NON "
NISI IN COELO ESSE. *Hactenus Caluini verba.* "

Non autem ignorat Hypocrita noſter, quos hîc notet Caluinus, videlicet Zvuinglianos, qui ad erroris ſui confirmationem de cœna Domini, hanc doctrinam de dextera Dei, ad hunc modum corrumpere & deprauare ſunt conati, quemadmodum ipſorum ſcripta teſtantur.

Stat ergo inuicta veritas, Chriſtum, ſecundum aſſumptã humanam naturam, collocatũ ad dexteram Dei, quæ cœlum & terrã implet: & falſum eſt, quod dicunt Zvuingliani, Chriſtum, qui a ſedet ad dexteram Patris, non niſi in cœlo eſſe. Vnde apertè ſequitur: verum eſſe, quod nos dicimus: vbiq; adeſſe, vbi dextera Dei adeſt, quia non ad partem dexteræ Dei, ſed ad totam dexteram Dei collocatus eſt, quæ in partes diuidi non potest. Hîc, ſi tollas imaginationem & cogitationem de loco, ſicut Stapulenſis piè monet, quæ loca multiplicat, & ſpacia diſtendit, quæ neq; in dextera Dei, aut ſeſſione ad dexteram Dei ſunt. Seſſio enim illa localis non eſt. An verò non ad oculum, non ex humano commento, ſed verbo Dei expreſſo, euidenter demonſtratum eſt, corpus Chriſti vbiq; adeſſe, vbicunq; dextera Dei adeſt? Imaginatio de loco tollenda in myſterio ſeſſionis ad dexteram Dei.

Quando autem dexteram Dei vbiq; adeſſe dicunt Zvuingliani, vbi corpus Chriſti non eſt, etiam ipſi diuinitati diffuſionem quandam affingunt, quaſi inſtar corporis alicuius extendatur. Sicut ſimilitudine orbium Planetarum, in hoc Myſterio ludunt. Orbis, inquiunt, Planetæ eſt, vbicunq; corpus Planetæ eſt, ſed non contrà, vbi orbis eſt, ibi corpus Planetæ eſt, quia (inquiũt) orbis Planetæ, maioris ambitus eſt, quàm corpus Planetæ: Zvuingliani & Caluiniani diffuſionẽ diuinitatis imaginantur.

&c.

Sic, vbicunq; corpus Christi est, diuinitas est, sed non contrà: vbi diuinitas, ibi corpus Christi adest. Quia diuinitas infinita est, omnia implens. Corpus autem finitum, vno loco contentum est.

Deus quomodo vbique sit.

Verùm, si quis quærat, quomodo Deus est vbiq;? Num tali diffusione & ambitu, quo orbis Planetæ? Nequaquam. Ergo hæc similitudo de orbe & corpore Planetæ, corporalis est cogitatio, de diuinitate & assumpta humanitate, ideoq; inepta & absurda: Si verò cum Augustino dicas: DEVM IN SEIPSO VBIQVE ESSE, *omnibus carnalibus cogitationibus, & imaginationibus, facilè resistere poteris. Quanquam (inquit) & in eo ipso, quòd dicitur Deus vbiq; diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens à corporis sensibus auocanda, ne quasi spacioſa magnitudine, opinemur Deum per cuncta diffundi. Sicut humus aut humor, aut aër, aut lux ista, diffunditur. (Omnis enim huiusmodi magnitudo, minor est in sui parte, quàm in toto)* SED ITA POTIVS, SICVT EST MAGNA SAPIENTIA, ETIAM IN HOMINE, CVIVS *corpus est paruum. Et paulò pòst: Deus substantialiter vbiq; diffusus, sed sic est Deus vbiq; diffusus, vt non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spacia locorum, quasi mole diffusa, ita vt in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio, dimidius: atq; ita per totum, totus: sed in solo cœlo, totus, & in sola terra totus, & in cœlo & in terra totus solus, & in nullo contentus loco,* SED IN SEIPSO VBIQVE TOTVS. *Et paulò pòst: Quomodo ergo verum suprà diximus, quòd Deus vbiq; sit totus, quando in alijs est amplius, in alijs minùs. Sed non est negligenter intuendum, quòd diximus:* IN SEIPSO ESSE VBIQVE TOTVM. *Non ergo in eis, quia alij plus eum capiunt, alij minus. Ideò enim vbiq; esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est.* IDEO TOTVS,

Epistola 57. ad Dardanum.

Simile de sapientia in magno & paruo corpore.

Deus in seipso vbique totus.

Auscultа Grynæe.

NB.

Deus vbique totus.

TVS, *quia non parti rerum, partem suam præsentem præbet, &* «
alteri parti, alteram partem, æquales æqualibus, minori verò mi- «
norem, maiorique maiorem: sed non solùm vniuersitati creaturæ, «
verùm etiam cuilibet parti eius, totus pariter adest. Et paulò «
pòst. Porrò autem, quòd parum distinctè putauimus posse intelli- « Quomodo Deus in seipso totus vbique.
gi, cùm diceremus: DEVM ESSE VBIQVE TOTVM, *nisi* «
adderemus, IN SEIPSO, *video diligentius exponendum. Quo-* « 1. VBIQVE.
modo enim VBIQVE, *si* IN SEIPSO? VBIQVE *scilicet, quia* « 2. IN SEIPSO.
nusquam est absens, IN SEIPSO *autem, quia non continetur* «
ab eis, quibus est præsens, TANQVAM SINE EIS ESSE «
NON POSSIT. *Nam spacia locorum tolle corporibus, nusquam*
erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Hactenus verba Augu-
stini, quibus aliquo modo explicauit: quomodo Deus vbiq; sit, qui
omnibus præsens est, nec tamen ab vlla creatura continetur.

Hûc nunc conferas, quod Athanasius in suo Symbolo scri-
psit: sicut anima rationalis, & caro, vnus est homo: ita Deus &
homo, vnus est Christus: vnus autem, non conuersione diuinita-
tis in carnẽ, sed ASSVMPTIONE HVMANITATIS, IN DE-
VM. *Vbi diligenter notandum, quòd dicit:* HVMANITATEM
IN DEVM ASSVMPTAM ESSE. *Quæ assumptio, nihil lo-*
cale significat, sed extra omnem locum memorabile Mysterium,
quòd creatura corporea, non solùm sustentetur à Deo, sed IN DE-
VM *assumatur, hoc est, vna persona sit cum Deo.*

Si ergo neq; cœlum, neq; terra, creata fuissent, quæ spacijs Quomodo imaginatio de loco in Mysterio vnionis personalis nobis eximi possit.
locorum à se inuicem distant, & solus Deus esset, qui in suæ perso-
næ vnitatem, humanam naturam creatam assumpsit, nec vllus
locus esset, sicut nullus locus ante conditum Mundum fuit, quis
negare potuisset, vbicunq; Filius DEI EST, *ibi quoq; assumptum*
hominem (vt Augustinus loquitur) esse? Deus enim postea creatum Mundum non maior factus est, quàm erat, cùm nondum
Mundus esset.

Quoties igitur absurda de vbiquitate carnis Christi obijciuntur, toties eadem de diuinitate quoq; opponat lector, quæ, cùm vbiq; dicatur esse, non autem diffusione, sed in seipsa, hinc facilè aduersarium quoq; conuincet, quomodo etiam ad vbiquitatem carnis Christi, nulla diffusio requiratur, sine qua crassi illi Zuingliani, de carnis Christi vbiquitate cogitare non possunt.

Ad hunc modum, imaginatio loci, ex animis hominum euelli potest, quoties de hoc Mysterio cogitamus. Siquidem omnipræsentia, propter diuinitatem, & respectu diuinitatis, tribuatur corpori Christi. Cùm enim ipsa diuinitas, non locali diffusione sit vbiq;, sed in seipsa, eaq; in seipsam assumpserit humanam naturam, quis tam cæcus est, vt non videat, hac ratione etiam huius Maiestatis participem factam esse? iuxta illud apertum testimonium Pauli: Ascendit supra omnes cœlos, non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, VT OMNIA IMPLERET, non solùm diuinitate, inquit Damascenus, sed etiam sua carne. Hinc etiam rectè intelligitur, quomodo sententia Augustini intelligenda sit, cùm inquit: Sursum est Dominus, sed etiam hîc est veritas Dominus. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, vno loco esse potest: veritas eius vbiq; diffusa est, videlicet, ea ratione, qua in Deum assumpta est, qui IN SEIPSO *vbiq; est. Quòd autem Zuingliani, veritatem corporis Christi, in verbis Augustini, pro diuinitate interpretantur, planè cum ipsius Augustini verbis pugnant, & est eorum manifesta deprauatio. Quis enim vnquam audiuit, legit, aut scripsit, veritatem corporis Christi, esse diuinitatem?*

Tractat. 30. in Io.

Eat ergò nunc Opinator noster, & dicat, opinionem, hoc est, incertam doctrinam esse, QVÆ FINGAT: *ideò carnem Christi* VBIQVE, *ac proinde in Cœna corporaliter adesse, quia illa sedet ad dexteram Dei, cùm demonstratum sit, eam ex indubitato Dei verbo, & Symboli Apostolici articulo, extructam esse.*

esse. De quo in Refutatione Cacodoxi Consensus Zuinglianorum plura.

Contrà verò certum est, aduersarios nostros nihil horum intelligere, aut intelligere velle: ideoq; non modò de corpore Christi, sed etiam de ipsa diuinitate, planè carnales opiniones & cogitationes fouere: vnde fit, vt etiam de Mysterio incarnationis & sessionis Christi ad dexteram virtutis & maiestatis, nihil recti & veri cogitare possint: quas cogitationes carnales, si abijcerent, & intellectum suum in obsequium Christi captiuum ducerent, & scripto verborum Testamenti Christi subijcerent, ab omni isto errore se facilè expedire possent. Carnales cogitationes Zuinglianorum, de Deo, & corpore Christi præsente.

Quartum fundamentum confessionis nostræ, de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra cœna, Cresphygeton falsum, & seipsum euertens *appellat Hypocrita*, de carnis Christi plurimis essendi modis, quoniam ipsorum opinione, NON NISI VNVS sit, secundum quem in Verbi persona illa subsistat. 7. Quartum fundamentum, de plurimis essendi modis corporis Christi.

Desumpsit autem hoc quoq; ex falsò dicto Zuinglianorum Orthodoxo Consensu, Opinator noster, & Pharisaico supercilio, & superbo Spiritu arbitratur sufficere, si dicat, esse falsum & seipsum euertens Cresphygeton, quasi non opus sit, id quoq; argumentis refutare. Superbus spiritus Grynæi.

Tam stupido autem & crasso cerebro sunt Zuingliani Theologi, vt elleboro potius, quàm liberali institutione indigeant, quò illis prius cerebrum purgetur, quàm mens erudiatur, qui apertè dicunt, se de corpore Christi, non aliter posse cogitare, quàm corporis natura iubeat. Crassa cogitatio Zuinglianorum, de corpore Christi.

Quis enim tàm demens est, qui non intelligat, quamuis corpus Christi, verum corpus sit, & quatenus corpus, ratione substantiæ & definitionis, excepto solo peccato, nostris corporibus simile sit, aliâ tamen eius rationem, propter vnionem personalẽ cum Filio

Dei, esse? quod analogiâ corporis animati, demonstrari potest. Nam sicut corpus animatum, essendi modo, à corpore inanimato differt, adeoq; aliam definitionem habet, quàm corpus inanimatũ, & per consequens, etiam alium essendi modum: sic corpus Christi deificatum, hoc est, cum diuinitate in persona Filij Dei vnitum, differt à corporibus nostris animatis, siue physica sint, siue gloriosa. Ideoq; etiam alia definitio, & alia propria, respectu corporum nostrorum, seu attributa, propter communicatam Maiestatem corporis Christi, quàm nostrorum corporum sunt. Quæ tamẽ Maiestatis communicatio, propria essentialia corporis, quatenus verum corpus est, & permanet, non abolet, sed corpus, in summam sublimitatem exaltatum esse declarat, qua extra locum & tempus, Christus, etiam quâ homo, omnia præsentia habet, & omnibus rebus creatus præsens est.

Analogia corporis animati, & cum Deo vniti.

Hoc non ex lacunis Sophistarum, non ex somnijs humanis, sed ex verbo Dei aperto petitum, quod Christo, quatenus assumptus homo, eiusmodi Maiestatem tribuit, qua secundum humanam naturam super omnes, cœlos cœlestes, & terrestres creaturas exaltatus, ipsis cœlis, vt Epistola ad Hebræos loquitur, sublimior FACTVS (FACTVS inquam, ne de diuinitate fortè intelligatur, sicut Zvuingliani faciunt) & in celsitudinem Dei propriam, vt Nyssenus loquitur, collocatus est.

Hunc peculiarem essendi modum, quisquis negauerit, personalem vnionem negare, & Christi corpus, extra personam Filij Dei ponere deprehenditur. Quod Compilatores Cacodoxi Consensus apertè faciunt, dum fatentur: se de corpore Christi, non aliter cogitare posse, QVAM CORPORIS NATVRA IVBET. Si enim corpus Christi aliter considerari non potest, nec debet, quã corporis natura iubet, nihil prorsus subsistẽtia in persona Filij Dei, ad eam considerationem requiritur, cùm hæc subsistentia non sit de natura corporis, qua corpus Christi, nostris corporibus simile est. Qua ratione simpliciter Christus φιλὸς ἄνθρωπος nudus

Quæ absurda sequantur, ex consideratione corporis Christi Zvuingliana.

nudus homo constituetur, qui non sit Deus. Sin verò in subsistentia Verbi, (hoc est, quatenus cum verbo vna persona est) considerari debet, falsum est illud Cacodoxi Consensus, quòd aliter corpus Christi considerari non possit, aut debeat, quàm NATVRA CORPORIS IVBET. *Hîc singulari artifice opus erit, si diuersi modi essendi à corpore Christi tollantur, qui hos Seraphicos Doctores conciliare possit.*

Manet ergo & hoc doctrinæ fundamentum inconcussum, quod ex verbis Testamenti Christi, in diuersis modis essendi corporis Christi, positum est, videlicet, cùm corpus Christi, Dei corpus sit, & cum Deo personaliter vnitum, longè alium & sublimiorem modum essendi INDE *habet, quàm illum duntaxat, de quo Zvingliani, cum nostro Opinatore, nugantur, qui altius non ascendat, quàm* NATVRA CORPORIS *iubet. Si enim vnus tantùm essendi modus corporis Christi est, videlicet, vt corporis natura iubet, quo essendi modo, omnibus hominibus, excepto peccato, similis est, inde sequetur: aut omnium sanctorum, adeoq; omnium hominum corpora, cum Filio Dei personaliter vnita esse, quæ extra personam* FILII DEI *subsistunt, & sustentantur à Filio Dei, & suum essendi modum habent, sicut natura corporis iubet: Aut si solum Christi corpus, cum Filio Dei personaliter vnitum est, præter naturalem illum, peculiarem quoq; essendi modum habebit, quo in persona Filij Dei subsistit, vbi nequaquam sustentatur à Filio Dei, sicut aliorum hominum corpora, quæ in Filio Dei sunt, viuunt, & mouentur, Acto. 17. sed in vnitatem personæ Filij Dei assumptum est, cuius Mysterij sublimitas, omnem humani ingenij captum excedit.* 8.

Non vnus tantùm essendi modus corporis Christi.

Hæc dum carnalibus cogitationibus Zuinglianorũ opponimus, nequaquam κρυφύγετα quærimus, sed expresso, & indubitato Dei verbo, humana somnia solidè refutamus: cui conscientia hominis tutò fidere, & in omnib. tentationibus consistere

Doctrina nostra, de Christo, solida.

potest. Qua ratione veritas naturæ humanæ non negatur, neque veritati, & potentiæ Christi quidquam derogatur, nec conscientijs, consolatio sua adimitur, quam in carne & sanguine Christi, in huius Sacri conuiuij vsu, repositam habent. Quorum nihil, in peruerso dogmate Zvuinglianorum reperitur, qui, dum corpus Christi, non aliter se considerare posse affirmant, quàm natura corporis iubet, à Maiestatis illius, Diuinitatis propriæ communicatione excludunt: veritatem, & potentiam Christi negant, & conscientias, sua summa consolatione, quam in summa illa exaltatione carnis Christi repositam habent, impiè spoliant: quod nunquam vel saltem aliqua specie veri, negare possunt.

Absurda & impia doctrina Zvuinglianorum, de Christo.

9. De Lutheri αὐτὸς ἔφα, flagitiosum mendacium Grynæi.

Quòd postremo loco, Lutheri αὐτὸς ἔφα, pro fundamento nostræ doctrinæ ponit, non ignorat Hypocrita, se contra conscientiam suam aduersus Lutherum flagitiosè mentiri. Sicut enim Lutherus, nullius hominis authoritati se captiuum tradidit, neque in vllius magistri verba iurare voluit, sed VNO, & SOLO *verbo Dei, Romanum Antichristum expugnauit: sic etiam piè, sanctè & grauiter, perpetuò monuit, ne quisquam vlla in parte doctrinæ, ei assentiatur, in qua non verbo Dei indubitato, lectori, vel auditori fidem fecerit.*

A Lutheri authoritate nemo pendere debet.

Hoc cùm non ignoret Hypocrita noster, insignis impudentia in ipso conspicitur, quòd non modò studiosæ iuuentuti, tam apertum mendacium persuadere conatur: sed idem etiam ad exteras regna propagari cupiat, quasi à Lutheri authoritate pendeamus, & in ipsius gratiam, falsam doctrinam propagare studeamus, ne fortè eius authoritas in Ecclesia labefactetur. Ad verbum Dei, tanquam vnicã veritatis normam et regulam, nos omnes ablegauit. Quod si aliter ageremus, nos minimè pro γνησίοις discipulis, agnouisset.

10. Mendaciũ de Luthero à seipso in in didactacis &

Non minus turpe & impudens duplicatum mendacium est Hypocritæ, quòd scribit: humani aliquid passum esse Lutherum in Sacramentaria controuersia, satis demonstrasse, quando extra

contentionis calorem, de Mysterio cœnæ Domini aliter pronunciauerit, quàm in illius æstu & paroxysmo. Polemicis scriptis dissentiente.

Eodem enim modo, non modò in polemicis, sed etiam in didacticis scriptis, Lutherum doctrinam Eucharistiæ contra Sacramentarios tractasse, ipsa scripta eiusdem manifestè docent. Neq; enim arundo fuit Lutherus, à quouis vento agitata, sed constans pectus, firmo corde, qui, in rebus Sacris, gloriam Dei, & salutem animarum concernentibus, nihil temerè affirmauit, aut negauit, sed ad examen verbi Dei accuratissimè omnia reuocauit, nec quid homines intelligere, aut capere possint, sed quid Deus locutus sit, diligenter attendit, & omnibus faciendum præcepit, idq; non solùm in exegeticis scriptis suis fecit, quibus Sacras literas est interpretatus, sed inprimis, quando cum aduersarijs veritatis, congressus est &c.

Quod vel vno prestantissimo libro testatũ fecit, cuius titulus est: Quòd hæc verba Christi (Hoc est corpus meũ) adhuc firma & immota cõsistant cõtra Schuermeros: vbi statim ferè in initio, paragrapho decimo, hæc eius leguntur verba: Væ, & iterum væ, omnibus nostris Doctoribus, & scriptoribus librorum, qui adeò securè agunt, & omnia euomunt, quidquid in buccam venerit, nec DECIES COGITATIONEM VNAM *intuentur, an vera sit,* NB. *& CORAM DEO consistere possit: qui arbitrantur, Diabolum interea temporis Babyloniæ esse, aut propè illos, instar canis, super puluinari dormire, & non cogitant, quòd illis proximus sit, & circumambulet, cum venenatis & ignitis telis, eisq; speciosissimas cogitationes inspiret, Scriptura Sacra ornatas, vt ipsi non sentiant. Verùm hîc nihil efficimus admonitione, dehortatione, comminatione: quoniã Diabolus est mille artifex, & nisi Dominus caueat, & adiuuet, frustra omnia consulimus & agimus. Et quòcunq; te conuertas, Diabolus Princeps Mundi est &c. qui hoc ignorat, experiatur. Ego etiam aliquid expertus sum, sed nemo mihi credet, donec & ipse experiatur. Hactenus verba Lutheri.*

Vtinam

Dolendū, Lutheri scripta in exteris regnis, nō haberi.

Vtinam verò, vel hic solùm liber, sicut reliqua etiam polemica eius scripta, tàm in manibus Gallorum, Italorum, Anglorum, & in reliquis exteris Regnis, quàm Zvuinglianorum, & Caluinistarum pernitiosa scripta, versaretur, nihil dubitamus, optimos quosq; inter Zvuinglianos, & Caluinianos auditores, non modò aliter de persona, & scriptis Lutheri iudicaturos, sed quàm firmis & immotis Scripturæ Sacræ testimonijs & argumentis, τὸ ῥητὸν, verborum Testamenti Christi, probauerit, & ad oculum demonstrauerit, pronunciaturos, & assensuros esse.

Quando autem hæc & alia Lutheri scripta, ad eos non modò non perueniunt, sed eius persona, & doctrina, in scriptis Zvuinglianorum, & Caluinianorum, tam apertis, manifestis, & impudentissimis mendacijs, viris ciuiliter bonis, ne dum Theologis indignis, grauatur, & exosa redditur, quasi Physicam, carnalem, localem præsentiam corporis & sanguinis Christi, eiusq; Capernaiticam, & Cyclopicam lanienam, & manducationem docuerit, qua caro Christi, instar vitulinæ carnis, dentibus atteratur, masticetur, per gulam in ventrem deijciatur, concoquatur, &c. Et corpus Christi instar alutæ, cum Diuinitate, in omnia loca cæli & terræ, coextendatur. Quibus apertis mendacijs (vt de calumnijs venenatis & Sathanicis nihil prorsus dicam) scripta Zvuinglianorum, & Caluinianorum repleta sunt, quid mirum est, si qui talia audiunt, vel legunt piæ mentes, à sententia, & doctrina tàm impia, abhorreant?

Quorum mendaciorum turpissimorum, vsque adeo eos neq; pudet, neq; pœnitet, vt toties admoniti, ea, in singulis scriptis, nihilominus inculcare non desinant, & scripta Lutheri non ignorantia, sed studio, & ex proposito calumnientur. Cuius insigne exemplum est Orthodoxus ipsorum, scilicet, Consensus, in quo, si Synodus omnium Diabolorum, congreganda fuisset, plura mendacia, calumnias, deprauationes, crimina falsi manifesta, vix in

vnum

vnum cumulum congerere potuissent, quod eiusdem Refutationis, cum eodem Consensu collatio, apertè docebit.

Sed quàm vanum sit, quod hîc Opinator noster scribit: Lutherum ex calore contentionis, quasi in æstu & paroxysmo, longè aliter de cœna Domini scripsisse, quàm extra illũ calorem, vel ex insigni illius attestatione constat, quam confessioni magnæ de cœna Domini, inseruit: quæ sic sonat: Cùm videam, sectas & errores subinde crescere, & furoris Sathanæ, nullum finem aut remissionem esse, ne fortè me viuo, aut post mortem meam, quidam mea operâ abuti, & scripta mea, ad ipsorum errorem confirmandum, FALSO PRODVCERE *possent, sicut Sacramentarij, qui circa cœnam Domini & Baptismum errant, facere cœperunt: hoc scripto coram Deo, & vniuerso Mundo, meam fidem de singulis partibus Doctrinæ, confiteri volo: in qua etiam* VSQVE AD MORTEM *perseuerare, & ex hoc seculo (Deo adiuuante) migrare, & coram tribunali Domini* NOSTRI IESV CHRISTI COMPARERE *volo.*

Luth. nihil in æstu & paroxysmo contentionis, didactis scriptis contrarium scripsisse.

Luth. Prophetæ.

Quod si quis post mortem meam dixerit: Si Lutherus nunc viueret, hunc & alios articulos doctrinæ Christianæ, aliter explicasset, & aliter sensisset: NON *enim satis eum perpendit. Contrà ego dico: nunc sicut tunc, & tunc sicut nunc, quod per gratiam Dei hos articulos illos omnes, quàm diligentissimè & accuratissimè examinauerim,* PER SCRIPTVRAM ITERVM ATQVE ITERVM *pertraxerim, &* TAM CERTO *illos defendere & propugnare voluerim,* QVAM NVNC SACRAMENTVM ALTARIS, PROPVGNAVI. *Non sum nunc Ebrius, nec* INCONSIDERATE *ago, scio quid loquar, & sentio quoq; quid mihi in aduentu Domini nostri Iesu Christi, in nouissimo iudicio, incumbat: quapropter nemo hîc mecum ludat, aut verba mea in iocum rapiat. Seriò ago. Quoniam Diabolum per gratiam Dei magna ex parte noui. Si verbũ Dei, & Scripturã Sacram peruertere & perturbare posset, quid in meis, & aliorum verbis, non faceret?*

NB. Grynæe, cũ virgula tua censoria.

Certitudo doctrinæ Lutheri de cœna Domini.

„ ret? Et in fine huius Confessionis: Hæc, inquit, est fides mea, „ nam sic omnes verè Christiani credunt, & sic Scriptura Sacra do- „ cet. Si verò in quibusdam breuior fui, & quædam omisi, sufficien- „ ter mei libri mihi testimonium perhibebunt, præsertim qui postre- „ mis QVATVOR AVT QVINQVE ANNIS, in lucem prodie- „ runt. Huius rei oro, vt omnes pij testimonium dicant, & pro me „ orent, vt in hac fide constanter perseuerare, & consistere, ac vi- „ tam meã finire queam. Nam (quod Deus auertat) si ex tentatio- „ ne, vel in agone mortis, aliud dicturus essem, cassum esse pronun- Attende Hypo- crita. „ cio. Et hoc ipso testatum volo, quòd falsum, & A DIABOLO „ INSPIRATVM SIT, Dominus & saluator meus Iesus Chri- „ stus, in hoc me iuuet, qui cum Patre, & Spiritu sancto, Deus be- „ nedictus in secula, Amen. Hactenus Lutheri verba, bona fide, „ latinè, ex ipsius Germanicis scriptis, reddita.

Temeritas & impudentia Grynæi, in scriptis Lutheri damnandis.

Quæ cùm ita se habeant, quis temeritatem, & impudentiam Hypocritæ nostri, eiusq; extremam vanitatem, Zuingliano Theologo non indignam, non detestetur? qui in fine disputationis huius, testatur, se in aliena scripta, censoriam virgulam temerè non sumpturũ: hîc verò, tàm superbo, & arroganti spiritu, tanta temeritate, de Lutheri scriptis pronunciare audet, quæ fortassis aut nunquam vidit, aut oscitanter, aut sine iudicio, eo fortè tempore legit, quando ne ad discendum, sed DVNTAXAT AD STVDIA SVA CONFIRMANDA, *ad nos accessit. Increpet te Satan.*

I.

Certitudo doctrinę Lutheri de cœna Domini, contra Zuinglianos.

Lutherus non maiore certitudine, omnes articulos, & partes doctrinæ Christianæ, à se explicatos, & verbo Dei confirmatos, suos discipulos recipere voluit, quàm EA CERTITVDINE, *qua doctrinam suam de cœna Domini, contra Zuinglianos propugnauerit. Diligenter quoq; monet, ne quis vel ipso viuo, aut mortuo, persuaderi sibi à quoquam patiatur, Lutherum hunc articulũ non rectè, aut sufficienter examinasse: & si nunc viueret, aliter explicaturũ esse: Item, prædixit, quòd Zuingliani, ipsius scriptis,*

scriptis, suos errores sint confirmaturi. Quapropter omnes pios, tanquã testes veritatis, orat, vt huius confessionis, ipsi testimoniũ perhibere velint, si vel in tentatione, vel agone mortis, aliud esset dicturus, quàm hæc ipsius prolixa Confessio docet, se nũc hoc ipsum, tanquam falsum, & à Diabolo inspiratum, apertè damnare: in qua Confessione etiam sine omni metu, & trepidatione spiritus, πληροφορίᾳ maxima, se coram tribunali Christi comparaturum, pronunciat. In qua attestatione vsq; ad extremũ vitæ spiritũ permansit, & paulò ante obitum, in postremis suis concionib. habitis, non minus à Zuingl. errore, quàm à Papatus Idolatria, cauendum, auditores piè, & seueriter monuit. Quod nequaquã factũ fuisset, si aliter extra calorẽ contentionis, de Mysterio cœnæ Domini pronunciasset, quàm in æstu & paroxysmo disputationum factum, hîc noster Hypocrita, vanissimè nugatur.

Prophetia Lutheri de Zuuingl vanitate & impudẽtia.

Quod verò ad testimonia attinet, ex scriptis Lutheri passim corrasa, & descripta, quibus domonstrare conantur Zuingliani, Lutherum in didacticis suis scriptis, extra calorem contentionis, EANDEM CVM ZVVINGLIANIS OPINIONEM PROFESSVM ESSE, *& longè rectiùs, quàm in polemicis scriptis, sensisse & scripsisse: quàm id vanum sit, eiusq; dicta malitiosè depravata, corrupta, & in alienũ sensum, non modò contra mentẽ, & voluntatẽ Lutheri, sed etiã contra aperta, & expressa eius verba detorta, in Refutat. Cacod. Conf. ipsorum, ad oculũ demonstratũ est.*

Mendaciũ Zuuing. Luth. in didacticis scriptis cũ Zuuinglianis sensisse.

Ex quo vno, pius lector iudicium facere potest, qua fide veterum Orthodoxorum Patrum dicta & testimonia allegauerint, cùm ea impudentia sint, vt Lutheri testimonijs, suam opinionem confirmare conentur, qui ab exordio huius infœlicissimæ controuersiæ, ad externum vsq; spiritum, ipsorum hæresin oppugnauit, detestatus est, & ipsorum fraternitati in æternum renunciauit, imò eos nunquam pro fratribus agnoscere voluit, quàmdiu hunc impium errorem, contra expressa verba Testamenti Christi, profiterentur, quod Zuinglianis vehementer doluit.

Veterum Orthod Patrũ testimonia, qua fide à Comp Cacod. Consensus, producta.

Mala fides Zvuing. in Brentij scriptis, producendis.

Eandem impudentiam, quoq; in producendis D. Ioan. Brentij scriptis, testatã fecerunt. Cuius verba & testimonia passim in suis scriptis allegarunt, maximè verò in Cacodoxo Consensu, quæ in Exegesi in Ioannem, & in Syngrammate continentur. In quibus scriptis duobus, ex professo, contra Zvuinglianum errorem, pugnauit. Vbi similiter criminis falsi eos non pudet, quod fortassis Iurista Compilator, qui Orthodoxũ Consensum ipsorũ conscripsisse perhibetur, sibi propter intermissum, seu remissum iuramentũ calumniæ, licere arbitratus est, modò pessimã causam, suis malis artibus pingat. De quo in Refutatione Cacodoxi huius Consensus, satis sufficienterq; dictum est, quò lectorem denuò remittimus.

12. De Concordia Lutheri, cum Zvuinglianis inita.

Quod verò de Concordia nugatur Hypocrita, quam Lutherus cum Zvuinglianis iniuerit, in qua, tanquam curis posterioribus, quæ meliores esse consueuerunt, longè aliter senserit, & suam priorem sententiam mutauerit, ipsorum errori accesserit, atq; consenserit, longè putidissimum & flagitiosissimũ mendacium esse, in Refutatione Cacodoxi Consensus, copiosè demonstratũ est &c.

Heluetici ministri Concordiã Anno 1536. factã, nunquã subscripserunt.

Quam enim cum quibusdam Sueuicis Ecclesijs Lutherus iniuit Concordiam, eam Heluetici ministri, maximè, qui Tyguri erant, tanquam AD CONCORDIAM MALE DISPOSITI *(vt Bucerus loquitur) & qui suos auditores metuebant, nunquam receperunt, aut subscripserunt: Nec syllabam Hypocrita noster ostendere potest, id vnquam ab Heluetijs factum esse, quamuis magno studio & conatu Bucerus cum Capitone in hoc elaborarent, vt ad tantum offendiculum tollendum, in Formulam Concordiæ VVittembergæ conscriptam, ipsi quoq; consentirent.*

NB.

Tantum verò abest, vt Lutherus, vel VNVM APICEM, *in sua doctrina de cœna Domini, per hanc Concordiam mutauerit, quin Theologi, ex superiore Germania, VVittembergam missi, ingenuè confessi sint, Luthero iniuriam ab ipsis factam, quòd Capernaiticam manducationem ei imputauerint, cuius*

scripta

scripta non rectè intellexerint, sicut hoc ipsum Zuinglianis Bucerus, tanquam crimen falsi testimonij obiecit, de quo Deo sint responsuri.

Etsi verò deinceps Lutherus, pacificum animum, erga Tygurinos & Helueticos alios Theologos, quadam Epistola declarauit, id tamen inchoata duntaxat, non perfecta, aut confirmata concordia fuit. Cui causam dederunt Heluetij, confessione transmissa, in qua errori Zuinglij renunciare, & veram atq; realem præsentiam corporis & sanguinis Christi, quoq; cum Luthero, asserere videbantur. Eam, cùm candidè, non in peius, sed in meliorem partem & sensum interpretaretur Lutherus, ad Heluetios, pias, & amantes literas scripsit, & hortatus est, vt inchoatam concordiam prosequantur, & eorum clamores prohibeant, qui eam impedire conentur, donec, quicquid adhuc perturbatæ aquæ reliquum erat, subsidat, & tandem firma concordia stabiliatur.

Causa Epistolæ amicæ Lutheri ad Heluetios scriptæ.

Postquam verò Lutherus resciuit, Tygurinos pertinaciter errori Zuinglij adhuc adhærere, & sub nomine concordiæ, cum Luthero factæ, eum latius propagare, quàm antea nunquam factum esset, eo videlicet prætextu, quòd Lutherus etiam eum approbasset, sancto, pio, & ardenti zelo, illorum amicitiæ renunciauit, edita breui, sed grauissima confessione, de Sacramento Altaris, & vt omnes sibi ab impia doctrina Tygurinorum, & eorundem sociorum, diligenter caueant, sub periculo amissionis vitæ æternæ, & salutis, seueriter monuit.

Cur Lutherus inchoatæ concordiæ & amicitiæ Heluetiorum ministrorum renunciauerit.

Quemadmodum etiam paulò post factam concordiam cùm Ecclesijs superioris Germaniæ, cùm quidam gloriarentur, Lutherum suam doctrinam mutasse, ad Rempubl. Isnensem scripsit, ne huic vano rumori fidem habeant. Sicut in Refutatione Cacodoxi Consensus, integra Epistola Lutheri inserta est.

12. *Vanissimum ergò est, quod Hypocrita hoc loco addit, Lutherum, perturbationibus quibusdam indulgentem, & à nonnullis instigatum, à vero aberrasse. Nulla enim hîc animi perturbatio alia, quàm zelus sanctus, quòd vidit, Tygurinos astutè & dolosè concordia inchoata, & à Tygurinis, sicut exitus probauit, simulata, propagationem sui erroris, & veritatis oppressionem, abusos esse, quibus iure iratus est, & in hoc minimè peccauit. Nec opus fuit sancto pectori instigatore, sed Spiritu Domini accensus, veritatis doctrinæ cœlestis assertionem, & propugnationem, contra Spiritus tenebrarum, necessariam esse vidit. Ideoq; illis non pepercit, sed quibuscunq; oblatis occasionibus, Ecclesiam Dei grauiter & seueriter monuit, vt sibi* A SPIRITV, A SPIRITV *inquam, Zuinglianorum, caueant, ex cuius reuelatione, in somnio facta, Zuinglius gloriatus est, se interpretationẽ verborũ Testamenti Christi, à se confictam, didicisse, neq; tamen meminisse ait:* ATER AN ALBVS *fuerit. De quo Lutherus prædixit, quòd non minores turbas Ecclesiæ & Reipublicæ sit daturus, quàm Spiritus Anabaptistarum, quo in Vuestphalia agitati fuerunt: Senatores, inquit, qui Basilæ, & Argentorati estis, & reliqui omnes, qui eiusmodi Sacramentarios vobiscum habetis, patiamini vos per illorum sermones moneri, ne oculos vestros in loculum recondatis, sed diligentes excubias agatis. Monetarius quidem, mortuus est: spiritus autem eius nondum eradicatus est: quid enim de hoc Spiritu sentiendum sit, qui seditiosos adhuc rusticos consolatur, & excusat, & me condemnat, quòd contra ipsos scripserim, facilè est videre. Diabolus non dormit: sed adhuc inquietus est: ideòsuprà dixi: Hic Spiritus* NON EST BONVS, *nec quidquam boni per hos Suermeros meditatur:* QVAMVIS EXISTIMO, *quòd concionatores, contra quos scribo, adhuc nihil mali propositum habeant, aut meditentur.*

Lutherus non perturbationibus, sed veritati locum dedit.

Lutherus non indiguit instigatore.

In lib. cui titulus: „ Daß diſe Wort: „ Das iſt mein „ Leib/ noch veſt „ ſtehn. „ Monetarius, dux „ Anabaptiſtarũ. „

Spiritus Zuinglianorum, non est bonus.

tur. Sed, bone Deus, non sunt sui ipsorum compotes, Spiritus illos excæcauit, & captiuos tenet: ideoq; ipsis NON EST FIDENDVM. *Nam quicunque Spiritus Christi carnem soluit, non est ex Deo, inquit Ioannes, & addit, hoc ipso probari Spiritus: hic autem Spiritus soluit carnem Christi, quoniam ex ea inutilem carnem facit:* IDEOQVE NON POTEST ESSE BONVS SPIRITVS. *Ego moneo, & consulo, caue tibi, diligenter prospicias:* SATAN INTER FILIOS DEI VENIT. *Hactenus Lutheri verba.*

Hanc grauissimam admonitionem Lutheri, vtinam Patroni Zuinglianorum, & Caluinianorum Doctorum, non contemnerent: sic enim & sibi, Reipublicæ, & Ecclesiæ, melius consulerent, quando intelligerent, non Spiritum sanctum, sed Satanam esse, qui inter filios Dei, hoc est, synceros Euangelij Doctores venerunt, & plurimis in locis, subditorum animos, aut extraneum militem hortati sunt, instar Spiritus Monetarij in Vuestphalia, vt arma, contra ordinarium Magistratum, ad defensionē impiæ doctrinæ suæ, sumerent, quod in Gallijs & Belgico factum esse, Hypocrita noster negare non potest. Atq; idem in Germania meditatur, & nisi Dominus auertat, perficiet. Est enim timidus, & proteruus Spiritus, qui non Deo, sed brachio humano confidit: In rebus enim aduersis, simulare & dissimulare potest, si humana præsidia desint. Sed cùm auxilij humani spes affulget, confidentes, & proterui sunt, & ad motus excitandos alacres, quod exempla docent.

Quisquis ergo his notis hunc Spiritum cognoscere non potest, aut non vult, frustrà admonitiones aliæ instituuntur, quibus se errantes doceri patiantur. Pijs verò sufficit hoc vnum, quòd à verbis Testamenti Christi apertis recedant, & se ad humana somnia conuertant, Zuingliani. Ideoq; ipsorum opinionem sibi nunquam persuaderi patientur.

Appro-

14. Approbatio Palinodiæ Berengarianæ.

Approbationem Palinodiæ, Papæ Nicolai iussu Berengario præscriptam, quòd dicit Opinator etiam inter errores Lutheri numerandam esse, (quam Scholiastæ Iuris Canonici displicuisse affirmant, quia asserat, corpus Christi dentibus teri) quòd Lutherus perturbationibus indulgens confirmauerit, de eo simpliciter quoq; in Refutatione Cacodoxi Consensus Zuinglianorum, & Caluinianorum, copiosè dictum est.

Apologia Palinodiæ Berengarianæ.

Nihil enim hæc Palinodia Berengarij continet, quod non in scriptis Orthodoxorum Patrum passim inueniatur: quæ sic sonant: Ego Berengarius &c. cognoscens veram, Catholicam, & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresin, præcipuè eam, de qua ego hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramenta, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & non posse sensualiter, nisi in solo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem S. Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedi, & ore, & corde confiteor, de Sacramento Dominicæ mensæ, eandem fidem me tenere, quam Dominus, & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus, authoritate Euangelica, & Apostolica, tenendam tradidit, mihiq; confirmauit, scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem, non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solùm Sacramẽtum, sed in veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, &c. qui nequaquam in gratiam Romani Antichristi locuti sunt, aut scripserunt quidquam, sed verba Testamenti Christi, oculis fidei intuentes, Mysterij huius altitudinem & sublimitatem, pia & sancta confessione celebrarunt, qui corpus Christi videri, manibus palpari, labijs & dentibus attingi, & in os ingredi, deniq; ei dentes infigi dixerunt. Quod cùm in Patribus impro-

improbare non audeat Hypocrita, deprauare tamen, & calumniosè ac falsò interpretari studet.

Cùm igitur, neq; à verbis Testamenti Christi, neq; à verbis & sententia orthodoxorum Patrum, quidquam alienum, aut nouum contineat hæc Palinodia, Lutherus eam non solùm approbauit, sed etiam factum Nicolai Papæ, piè & rectè commendauit. Cuius exemplum, si omnes Romani Episcopi, in omnibus doctrinæ partibus syncerè conseruandis, secuti fuissent, Antichristus sedem suam Romæ nunquam stabilire potuisset. Commendatione facti Papæ Nicolai Lutherus nō peccauit.

Nullo enim modo hâc Palinodiâ transubstantiatio pontificia stabilitur, sicut quidam falsò putant: multò minùs etiam Capernaitica laniena carnis Christi asseritur, quam Scholiastes Iuris Canonici, huius Mysterij, & scriptorum Ecclesiasticorum primitiuæ Ecclesiæ ignarus, metuebat fieri: Sed vnionis Sacramentalis cognatum explicatur, qua signato tribuitur, quod signi proprium est, & simul realis præsentia corporis & sanguinis Christi, in Sacramento, asseritur. Palinodia Berengariana transsubstantiatio non cōfirmatur.

Vt autem speciem aliquam haberent, Compilatores Cacodoxi Consensus, reprehendendi Lutherum, quòd hanc Palinodiam confirmasset, crimen falsi, in Palinodia Berengarij recitanda, committere non sunt veriti, vbi casu vocabuli Sacramenti accusatiuo, in ablatiuum mutato, (Sacramento, pro Sacramentum) posuerunt, & hac permutatione casuum, etiam sententiam Palinodiæ peruerterunt, quasi contineat, & asserat: Corpus Christi sensualiter dentibus teri, quod à sententia Palinodiæ alienissimum est, sicut in Refutatione Cacodoxi Consensus demonstratum est. Crimen falsi, in Palinodia Berengarij recitanda.

Nequaquam igitur errauit Lutherus, approbando Palinodiam Berengarij, cùm nihil absurdi, aut impij contineat, sed Lutherus approbatione Palinodiæ Berengarij non errauit.

veritatem Mysterij explicet, cùm dicit: Non solùm Sacramentum sensualiter, sed etiam in veritate CORPVS CHRISTI, *manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: quod de præsentia* CORPORIS CHRISTI *non Physica, aut manducatione Capernaitica, sed quæ fit in Mysterio, intelligitur: vbi propria signi, rei signatæ, propter vnionem Sacramentalem tribuuntur, cùm propriè pani* TANTVM COMPETANT. *Sicut in* VERITATE *de Spiritu sancto prædicatur, quòd visibiliter de cœlo descenderit, quorum neutrum illi, proprietate naturæ conuenit: qui neque videri potest, neque de loco in locum mouetur: cùm sit Spiritus, qui orbem terrarum replet.*

16. Sacramentalis manducatio carnis Christi, pijs & impijs communis,

Sic quoq; res manifesta est, & apertis verbis Apostoli confirmata, non modò fidelibus & dignis, sed etiam infidelibus & indignis, carnis CHRISTI *manducationem communem esse.* NON AVTEM *illam, de qua Ioannis sexto, quæ nihil aliud est, quàm verè in* CHRISTVM *credere, quòd corpus suum pro nobis in mortem tradiderit (id enim tam absurdum esset asserere, quàm absurdum esset, si quis diceret: infidelem esse fidelem, aut, non credentem verè credere) sed Sacramentalem, quæ ore fit, & tam ab indignis, quàm dignis fieri potest, non tamen eodem effectu, sed ab his ad vitam, ab illis ad iudicium, sicut Apostolus testatur. De qua, cùm suprà, & in Refutatione octaui & noni capitis Cacodoxi Consensus dictum sit, lectorem prolixiore tractatione non detinebimus.*

Explicatio iudicij, quod sibijpsis mãducant indigni. Ioan. 5.

Cùm enim CHRISTVS *non modò Saluator sit, sed etiam iudex, cui Pater omne iudicium dedit, apertè testatur Paulus, indignos iudicium manducare, quia non dijudicent* CORPVS DOMINI: *sicut pij vitam & salutem, quorum*

verumq;

vtrumque efficaciter operatur Christus, in Mysterio realiter præsens: iudicium in illis per incredulitatem, in his autem vitam & salutem per fidem: iuxta illud Prophetæ: Iustus ex fide viuet. Neque in hac manducatione indignorum in se polluitur Deus, sicut neq; impij & infideles sanctificantur: sed exercet CHRISTVS *in his iustitiam suam, eos propter impietatem puniendo, sicut misericordiam & bonitatem suam erga fideles, eos sanctificando: quorum vtrumque in Christo laudandum & celebrandum, cùm omnium virtutum in* DEO, *vna & eadem laus & commendatio sit, quia non sunt accidentia in Deo, sed ipse Deus.*

17. Vsus vnius speciei non est adiaphoron.

Quòd porrò ait: vsum vnius speciei, inter adiaphora Lutherum numerasse, apertum quoque est, & impudentissimum mendacium. Nam etsi in institutione de visitatione Ecclesiarum consuluit, infirmos non esse ad communionem sub vtraque specie, intempestiuè vrgendos, multò minùs cogendos, non tamen docuit, vsum vnius speciei esse Adiaphoron. Quin potius in conuentu Augustano, anno 1530. cùm tanquam adiaphoron flagitassent sibi concedi Pontificij, Lutherus admodum seriam Epistolam ad Philippum Melanthonem scripsit, vsum vtriusque speciei NEQVAQVAM ADIAPHORON, *sed expressum mandatum* CHRISTI *esse: ideoque illos neque posse, neque debere largiri Pontificijs. Vbi etiam grauiter monet, ne plus largiantur pacis causâ aduersarijs, quàm in ipsorum potestate sit largiri: inter quæ minimè numeranda sunt, quæ expressum Dei mandatum habent, cuiusmodi est, communio sub vtraq; specie. Ideoq; Papistas posse remittere communionem sub vna specie, quæ sit mera traditio humana: communionem autem sub vtraque specie, cùm sit à Christo mandata, ideò in nullius hominis gratiam mutari posse, aut debere.*

Consilium de vsu vnius speciei, infirmis à Luthero datum.

Hæc Lutherus tam accuratè, tam circumspectè scripsit, nec tamen morsum Sycophantæ nostri effugere potuit, nulla ratione habita eius, quòd testatur, se virgulam censoriam non temerè in aliena scripta sumpturum. Sed quæ temeritas est, si hæc non est? cum insigni malitia & ignorantia coniuncta.

Lutherus non bipenni Zvuingliana reformauit Ecclesias.

Sed dolet fortassis Hypocritæ, quòd instar Zvuinglianorum, Lutherus bipenni non reformauerit Ecclesias, sed exemplo Pauli infirmis infirmus, & omnibus omnia factus, vt multos lucrifaceret DOMINO. *Ideoque sub initium renati Euangelij, ad tempus tolerauit plurima, quæ non probauit, donec animis in veritate confirmatis, & cùm nihil scandali amplius metuendum esset, ad normam veritatis omnia accuratissimè reduxit.*

18. Eleuatio Sacramẽti verè adiaphorõ.

Longè verò aliud est, eleuatio Sacramenti, quam rectè inter adiaphora numerauit Lutherus, quòd neque mandata, neque prohibita sit à Christo. Eam cùm Carolstadius intempestiuè abrogaret, sicut & imagines, priusquam animi auditorum in doctrina Euangelij confirmati essent, acriter se illi opposuit Lutherus, & eam tantisper in sua Ecclesia retinuit, donec sine offendiculo, vt alia non necessaria, omitteretur. Adiaphoron tamen esse, Hypocrita nunquam negare poterit: cùm in verbis Testamenti Christi, neq; mandata, neq; prohibita sit. Ideoq; tanquam peccatum, in nulla Ecclesia damnanda, in qua rectè de cœna Domini docetur, & eius vsus in Idolatriam non permutatur.

19. *Idem iudicium de reliquis quoque scriptis Lutheri, quæ Hypocrita noster ἐμμάτων δαύματα appellat, quæ in nullius, quantumuis clari emeritiq; hominis gratiam, sanis homini-*

hominibus, qui naso se duci non ferunt, recipienda sint, non tamen quæ illa sint, enumerat: eorum verò mentionem generalem ideo facit, vt non modò Lutherum in suspicionem errorum plurimorum adducat, & lectori nauseam moueat, quò minùs, tanquam adhuc pontificijs addicti, scripta legat, aut magnifaciat, quorum lectione nouit, opinionem hanc ipsorum vanissimam, de cœna Domini, hominibus facilè eximi posse: sed simul nos quoque grauare voluit Hypocrita, quasi absurda dogmata, duntaxat in gratiam Lutheri probemus, tanquam clari & emeriti, à quo vel tantillum dissentire nobis religio sit, nostrosq; auditores quasi naso ducamus, ne aliter propter Lutheri authoritatem hiscere audeant. Quorum vtrumq; vaissimum, commentum, & turpissimum mendacium est.

Etsi enim minimè negamus, quin ipse Lutherus, in præfatione super Tomos suorum librorum (in quos redacti, proh dolor sepulti, & ex manibus hominum ablati sunt) fatetur, in suis scriptis multa & magna contineri, quæ Papæ concesserit: posterioribus tamen temporibus ea, pro summa blasphemia, & abominatione se habuisse, & execrari, testatus est. Lutheri ingenua confessio, quom. in cognitione veritatis profecerit.

Ante omnia, inquit, oro pium lectorem, & oro propter ipsum DOMINVM *nostrum Iesum Christum, vt ista legat cum iudicio, imò cum multa miseratione, & sciat, me fuisse aliquando Monachum, & Papistam insanissimum: cùm istam causam aggressus sum, ita ebrium, imò submersum in dogmatibus Papæ, vt paratissimus fuerim, omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui Papæ vel vna syllabâ obedientiam detrectarent. Tantus eram Saulus, vt sunt adhuc multi. Non eram ita glacies & frigus ipsum, in defendendo Papatu, sicut fuit Eccius, & sui similes, qui mihi verius propter suum ventrem Papam defendere videbantur, velut Epicuræi. Ego seriò rem agebam,* In præfat Tom. 1. scriptorū suorum.

VT QVI DIEM EXTREMVM HORRIBILITER TIMVI,

& tamen saluus fieri, ex intimis medullis cupiebam. Ita inue-
nies IN ISTIS MEIS SCRIPTIS PRIORIBVS, QVAM MVLTA, ET MAGNA, HVMILIME *Papæ* CONCESSERIM, QVÆ POSTERIORIBVS, ET ISTIS TEMPORIBVS, PRO SVMMA BLASPHEMIA ET ABOMINATIONE HABEO, ET EXECROR. *Dabis ergo hunc errorem, pie lector, vel,* (VT IPSI CALVMNIANTVR) *antilogiam tempori, & imperitiæ meæ.* SOLVS *primò eram, & certè ad tantas res tractandas ineptissimus & indoctissimus: casu enim, non voluntate, nec studio, in has turbas incidi, Deum ipsum testor. Hactenus verba Lutheri, quibus ad θαύματα ῥημάτων respondet, quæ Sycophanta noster sua censoria virgula notat, & nobis in Luthero obijcit. Ea si legit, & reprehendit, à malitia excusari non potest: sin verò non legit, censoria eius virga temeritatis notam non effugiet. Ingenuè enim & apertè egit Lutherus, quod ad confessionem veritatis attinet, nihil simulans aut dissimulans. Quapropter calumnias appellat antilogias, in scriptis ipsius per Pontificios collectas, cùm ipse errores primorum annorum fateatur, quos in posterioribus, tanquam blasphemos damnauerit, & execratus sit.*

Quàm humiliter de seipso senserit Lutherus.

Responsio ad θαύματα ῥημάτων.

Quibus calumniatoribus longè peiores sunt, & magis malitiosi, Caluinistæ & Zuingliani, qui ex Lutheri scriptis non errores colligunt, quos aliquando, cùm adhuc Papista esset, pro veritate defenderit, sicut à Pontificijs factum est: sed rectè, piè & sanctè dicta, & scripta, per Satanicam calumniam deprauant, corrumpunt, & in alienum sensum detorquent, vt suis auditoribus confictis antilogijs fucum faciant, quasi Lutherus à se ipso dissentiat, & extra calorem contentionis, & illius æstum atq; paroxysmum, multò rectiùs de cœna Domini scripserit, quàm in Polemicis scriptis eius factum sit.

Caluiniani, in confingendis antilogijs in scriptis Lutheri, papistis longè deteriores.

Quàm

Quàm verò id vanum sit, in Refutatione appendicis Cacodoxi ipsorum Consensus demonstrauimus: vbi magno numero Lutheri, de Sacræ Eucharistiæ negotio, sententias recitarunt, quæ, ipsorum opinione, cum veritate, & ijs, quæ Lutherus alibi rectiùs senserit & docuerit, conciliari nullo modo possint.

Adeò verum est, quod Christus ait: Cùm immundus spiritus exierit à quopiam, transit per arida loca, quærens requiem, & non inueniens, dicit, reuertar domum, vnde exiui. Veniens igitur, inuenit eam versam & ornatam: tunc proficiscitur, & assumit septem alios spiritus PEIORES, QVAM IPSE SIT, *& ingressi, habitant illic, fitque vltima conditio hominis illius deterior, priore. Id quod in Caluinistis & Zuinglianis* CALVMNIATORIEVS, *apertè videre licet: qui in calumnijs excogitandis, Papistas longè superant.* Luc. 11.

Quapropter, non inconuenienter etiam illud Christi in ipsos, sed verè, dici potest: Væ vobis Zuingliani & Caluinistæ, Hypocritæ, quoniam circumitis mare, & aridam, vt faciatis VNVM *proselytum, & cùm fuerit factus,* FACITIS EVM FILIVM GEHENNÆ, DVPLO MAGIS, QVAM VOS SITIS. Matth. 23. Papista conuersus ad Caluinistas quo loco habeatur.

Siue enim blasphemias in Christum, siue calumnias spectes, Zuingliani & Caluiniani Papistas longè superant, quibus in blasphemijs se Iesuitæ Nestoriani nunc coniungunt, de quibus Lutherus in libro de Concilijs prophetauit, quòd in pontificio regno latitent, suo tempore erupturi, qui nunquam in corde suo VERE CREDIDERINT: *hominem* ESSE DEVM. *Quibus Filius Dei modum statuet, & illustri suo aduentu, ipsorum blasphemijs finem faciet.* Tom. 7 fol. 251. Prophetia Lutheri de Nestorianis in PAPATV. In Postilla maiore in dominica Iudica.

Et hæc quidem hactenus de Luthero, contra Hypocritæ nostri ca-

stri calumnias & mendacia: qui non modò temerè, sed improbè, flagitiosè ac sceleratè, superbo & Hypocritico spiritu, de Luthero & scriptis eius iudicat, cuius vmbram, si viueret, vix aspicere ausus fuisset. Nihil enim scripsit Lutherus, quod non prius diligentissimè expenderit, &, an verbo Dei Analogon sit, & coram Deo consistere possit, ad Scripturæ Sacræ examen accuratissimum reuocauerit. Id scripta eius loquuntur, & piæ mentes testantur, qui ea legunt. Quorum respectu, Scriptorculorum nostrorum nouitiorum, Caluinianorum & Zvuinglianorum inprimis, frigent, in quibus nullus spiritus est. Lutherus verò in scriptis suis VIVIT, *quæ spiritum Domini spirant, qui non admittit tepidum lectorem, sed quis quis eius scripta legerit, aut amat, aut irascitur: vsq; adeo nihil dixit aut scripsit Lutherus frigidè. Sed de his satis.*

Confutantia principia.

Nunc quoque examen principiorum suscipiamus, quibus Hypocrita nos ad confutationem ipsorum erroris vti affirmat.

I.

Contemptus rationis humanæ.

Primum dicit esse, CONTEMPTVM RATIONIS HVMANÆ, *quod manifestè falsum est. Nobis enim confutantia & confirmantia principia eadem sunt, videlicet,* VERBA TESTAMENTI CHRISTI, *quibus fidem & confessionem nostram nostram de cœna* DOMINI *confirmamus, & falsam opinionem Zvuinglianorum refutamus.*

Vnum principium cõfirmans nostrã, & refutans aduersariorũ doctrinã, verbum Dei.

Nam sicut ideo credimus veram & realem præsentiam corporis & sanguinis Christi, quia Christus dixit: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: sic non credimus, panem & vinum duntaxat significare corpus Christi, & sanguinem eius, quia Christus non dixit: Hoc significat corpus meum: Hoc significat sanguinem meum. Hoc inquam institutionis verbum, est primum, medium, & vltimum, adeoq; vnicum principium, confutans errorem Zvuinglianorum & Caluinianorum. Ab hoc verbo & textu non recedimus ad glossam humanam, quæ huic verbo contra-

contrariatur, & corpus in vmbram conuertit, & Ecclesiæ Dei putamina pro nucleo offert.

Huic verbo insistimus, & rationem humanam, adeoq; omnem intellectum eius subijcimus, captiuum ducimus in obsequium Christi, ET OMNES EIVS RATIONES CONTEMNIMVS, *quas contra* SCRIPTVM *verborum Testamenti Christi suggerit, videlicet,* QVOMODO *panis possit esse corpus Christi? Quomodo possit adesse, cùm sit in cœlo? quomodo possit ore manducari? Has, inquam, cogitationes rationis humanæ* CONTEMNIMVS, *tanquam Deo inimicas, & verbis Testamenti contrarias.* 1. 2. 3.

Quapropter, sicut contemptum rationis humanæ nequaquã inter principia numeramus, sed eorum consequens esse dicimus: (id enim credere dicimur, quod non intelligimus, cùm fides sit hypostasis, seu substantia rerum sperandarum, & ἔλεγχος rerum non apparentium:) ita ingenuè etiam fatemur, in huius Mysterij consideratione, nos IVDICIVM RATIONIS HVMANÆ *prorsus abijcere, captiuum ducere, & tanquam Deo inimicum damnare. Id cùm in nobis improbet Opinator noster, quò Diabolus per illum, & in illo, tendat, & quid sibi velit, facilè intelligi potest. Sed priusquam hoc ostendamus, videbimus, qua ratione contemptum rationis in nobis reprehendat.* Contemptus rationis nõ inter principia numerandus.

Quia (inquit) est radius diuinæ sapientiæ, post lapsum primorum parentum nostrorum quidem obscurata, postea tamen rationis efficacitate fit πνευματικὴ *seu spiritualis, quo nomine ingrati hominis esset, eximium Dei donum vilipendere, & tragicè exagitare. Hactenus Hypocritæ verba.* Commendatio Zuingliana rationis humanæ.

Sed quid tibi videtur pie lector, de nouo homine, seraphico hoc Doctore, Academiæ Heidelbergensis deformatore (reformatore dicere volui) sine vera & legitima vocatione, contra vltimã voluntatem & Testamentum, optimi & pijssimi Electoris Ludouici Palatini, eiusq; legitimorum executorum, viuente relicto filio Grynæi commendatio.

regni successore, expulsis passim syncerioris doctoribus, irrumpente, qui subinde in hac Disputatione INGENIOSAM IVVENTVTEM *alloquitur, cuius regenerata ratio, hæc mysteria non credat, sicuti crassi Lutherani docent, qui suos auditores naso circumducunt, & eis credenda proponunt, quæ regeneratorum ratio non intelligat, sed beneficio rationis humanæ vtatur, & ex principijs philosophicis veris, de vero & naturali corpore* INTELLIGAT, INTELLIGAT *inquam Mysteria hæc, nec contra iudicium huius rationis regeneratæ, sibi ea persuaderi patiatur, quæ cum regeneratæ rationis intelligentia pugnant. Hæc doctrina* INGENIOSÆ, ET OPINIONE ERVDITIONIS TVRGENTI *iuuentuti, grata est, hanc auidè amplectitur: ea enim supra vulgus sapit, & se intelligere somniat, quæ imperitum vulgus duntaxat credat. Quæ etiam vnica causa est, quòd passim in quàm plurimis locis, opinio hæc illinimento verbi Dei fucata, tantum applausum, præsertim apud ingeniosam iuuentutem in Scholis habet, quæ illam admiratur, & semel hausto veneno, non facilè amplius antidotum admittit.*

Ingenioſæ, & opinione eruditionis inflatæ iuuentuti, grata Grynæi oratio.

Deinde, contra contemptores rationis humanæ declamitant, tanquam contemptores singularis doni Dei, & radij diuinæ sapientiæ, qui hoc, de rationis humanæ contemptu, principio posito, nihil non hominibus, tanquam bardis & stultis, persuadere possint. Longè verò alia (inquiunt) est nunc rationis humanæ conditio, postquã homo regeneratus, & ratio eius quoq; renouata est, vt post regenerationem intelligat, quæ ante regenerationem intelligere non potuit. Quapropter quisquis regeneratus fuerit, eum Mysteria Regni Dei intelligere, minimè dubium sit.

Declamationes pro cõmendatione rationis humanæ regeneratæ.

1. *Id quomodo in Mysterio cœnæ, de sententia Zvuinglianorũ, fiat, suprà in refutatione Thesis 25. ostensum est. Nam primùm omnium, regenerata ratio intelligit proprietates humani corporis essentiales, & huic principio, tanquã in Theologia etiã vero, fidem non derogat. Quod cùm sit locale, & nostris corporibus conforme, intelli-*

Quom regenerata ratio humana intelligat Mysterium Eucharistiæ.

2.

intelligit quoq; quòd non simul in cœlo & in terra esse possit. Quo posito, etiam intelligit, in verbis cœnæ Domini necessariò Metonymiam statui, qua signo NOMEN DVNTAXAT REI SIGNATÆ *tribuitur, ipsa verò res,* NVLLO MODO REALITER ADEST. *Vnde colligit, quòd Sacramentum Eucharistiæ sit panis & vinum, cum relatione ad corpus & sanguinem Christi, quod significat & repræsentat, ad memoriam mortis Christi celebrandam, & conseruandam.* 3. 4.

Hæc, scilicet, est regeneratæ rationis collectio, quam nullus hominum extruere, aut intelligere posset, cuius ratio non est regenerata. Mirum, si hypocrita ipse quoq; non rideat, talia INGENIOSÆ IVVENTVTI PERSVADENS. *Quid enim hoc est aliud, quàm in diuinis rebus cœcæ rationis humanæ argumentatio? quam Aristoteles, & Plato, cæteriq; Philosophi, hoc posito principio, tàm conficere potuissent, quàm Hypocrita noster, & Zuingliani possunt, qui de regenerata ratione gloriantur, quum ipsis non regeneratis Philosophis, magis cæci sint. Quid.n. in hac tota collectione est, quod rationis humanæ non regeneratæ iudicium excedat? Et ea fuit Aristotelis & Platonis intelligentia, si vnquã verbum aliquod saltem, de corpore Deificato, seu cum Diuinitate vnito, audiuissent, tanquam sophistic ũ hoc rationis Grynæi regeneratæ argument ũ, apertè damnassent, videlicet, si quis à proprijs corporis, vel etiã corporis animati, ad corpus Deificat ũ argumẽtatus fuisset, ad deroganda ei, respectu alior ũ corporum, propria, quæ illi à diuinitate infinita, & supra naturã humanã accesserunt.* Refutatio figmenti de regenerata ratione humana.

Sed heus, bone vir, in qua Theologica Schola ITA TVA CONFIRMASTI STVDIA, *vt ea, quæ Spiritus sanctus nobis* CREDENDA *proposuit Mysteria, tu ratione regenerata* INTELLIGENDA *proponas? In qua Schola Theologica, quæso, hoc didicisti? Tubingæ non: eò.n. non ad discendum, sed ad confirmãda tua studia sòlùm accessisti. Sed ne quidem hæc opinio tua, vel in* Apostrophe ad Grynæum.

Quæ Deus credenda, Grynæus intelligenda proponit.

Schola Philosophica apud nos CONFIRMATA EST: *philosophiæ enim naturalis Professor, M. Georgius Lieblerus, cuius ratio & mens quoq; regenerata est, tibi id nunquam largitus fuisset. In Schola autem nostra Theologica, non modò improbari, sed contemni, & damnari, non ignoras.*

Quis igitur te hoc ab initio docuerit, & idem in te CONFIRMAVERIT, *non sine causa miraremur, nisi nobis notum esset,* TE HÆC IN SCHOLA *Zvuingliana didicisse,* IN QVA *Professore Theologũ agit spiritus, de quo Zvuinglius* ATER AN ALBVS FVERIT, *non meminit. Is mentem tuã superbam excæcauit, vt cæcum rationis humanæ iudicium, tanquam diuinæ sapientiæ radium prædicares, quæ etsi lapsu primorũ parentum* OBCSVRATA *sit, non tamen prorsus extinctam esse, sed post regenerationẽ factam, ita illuminatã diuinitate, vt ex naturalibus principijs* INTELLIGAT, *quæ sit Mysterij Eucharistiæ ratio. Quod vt intelligas, quæso patienter me, nõ te docentẽ, sed dum taxat* STVDIA TVA NONNIHIL CONFIRMANTEM, *feras.*

Confutatio ab exẽplo Pauli regenerati.

Principiò enim ex te quæro, an D. Paulum etiam regeneratum, & mentẽ eius quoq; regeneratam, πνευματικὸν & spiritualem fuisse credas, cùm suas Epistolas scriberet? quod fortassis non negabis: cùm.n. raptus fuerit in tertiũ cælũ, & audierit ineffabilia præ alijs hominibus, intellectus eius regeneratus & illuminatus fuit. Id si verum est, amplius quæro: an de renatis, vel non renatis, adeoq; etiam de seipso loquatur, cùm inquit: Captiuum ducentes omnẽ intellectum nostrũ in obsequiũ Christi? Quod si concesseris, concidit tuũ cresphygeton, de regenerata ratione: sin verò negaueris, fatearis necesse est, Paulum ea intellexisse, quæ alij dũtaxat crediderunt, quod æquè absurdũ est. Aut vbi quæso Paulus docuit, Credere idem esse, quod ex principijs Philosophicis INTELLIGERE? *Fide (inquit Epist. ad Heb.) intelligimus, constructũ esse mundũ Verbo Dei, vt quæ cernimus, non sint ex apparentibus*

2. Cor. 10.

Discrimẽ inter credere & intelligere.

Cap. 11.

rentibus facta. Hîc intelligentiæ fidei obiectum ponitur, verbum Dei, quod non intelligitur, nisi credatur, vt hoc ipsum intelligere nihil aliud sit, QVAM CREDERE HVIC VERBO, *cui ratio in nobis perpetuò reclamat, & eius νόημα, seu cogitatio extra verbum, & in res ipsas intenta,* SEMPER, OMNI TEMPORE ET LOCO, *est captiua ducenda in obsequium fidei & Christi.*

Sic fide intelligimus carnis resurrectionem, in verba promissionis respiciendo. Ratio autem nunquam intelligit, quæ etiam captiua semper reluctatur, ideoq; perpetua pugna carnis & spiritus est, non in non regeneratis, in quibus non est spiritus gratiæ, ideoq; etiam illam pugnam carnis & spiritus ignorant: sed in regeneratis: nec de crassa concupiscentia carnis tantum intelligenda est hæc lucta: ea enim minima huius pugnæ pars est, sed intelligenda est maximè, DE PVGNA FIDEI ET RATIONIS HVMANÆ, *vbi ratio semper repugnat: ideo etiam semper* MORTIFICANDA, *reprimenda, & repellenda est, cum suis splendidis cogitationibus, & in obsequium verbi Dei captiua ducenda. Quod per fidem simplex Christianus* MAGIS INTELLIGIT, *quàm ingeniosus homo, qui* NON SOLVM CREDERE, *sed etiam suprà vulgus* SE INTELLIGERE, *putat.*

Quòd si verò semel apud te decretum factum est, quòd nihil velis à nobis discere, vel saltem virum doctissimum, Iacobum Stapulensem audire non graueris, cuius hæc sunt verba: Qui fide capit, Patrem esse Deum, & Filium Dei esse Deum, verè cognoscit, quòd Filius est in Patre, & Pater in Filio, ET QVOD ALITER ESSE NON POTEST: *& gaudet, quòd eius rei cognoscendæ* NON EST MODVS, ET RATIONEM CEVSTVLTAM *admodum &* DELIRAM RIDET, *quæ semper* MODVM *earum rerum, quarum non est modus, quærere vult,*

ET IDCIRCO IN VANVM LABORAT: *Perinde ac si oculus contenderet videre sonum, qui est inuisibilis. Diuina hæc & sublimia Mysteria: Sonus, auditus, ratio, oculus:* VT AD SONOS AVRIS VIDET, ET CÆCVS EST OCVLVS: *sic &* AD DIVINA FIDES VIDET: ET RATIO CÆCA EST. *Hactenus Stapulensis verba. Sed num is quoq; tibi videbitur de non regeneratorum ratione loqui? Hæc si non vides, cæcus es, vt maximè te ducem cæcorum esse glorieris. Cum regeneratis Stapulensis (sicut Apostolus Paulus quoq;) loquitur, horum ratio in hoc seculo cæca est, & manet cæca, quæ Mysteria non intelligit, sed fides intelligit, & rationem captiuam tenet, quæ etiam in electis & regeneratis fatetur, se Mysteria hæc intelligere non posse,* DONEC FIDES ABOLEBITVR, *tum intelliget.*

Ex quibus omnibus constat, INTELLIGENTIAM *diuinorum Mysteriorum omnem, in fide collocatam esse, qua intelligimus, quæ ratio non intelligit, imò quisquis rationi suæ indulget, eo ipso iam à verbo Dei recedit, & in fide deficit. Cuius rei illustre exemplum nobis in Nicodemo proponitur, cùm Christum de regeneratione differentem audiret. Fides autem* SOLVM VERBVM DEI INTVETVR: *Cui contra iudicium rationis assentitur, & quam fides* CAPTIVAM DVCIT, *neque liberam amplius dimittit, &* ADVERSVS *illam, vsque ad mortis articulum pugnat. Hæc vera esse, nemo pius ignorat: Ea quomodo cum encomio rationis regeneratæ consentiant, quod ei Hypocrita in rebus diuinis tribuit, ipse videat.*

Pugna fidei & rationis in renatis perpetua.

20. *Admodum verò ineptè, ad hunc suum errorem confirmandum, testimonium Dauidis, ex Psalmo, accommodat. Scriptum enim est (inquit) ne sitis sicut mulus, & sicut equus, in quibus non est intellectus: capistro & fræno, maxillam illorum constringis, ne accedant ad te. Psal. 32. 9. Loquitur enim Psaltes de intelle-*

Inepta accommodatio testimonij ex Psalmo de intellectu.

intellectu fidei, quo homo verbum Dei amplectitur, non ratione humana intelligit, sicut proximè præcedens versus ostendit, cùm inquit: INTELLIGERE *faciam te, & docebo te, viam, per quam gradieris, consulam tibi oculo meo. Quomodo autem facit nos intelligere? Addit, docebo te viam. Verbo (inquam) docet nos intelligere. Verbum autem non nisi per fidem intelligitur, cui ratio semper reclamat.*

Quod maximè in Mysterio Eucharistiæ manifestum est, vbi ratio humana, siue regenerata sit, siue non renata, in hoc seculo nunquam intelligit, quomodo panis sit corpus Christi, vinum Eucharistiæ sit sanguis Christi. Fides autem, rationem captiuam ducens in obsequium fidei & Christi, intelligit. De quo Chrysostomus ait: Credamus VBIQVE DEO, *nec repugnemus ei, etiamsi* SENSVI & RATIONI *nostræ absurdum esse videatur, quod dicitur, superet &* SENSVM & RATIONEM NOSTRAM, *&c. Hìc forte aßis, iudicio Hypocritæ nostri, etiam Chrysostomo opus fuisset, vt melius sua studia Basileæ in Schola Grynæiana confirmasset, qui de Christianis & ipsorum ratione loquitur, tanquam non regenerati essent: ideoq; iudicio Grynæi, ingratus Deo, qui tam eximium Dei donum vilipendit, & tragicè exagitat. Nam de non regeneratis quidem verum esse, quod illorum rationem superet Mysterium Eucharistiæ, nequaquam verò de ratione regenerata idem asserendum, neq; eius iudicium contemnendum esse, ne Deo pro radio suæ sapientiæ ingrati reperiamur. Idem reliquis quoq; accidet orthodoxis antiquitatis Doctoribus, quos in Scholam suam reuocabit deformator hic Ecclesiarum & scholarum, vt desinant rationem humanam contemnere, & Dei donum tam vilipendere, & tragicè exagitare.*

" Cœna Domini Mysteriũ, quod creditur, non " intelligitur.

Nos verò cum Paulo Apostolo, Chrysostomo, Luthero, & omnibus syncerís & orthodoxis scriptoribus Ecclesiasticis, pergemus, quoad vixerimus, ratione, & iudicio eius, in rebus diuinis, & Mysterijs regni Dei, etiã in regeneratis, non modò contemnere,

Ratio humana etiam in regeneratis contemnenda & exagitanda.

sed

sed etiã detestari & execrari, quòd à verbo Dei expresso, nos ad physicas considerationes corporis humani, perpetuò reuocet, & Mysterium euacuet: quod ratio humana, siue regenerata, siue non re-

2. Cor. 5. *generata,* NVNQVAM INTELLIGIT, *quamdiu per fidem incedimus, & à Domino peregrinamur.*

21. *Sed videamus quoq; secundum principium, quod inter nostra confutantia principia numerat Hypocrita: videlicet, irrisionem veræ Philosophiæ: ex quo iterum pius lector facilè intelligit, quid, & quò velit Satan, & quid in Zuinglianis meditetur.*

Secundum principium.

Irrisio veræ Philosophiæ.

D. Paulus diligenter monet, vt nobis caueamus, ne quis nos

Coloss. 2. *decipiat* PER INANEM PHILOSOPHIAM. *Opinator autem noster nos reprehendit, quòd Philosophiam contemnamus.*

Admonitio Pauli de Philosophia.

Sed aiis, Paulus scribit de inani Philosophia, sed Grynæus loquitur de vera Philosophia. Cui ego vicissim, num verò Paulus de illa vera Philosophia non locutus est? Cui & Philosophia, quam

Act. 17. *hîc prædicat Hypocrita, & Philosophi non ignoti fuerunt, cum quibus Athenis contulit, cùm ex secta Epicureorum & Stoicorum, cum illo conflictati sunt.*

Paulus cum Philosophis disputauit.

Neq; enim D. Paulus cum illis, neq; illi cum Paulo de ijs litigabant, quo nomine Philosophi potissimum appellabantur, sed quod Philosophica sua dogmata, doctrinæ de Christo opponebant. Sic nos quoq; Philosophiam, & eius studia de rerum Natura, & moribus, nequaquam irridemus, si intra fines suos consistant.

Verùm non satis est, neq; ab omni errori, atq; Philosophiæ abusu, se vindicauit Opinator noster, si dicat, se Philosophiam in eo non probare, quòd de æternitate mundi, de viribus humanis, de particulari prouidentia, falsò statuerit, & à vero aberrauerit. Multipliciter enim contra doctrinam Ecclesiæ abusus Philosophiæ committi potest.

» *Vtinam verè, & seriò diceret, & reipsa præstaret, quod ait:*

» *de ijs,* QVÆ FIDEI PROPRIA SVNT, *Philosophiam minimè*

mè consulendam esse. Si enim philosophicas suas imaginationes, in doctrina de cœna Domini, abijcerent, facilis & expedita ad concordiam via esset, sicut paulò pòst ostendemus. Nisi fortè dicat Grynæus: Eucharistiam non inter ea, quæ fidei sunt propria, numerandam esse. Quod equidem sentire videtur, cùm Mysterium omne, per Metonymiam explicet, ad quam illi fide Theologica non opus est.

Verùm controuersia non est de illis rebus, de quibus in Philosophia extant vera testimonia, sed certamen est de ijs, quæ Philosophiæ planè ignota sunt. Sic non controuertitur inter nos, an Christus habuerit verum & naturale corpus, nostris corporibus, excepto peccato, ratione substantiæ & essentiæ suæ, per omnia simile, sed ab vtraq; parte consensus est aduersus Marcionem, & omnes hæreticos, qui veritatem naturæ humanæ in Christo negarunt.

Quæstio autem est, de eodem corpore Christi, cùm diuinæ naturæ personaliter vnitum sit, quod nulli creaturæ accidit, & in Deum assumptum, & ad celsitudinem Dei propriam exaltatum: an Deus modum aliquem nouerit, quo, ad verificanda verba Testamenti Christi, verè & realiter adsit, vbicunq; cœna Domini, iuxta ipsius mandatum celebratur, quia dixit: HOC EST CORPVS MEVM. Quæstio de cœna Domini, non est Philosophica, sed Theologica.

Hìc verò Hypocrita (ne ad rem respondere cogeretur) si diceret: verba Testamenti Christi non esse articulum fidei, responderemus: Omne verbum Christi, quo nobis aliquid promittit, esse fidei articulum, & qui Christum in eo mendacij arguat, eum nullũ articulum fidei rectè credere: inprimis verò de ijs rebus, quas nobis in Mysterijs Sacramentorum pollicitus est. Sic in Baptismo, ratio & sensus non percipiunt, quomodo Baptismus sit lauacrum regenerationis & renouationis in spiritu: sed fides hoc intelligit, in verbo Christi. Sic in cœna Domini: quomodo panis sit corpus Omne verbum Christi est articulus fidei. Cœna Dominica.

Domini, ratio & sensus non percipiunt, sed fides in verba Testamenti respiciens, hoc capit & intelligit in verbo, quod Christus locutus est.

Sin verò dicat aduersarius noster: Deum multa facere posse, quæ tamen non faciat: sicut posset plures mundos creare, quos tamen non creat. Respondeo, verum esse; quia nusquam extat Dei verbum, quòd plures mundos creare velit: Ideo etiam fides à nobis non requiritur, vt credamus: sed de ipsius corpore, eius q; præsentia, extat verbum Christi, & quidem verbum Testamenti: HOC EST CORPVS MEVM: *quæ Euangelistæ prorsus ijsdem literis scripserunt: in quibus sensus & ratio hoc vnum desiderant, quòd comprehendere non possint, quemodo verum corpus esse & permanere, & simul ac semel in pluribus locis adesse possit, vbi cœna Domini celebratur. Si enim eadem humanitatis ratio esset, quæ est diuinitatis: fortassis crederet: sed quia* CORPVS CHRISTI *manet creatura, id fieri posse, vel dubitat, vel prorsus negat. Hîc ad omnipotentiam Dei recurrendum quando docemus, categoricum responsum Zuinglianis difficulter extorquetur: cùm videant, socium erroris, Petrum Martyrem, turpiter impegisse, qui scripsit: nulla vi diuina fieri posse, vt corpus simul & semel in duobus aut pluribus locis sit: quibus verbis, cùm apertè omnipotentiam Dei negauerit, quod malè in auribus piorum sonare videbant, vt suos auditores in errore retineant, ipsi ad hanc quæstionem categoricè non respondent, sed tergiuersantur quàm diu possunt, ne omnipotentiam Dei negare videantur, quod tamen faciunt. Si enim crederent, Deum hoc efficere posse, quid quæso obstaret, quò minùs etiam verbis Testamenti simplicissimis crederent? cùm ait:* HOC EST CORPVS MEVM. *Nam si potest esse, &* CHRISTVS *dicit, hoc esse suum corpus: quæ impietas esset contradicere? Quia verò non credunt, Deum hoc præstare posse, ideo*

De omnipotentia Dei, Zuingliani & Caluiniani non ingenuè & categoricè respondent.

ideo in verbis Testamenti CHRISTI *Metonymiam fingunt, qua nomen pro nomine ponitur, vt panis* CORPVS CHRISTI *quidem appelletur, sed neque sit, neque esse possit. Hæc, scilicet, est præclara illa Philosophia, cuius nos contemptores, & irrisores esse, dicit Hypocrita.*

22. Qualis veritas in Logica, Ethica, & Physica patefacta.

Deinde hoc admodum crassum, & in Theologo intolerabile est, quòd scribit: Omnem veritatem in Logica, Physicis, & Ethicis, à Deo patefactam, ideoq; magni faciendam esse. Quod nos nõ modò negamus, sed tanquam impium & blasphemum damnamus, & execramur.

Nam quod ad Logicam attinet, habet illa quidem suas regulas veritatis, sed de ijs rebus duntaxat, quæ rationi humanæ subiectæ sunt. Hisce autem regulis Mysteria Sacramentorum subijcere, quanta impietas est? quod hoc loco impudenter facit Hypocrita, vbi simul & insciitiam, & impietatem prodit, cùm ait: Irascuntur quidam principio, quod statuit: omne corpus esse loco & tempore circumscriptum, & Philosophicum esse, nec ei locum in schola Theologica concedendum clamitant.

Extra mundum neque locus, neque tempus.

Nam princeps Philosophorum Aristoteles apertè confirmat: ἔξοτερ τ῀ οὐρανο῀ ὅτε τόπῳ, ὅτε χρόνος ἐστὶ: *extra hoc aspectabile cœlum, neque locus, neque tempus est. Cùm igitur maximum corpus sit firmamentum, idque de sententia Aristotelis, non est loco circumscriptum, quia extra illud non est locus: quomodo ergo, etiam Philosophicè, verum est hoc principium: Omne corpus est loco circumscriptum?*

Deinde certum est, post resurrectionem nos habituros vera corpora, quamuis spiritualia, in altero & futuro seculo: vbi nullum amplius tempus erit: quomodo ergo verificabitur hoc principium: Omne corpus est tempore circumscriptum?

Ex quo manifestum est, hoc principium, non modò in Theologia locum habere non posse, quando de corpore Christi disputatur, vt etiam in Philosophia sine restrictione non sit verum, nisi intelligatur de corpore NATVRALI, *quatenus naturale, cui locus & tempus accidunt. Quapropter prodesset, Hypocritam in Philosophia quoque* MELIVS SVA STVDIA *prius* CONFIRMASSE, *quàm de ijs rebus ex logica & physica differeret, quas non intelligit, neque vnquam rectè didicit.*

Non minus rudis in Ethicæ præceptis & principijs esse conspicitur, quæ ita simpliciter approbat, quasi eadem de his in sacris literis quoque doceantur. Ac videtur Hypocrita noster, non longè à Iuliani Imperatoris religione abesse, qui Salomoni Phocylidem opponens, disputauit, nihilo maiorem sapientiam tradi in illius scriptis, quàm in Ethnicorum scriptis reperiatur. Ad quod ego respondens, nihil dico de perfectione aut imperfectione Ethicorum doctrinæ, sed duntaxat de vtriusq; principijs: cùm Ethica præcepta & Theologica de moribus, quoad principia, è diametro inter se pugnent.

Principium Aristotelicum de iustis actionibus.

Etenim Aristoteles, virtutis habitum crebris actionibus acquiri dicit, ex quo deinceps actiones proueniant, vt quis, non modò iusta, fortia, agat, sed etiam iustè, fortiter, sapienter, prudenter, temperanter agat. Nec altiùs ascendit Aristoteles: quamuis enim in decimo Ethicorum testatur, naturæ eugenian requiri, & in Heroibus aliquid diuini esse: tamen verum fontem virtutis, & actionum vitiosarum ignorauit.

Scripturæ sacræ sententia de eodem.

Scriptura sacra autem docet, per Baptismum homines regenerari, & renouari, Spiritu sancto donari, & deinceps ab eodem agi, & ad omnes pias & iustas, honestas, sanctas, actiones impelli, cui vni & soli, principia hæc omnia adscribit.

Hic

Hic est habitus infusus, ex quo omnes illæ actiones promanant. Ex hoc principio pij Doctores, bona opera, & Deo grata, tanquam fonte promanare docent: vt illud Psalmi canere queamus: Non nobis, non nobis, sed tuo nomini da gloriam.

Ethicā doctrinam Aristotelis, cū doctrina gratiæ, ex diametro pugnare.

Quapropter Lutherus in tractatu de Academiarum reformatione verè scripsit: Ethicam doctrinam Aristotelis, cum doctrina gratiæ, ex diametro pugnare. Quod verum est, siue principium, siue finem spectes. Nam quod ad finem attinet, non minus, quàm circa principia, errauit Aristoteles, qui docuit: per habitum, crebris actionibus acquisitum, & actiones ex hoc habitu prouenientes, homines Deo gratos, & tandem ad illum, tanquam summum bonum, peruenturos esse. Contrà, Spiritus sanctus in sacris literis docet, quòd per fidem in Christum, ad Deum, tanquam ad summum bonum, perueniamus: & quòd cum fide coniuncta sit charitas, à Deo per Spiritum sanctum infusa, cuius fructus & opus est, quam nullis actionibus acquirimus, ex qua omnium virtutum opera fluant.

Quapropter Professores Ethices pij & Christiani, quibus non gentilium, sed Christianorum liberi commendati sunt, diligenter in hoc elaborent, vt studiosam iuuentutem erudiant, quanta differentia sit inter Ethicam, quæ in verbo Dei, in scriptis Prophetarum & Apostolorum, in Prouerbijs & Ecclesiaste Salomonis, Syracide, & alijs sacris libris traditur, quæ plurima præcepta de moribus continent, & principio & fine ab ijs differunt, quæ ab Aristole, & alijs Philosophis traduntur.

Principia Aristotelica quomodo subalternata principijs Theologicis.

Ea nisi subalternata Principijs Theologicis (quæ ignota Aristoteli fuerunt) ponantur, piè in Schola Christiana doceri non possunt. Quod hoc modo fit: si admoneantur Ethices studiosi, postquam in Baptismo Spiritu sancto regenerati sunt, vt propter sanguinem Christi, pro ipsorum peccatis effusum, propitium Deum habeant, & eiusdem gratia donati, ex fide viuant & operentur,

crebris actionibus habitum illum subinde magis magisque confirmari.

Quapropter cùm quærit, quid de Doctrinæ Ethices principijs & præceptis fiet? quæ & esse Deum, & qualis is sit, & quales nos esse velit, edocent: num illa quoq; iuuentuti INGENIOSÆ *irridenda propinabunt?*

Respondeo, nisi religionem Christianam, eiusq; principia abnegare, & in Ethnicismum conuertere velimus, corrigenda esse dicimus: Cùm nulla virtus, nullum opus, bonum, & Deo gratum sit, quod non ex fide est, & Spiritus sanctus per nos, & in nobis operatur, quod principium omnes Philosophi ignorarunt, qui non ad fidem Christi conuersi sunt. Sed mirum non est, quòd tantopere rationem humanam commendet Hypocrita, ne fortè à Zuinglio Patriarcha suo dissentiat, qui Numam Pompilium, Aristidem, & alios Ethnicos, cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Dei collocat.

Nos verò doctissimos solidæ & seueriorìs Philosophiæ promos & condos, hostium loco, in hæreticorũ numero habere, ingenuè fatemur, quamdiu suis principijs insistent, & actiones virtutũ Christianarum, non ex Spiritu sancto, sed bonis operibus acquisito & comparato habitu, proficisci profitebuntur. Hæc enim Philosophorum doctrina de moribus, Christianorum doctrinæ è diametro opponitur, & δὶς διὰ πασῶν ab ea differt.

Cognitio Dei ex doctrina Ethices gentilium, qualis, & quanta.

Quòd verò addit Opinator noster: Ethicen docere, esse Deum, & qualis is sit, & quales nos esse velit, quia per naturæ lumen, id quod de Deo cognosci potest, profiteatur Philosophia, Deo manifestante, idq; D. Pauli testimonio, Ro. 1. probat. Respondeo. Gentes per lumẽ naturæ tantã cognitionem Dei habuisse, vt sint inexcusabiles, videlicet ESSE *Deum, & peccatis irasci, quæ contra legem naturæ perpetrata sunt, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Gentiles omnes ἄθεοι.

Sed simul etiam illud eiusdem Pauli addendum erit, quod scribit: Eratis ἄθεοι, sine Deo in mundo. Item: Eratis aliquando tenebræ

nebræ. Nam cognitio Dei, QVALIS SIT DEVS, *& quomodo erga genus humanum affectus sit, nõ ex scriptis gentilium, aut lumine naturæ discitur, sed* IN SOLO VERBO DEI *docetur.* Ephes. 2. 5.

Quapropter secundũ lumen naturæ de Deo cogitantes, non appropinquamus Deo, sed subinde magis magisq; ab eo recedimus. Inhabitat enim lucem inaccessam, quem nemo vidit vnquam, nec nouit, nisi Filius, & cui Filius vult reuelare. Sic etiam quales nos esse debeamus, lex naturæ quidem aliquid in secunda tabula monstrat, sed in eadem etiam tabula, quod maximum est, videre non potuit, sicut Apostolus loquitur: Concupiscentiam non nouissem, nisi lex diceret: NON CONCVPISCES. Deus lumine naturæ non agnoscitur. Rom. 7.

Desinat ergo Hypocrita noster, in explicatione Mysteriorum regni Dei, Philosophiam prædicare, aut studiosæ iuuentuti tantoperè commendare, quoniam inimica est Deo, quæ captiua ducenda est in obsequium Christi, & subijcienda fidei, quamdiu in hoc seculo viuimus: quæ Mysteria regni Dei non illustrat, sed obscurat: non iuuat, sed impedit: cum qua fidei vsq; ad mortem perpetua pugna est. Non.n. solida Philosophia est alia, quàm verbum Dei. Humana autem Philosophia, est mutila, manca, imperfecta, quæ in rebus huius seculi suum locum habet, sed in diuinis & cælestibus, ad regnum Christi pertinentibus, cæca est.

Neq; pios iuuenes moueat Platonis dictum, Certißimum argumentum insciticæ esse, si quis ab eruditißimis viris se alienum esse dicat. Longè enim aliter Spiritus sanctus in Propheta loquitur: Ad legem (inquit) & ad testimonium: quòd si non dixerint iuxta verba hæc, non erit eis lux matutina, non inquit, ad Philosophiã, tanquam radiũ sapientiæ diuinæ, sed ad verbũ Dei. Esa. 8.

Quod si verò insciticæ propterea damnabimur, quòd in Mysterijs regni Dei ab eruditis Philosophis dissentiamus, socios habemus Esaiam, & Paulum, quorum hic ait: Non misit me Christus, vt baptizarem, sed vt Euangelizarem: Non tamen Philosophiæ præferendũ verbum Dei. 1. Cor. 1.

ἐν σοφίᾳ

ἐν σοφίᾳ λόγου, *hoc est*, *cum dicendi peritia*, NE INANIS REDDATVR *crux Christi. Nam sermo ille de cruce, ijs quidem qui pereunt, stultitia est: nobis autem, qui seruamur, sapientia*
Esa. 33. *Dei est: Scriptum est enim: Abolebo sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligentium tollam è medio. Vbi sapientia? vbi scriba? vbi conquisitor seculi istius? Nonnè infatuauit Deus sapientiam Mundi huius? Nam postquam* IN DEI SAPIENTIA, *mundus* NON COGNOVIT DEVM PER EIVS SAPIENTIAM, *placuit Deo per stultã prædicationem seruare*
Matth. 11. *credentes. Idem Christus quoq; confirmat, cùm inquit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quòd hæc abscondèris* SAPIENTIBVS, ET INTELLIGENTIBVS, *& ea reuelaueris* INFANTIBVS.

Glorietur ergo Opinator noster de societate doctissimorum & INGENIOSORVM HOMINVM, *qui Mysteria regni Dei, ratione humana regenerata se* INTELLIGERE *prædicant: nos vnà cum Christo & Apostolo eius libenter patiemur, nos inter stultos & infantes numerari, ne diuinæ sapientiæ, & infinitæ eius potentiæ modum statuere, & ab eius simplici verbo, propter iudicium rationis, & Philosophiæ humanæ, solidioris illius, & grauissimæ, scilicet, recedere videamur.*

Contra abusum Philosophiæ pia admonitio.

Interim auditores nostros diligenter monemus, vt sibi à rationis humanæ cogitationibus, & eruditissimis illis hominibus, qui his contra SCRIPTVM VERBORVM *Testamenti Christi indulgent, tanquam ab ipsissimo Diabolo caueant, ac simplici fide verbis Christi inhæreant, neque ab illis, eorumq; simplici ac literali sensu, ne ad pilum, abduci patiantur. Opinator autem noster, doctissimorum virorum societate gaudeat, donec experiatur, quod paulò antè ex D. Paulo & Esaia Propheta recitauimus.*

Tertio & postremo loco, inter fundamenta nostra confutantia numerat, sophisticam multiplicem, ἀποκάλυψιν, καὶ ἀπολογίαν:

γλαρ: narrationes falsas de tragico interitu præclarorum Christi seruorum: audaciam præiudicandi Ecclesijs reformatis, & multis millibus piorum sanctorum, Iesu Christi nomen inuocantium: licentiam contradictorijs in Disputationibus serijs vtendi, IN DESPECTVM RATIONIS HVMANÆ: & alia δύσφημα & tristia, quorum certè seruos Dei magnopere pudere debeat. De quibus etiam omnibus & singulis lectorem breuiter monebimus.

At primùm, quod de multiplici Sophistica ait, putidum Hypocritæ mendaciũ esse, nostrorum, præsertim verò Lutheri, in hoc argumenti genere edita scripta demonstrant. Etsi enim in plerisq; omnibus suis scriptis magnus est Lutherus: vix tamen inter omnia, quæ ab ipso edita sunt, aliquod inuenietur magis neruosum, quàm illa, quæ contra Sacramentarios scripsit: in quibus nulla ratione humana, nedum sophistica, sed ARMIS DVNTAXAT VERBI DEI, eiusq; syncera interpretatione, pugnat, & simplici, atq; germana articulorũ fidei nostræ explicatione demõstrat, nullam nobis necessitatem imponi, vt à simplici, germana, & literali sententia verborum Testamenti Christi, recedamus. Cuius vestigijs insistentes discipuli eius, idem quoq; fecerunt. Fides enim nostra non argumentis humanæ rationis, sed solo verbo Dei nitatur necesse est, si in tentationib. eã succumbere nolimus.

Lutherus solo verbo Dei contra Zuuing pugnauit.

Contrà verò, in Refutatione Orthodoxi, scilicet, ipsorum consensus, demonstratũ est, Zuuinglianos & Caluinianos, A SCRIPTO VERBI DEI APERTE RECEDENTES, erroneã suam opinionem duntaxat sophisticationibus multiplicibus tegere, & imperitis persuadere, quibus aperta mendacia, & impudentissima crimina falsi addunt, vt auditores suos à nostra doctrina, scriptorumq; nostrorũ lectione deterreant, & nauseã aduersus illa moueant, quod opinator noster negare nõ potest. Quorũ causa tàm deplorata est, vt aduocatum & procuratorem artium mentiendi, calumniandi, sophisticandi, & crimina falsi excogitandi, peritum Iuristam

Zuuing. sophismatibus & rationibus humanæ Philosophiæ, contra verbum Dei pugnant.

Aduocatus Zuuinglianorũ iurista.

ristam conducere coacti sint, vsq; adeò verbo Dei, & veritatis testimonio, in negocio pessimo destituuntur. Quæ omnia Refutatio Cacodoxi ipsorum Consensus apertè docebit.

Ἀθλογία Zvuinglianorũ.

Quod verò secundo loco ad ἀποσλάνημ & ἀθλογίαν in colloquijs attinet, idem quod de sophistica multiplici obiecta, iudicium est. Cùm enim ad seriam disputationem peruentum est, quid quæso in Zvuinglianis, quàm perpetua ἀθλογία, hoc est, vana loquacitas, conspicitur? In qua illis rationis reddendæ necessitas imponitur, quòd pro veris & concessis assumunt, quæ prius ex verbo Domini demonstranda erant: quam illis quoq; Lutherus sæpe obiecit, quòd videlicet in ijs locis, VBI AD REM RESPONDENDVM ERAT, *magis muti sunt, quàm pisces, in alijs verò, de quibus nulla controuersia, loquaces & verbosi, vt vulgus existimet, eos etiam aliquid ad ea, quæ illis obiecta sunt, respondisse.*

Nulla deceptio aut fraus in scriptis Lutheri.

Sic res ipsa ostendit, in Lutheri scriptis nullam ἀποσλάνημ, deceptionem aut fraudem inesse. Non enim rationis humanæ ludit argumentis, sed verbum Christi simpliciter credendum proponit. Et lectoris iudicio committit: verum Deo potius, & illius verbo, an verò hominibus, & ipsorum verbis, credere velit. Quæ hîc quæso fraus vel deceptio esse potest?

Similiter nos quoq; eius vestigijs insistentes, ab omni errore, fraude, & deceptione, Zvuinglianorum (quibus simplices circumueniuntur, & ingenioſi gaudent) auditores nostros ad verba Testamenti Christi reuocamus, nec satis esse dicimus, vt credant, hæc à Christo dicta esse (de hoc enim nulla controuersia est) sed etiam necesse esse, vt credant, vera esse, sicut sonant, etiamsi ratio reclamet, atque id impossibile esse, nobis persuadere conetur: quam non modò contemnendam, sed detestandam, & execrandam esse docemus.

De narrationibus falsis, de tragico interitu præclarorũ Christi ser-

sti seruorum, quod obijcit, quibus nostri ipsorum opinionem grauare, & suam commendare studeant: sciat Opinator, nos, in plus quàm tragico interitu quorundam Zvuinglianorum, minimè gaudere. Pluris enim vnius hominis salus, quàm tota machina mundi, incendio paratæ, facienda est.

Tragico interitu Zvuing nemo gaudere debet.

Sed ad vanitatem hominis redarguendam, saltem aliquot recitabimus, in quibus nos vanitatis arguere non poterit. Nam vt de Zvuinglio nihil dicamus, cuius interitus qualis fuerit, omnibus notum est: neque etiam de Oecolampadio, quem placida morte ex hoc seculo emigrasse dicunt: notus est in Palatinatu Electorali, Heidelbergæ inprimis, vir doctus D. Ioannes Stöffelius, qui superioribus annis, cùm de Zvuingliana seu Caluiniana hæresi, in Electoralem Palatinatum introducenda, deliberationes instituerentur, in Disputatione publica, Caluinianos & Zvuinglianos Doctores confudit, & veritatem doctrinæ Ecclesiarum nostrarum contra illos, ad quam defendendam, medicos, & Iureconsultos, tanquam aduocatos, conduxerunt, cum laude & admiratione omnium propugnauit. Is cùm prope aulam Electoralem DVCIS SAXONIÆ *malis quorundam artibus (quorum similiter quoq; tragicus exitus fuit) Birnensi Ecclesiæ præfectus esset, propter ambitionem & auaritiam contra conscientiam sibi persuaderi passus est, vt idem, quod in Palatinatu, post Disputationem illam, cum summo totius orbis periculo, & plurimarum animarum æterno exitio, in religione mutata constitutum est, etiam in Saxonico Electoratu tentaretur, & successu temporis paulatim Caluiniana hæresis introduceretur. Quæ res, cùm plena periculi esset, clandestinis consilijs diu tractata fuit, cùm Illustrissimi Principis Electoris Saxoniæ Ducis Augusti, Domini mei Clementissimi, voluntas & fides de Mysterio Cœnæ* DOMINI, *illis ignota non esset.*

Historia de tragico interitu D. Ioannis Stöffelij.

Coniunxerunt autẽ sua consilia, qui in Academia VVittẽbergensi, & Lypsensi erãt Caluiniani Professores, cũ viro summæ aus

thoritatis, qui cum Palatini Electoris Zvvinglianis Consiliarijs, D. Ehemio, & alijs quibusdam, colludens, eo tempore in aula Electoris Saxoniæ erat. Ad quem finem etiam Doctores Theologi noui creabantur, quorum opera deinceps ad propagationem hæresis Caluinianæ vterentur: qui statim, post consecutos summos in Theologia honores, quibus potuerunt fraudibus, & deceptionibus, etiam sub ipsius Lutheri nomine, doctrinam eius in Scholis & Ecclesijs eradicare conabantur. Quod vt pueritiæ tenerrimæ statim inspiraretur, nouam Catechesin ex Corpore Doctrinæ Philippi, mirabili prætextu, in scholas introduxerunt: in qua, doctrina de cœna Domini alijs verbis tradebatur, quàm prius pueritia instituta erat: quæ tamen autores interrogati, pro voluntate, aliter atq; aliter interpretari potuerunt: donec oblicuioni tradita Catechesi Lutheri, deinceps virus suum effundere possent. Quæ tamen consilia, optimo principi Electori Saxoniæ Augusto, prorsus ignota erant. Cuius Celsitudo, vt suum officium faceret, cùm Philippus Melanchton apud multos in suspicionem Caluinismi venisset, dum adhuc viueret, ad se vocauit, nihil dissimulans, ipsum hoc nomine malè audire, ideoq; quæ illius mens sit, & sententia de cœna Domini, cognoscere cupiens, ab eodem ad Catechesin Lutheri, & eius doctrinam ablegatus est: vnde nihil mali suspicatus, Catechesis ex ipsius Corpore Doctrinæ conscripta, minus suspecta videbatur.

Noua Catechesis ex Corpore Doctrinæ Philippi.

Accessit deinceps fundamentum (so sie die Grundfest genennet haben) Doctrinæ, de persona Christi, ab ijsdem nouis Theologis æditum, cum approbatione Disputationis Iesuitarum, quam tamen per crimen falsi prius mutauerant Caluinistæ, quæ cum postfatione (præfationem enim præmittere non audebat) autoritate & iussu Rectoris Academiæ VVittenbergensis, ibidem secundo typis excusa, & iuuentuti studiosæ ac INGENIOSÆ, tanquam norma sanorum verborum, commendata fuit.

Quia

Quia verò se omnia frustra tentaturos existimabant, nisi Catechismus ex aula Electoris sublatus esset, cùm ea de re ageretur, & Birnensis Superintendens, Doctor Ioannes Stösselius, ad concionatorem aulicum, Christianum Sagittarium, Dresdam scriberet, inscriptione eius vxori facta, quasi à muliere scriptæ essent literæ, cùm accuratam inquisitionem de toto negotio optimus Elector instituisset, fraus, deceptio, & extrema malitia horum hominum detecta: & alter quidem Consiliarius, summæ authoritatis vir, tristi morte, à propria conscientia flagellatus: alter verò, Stösselius, desperabundas voces perpetuò ingeminans, se contra conscientiam, & contra agnitam veritatem peccasse, ideoq; perpetuò damnatum esse, tandem etiam, tristissima desperatione, in arce Senftenberg perijt.

Doctor Ioannes Stösselius desperatione perijt.

Socij verò ipsius post reuocationem erroris Caluiniani factam, D. Vuidebramus, D. Peccelius, & D. Crucigerus, obligatione grauissima data, ex custodia liberati, Electoratu & ditione Iuniorum Principum Saxoniæ pulsi sunt: D. Müllerus turpiter aufugit. Quorum ideò hoc loco mentionem facere volui, cùm passim Ecclesiæ Dei nocere non desinant, vt quales sint, & quàm in assertione erroris sui constantes, omnibus notum sit.

Socij Doctoris Ioannis Stösselij.

Non dissimile exemplum Deus Palatinatui Electorali, in oppido Eppingen ob oculos posuit. Eo enim loco cùm Ecclesiæ præesset Thomas Pistorius, qui prius Euangelium in Comitatu Oettingensi magna fide & constantia docuerat, in hunc errorem, proh dolor, delapsus, cùm se in Palatinatum contulisset, & primus eo loco, Caluinianorum & Zuinglianorum errorem sedulò propagare studuisset, neminem tamen, pleno vultu, tanquam sibi malè conscius, toto hoc tempore aspexit: tandem, cùm omnibus pijs, eo in loco exosus esset, qui prius à pijs pastoribus in vera doctrina de cœna Domini rectè instituti erant, in horribilem desperationem incidit, perpetuò & cum ingenti clamore desperabundas voces edens, vt eminus etiam ab omnibus iuxta domum eius in platea

Thomas Pistorius Caluinista in Palatinatu desperatione perijt.

transeũtibus, exaudiri potuerit: Ego sum Diaboli corpore & anima: ex quo tempore, nullum cibum & potum admittens, & omnes consolationes respuens, in tentatione & desperatione illa miserrimè perijt, & magnis mugitibus animam emisit.

Carmen Iambicũ blasphemum Thomæ Pistorij contra maiestatẽ Christi.

Scripserat autem prius hic Pistorius carmen Iambicum, cõtra maiestatem Christi filij hominis, horribiliter blasphemum, in quo vbiquitatem, hoc est, maiestatem, in qua filius hominis ad dexteram virtutis & maiestatis Dei collocatus, omnibus creaturis, vbiq; cœlesti modo præsens esse prædicatur, filiam Diaboli, blasphemo ore appellauit, cuius pater sit D. Brentius, & obstetrix Iacobus Andreæ, eius q; Paranymphus, qui passim in Germania eam despondere volens, vbiq; repulsam passus sit.

Hoc blasphemum carmen, cùm in Academiam Tubingensem allatum, & ab ijs, qui in Poësi apud nos excellebant, mihi tãquam indigno Cancellario exhibitum esset, & petitum, vt vicissim carmine illis liceret, blasphemo homini respondere, pro mei officij ratione & authoritate prohibui, ne facerent: blasphemiam enim hanc tantam esse, quæ non calamo, sed fulmine refutanda sit. Quod paulò pòst, anno 1569. factum est: idq; à me minimè confictum, sed in præsentia Generosi Domini Heinrici Comitis ac Domini à Castell &c. à nobili viro Philippo à Gemmingen in Bonfelden, recitatum est, cùm secundò in Saxoniam, ad reformationem Ecclesiarum, in Ducatu Brunsuicensi perficiendam, profectus essem.

Non minus tragicus & horribilis exitus vitæ, paucis ab hinc annis, cuiusdam ciuis Augustani fuit, qui sexagesimum ætatis annum egressus, Cinglianorum, qui in vrbe sunt, Antesignanus & Patriarcha: Ministerij autem Sacramentorum, & maiestatis Christi, immanis & blasphemus hostis, qui seipsum omnibus, omnium Ecclesiarum eius loci pijs Ministris, opinione doctrinæ turgens, præferebat. Is Sacramento cœnæ in nostra

I. G.

Ecclesia

Ecclesia vsos, αἱματοπότας, **Blutsäuffer** */ appellauit : sæpenumerò etiam, vt sanguine suffocentur, imprecatus est. Et cùm esset quæstor Ecclesiasticorum redituum, qui templi Franciscani sunt proprij, cuius officij ratione, expensæ illi faciendæ erant in publicos sacrorum munerum vsus : ex ædituo pecuniam pro vino, Mysterijs dicato, flagitare solito, quærere consueuit, non quantum vini ad sacra adhibitum, sed, quantum sanguinis exhaustum fuisset : Christum, cœli terræq; Dominum, atque omnipotentem ab alijs prædicatum, ipse filium Mariæ in colloquijs nuncupare solitus fuit. Mirificè autem tandem de blasphemo isto ore, se diuina* CHRISTI *Maiestas vlta est. Postquam enim horrendo conscientiæ læsæ æstro concitatus, cum extrema desperatione ad quatriduum integrum conflictaretur, quo tempore frequenter ingeminauerat hanc querelam, sibi tam Ministrorum consolationibus, & sacrosanctæ cœnæ pignore esse opus, quorum præsentiam atque vsum ferre tamen nunc nullo modo queat : tandem intempesta nocte, vitam cum animi cruciatu finiturus, ex lecto se proripiens, cultrum, longo annorum interuallo à nemine domestico conspectum, arripit, atque eum in iugulum ipse sibi adigit, vulnere quidem inflicto satis magno & lethali, sed ad vitam illicò finiendam, non satis valido, si absque sanguine fuisset, qui magno profluuio ad fauces illi affluens, sanguinis* CHRISTI *vsum in cœna non credenti, imò horribiliter etiam blasphemanti, animam desperantem in blasphemo iugulo suffocauit. Cuius αὐτοχειρίαν sic Magistratus vltus est, vt flagitio & sceleri, infamiam coniunxerit : nam cadauer communi sepultura fidelium indignum, carnificis ministerio (indignantibus vehementer reliquis Cinglianis) dolio inseri, atque in profluentem abijci curauit : vt ad extremas insulas nauigaret, qui Christianorum consortio nunquam dignus fuit.*

An

An verò hi non tragici interitus videntur? Quæ non ideo recitamus, quòd ex illis aliquam voluptatem capiamus, sed cùm nobis hoc nomine insultent aduersarij, quasi à nobis horribilia Dei & iusta iudicia, aduersus Sacramentorum & maiestatis Christi hostes confingantur: veritatem reipsa omnibus, narratione historiæ quàmplurimis notæ, demonstrare voluimus: Hauddubiè enim tristia hæc exempla toti Germaniæ consideranda Dominus proposuit, vt omnes viderent, & apud se diligenter expenderent, quæ merces à Deo expectanda sit ijs, qui post agnitam veritatem, ad rationis suæ regeneratæ, scilicet, iudicium se abduci patiuntur, vt huic magis, quàm verbis Testamenti Christi credant.

Apostrophe ad Grynæum.

Quod in primis tibi Grynæe considerandum relinquo, qui doctrinæ nostræ in Academia Tubingensi, coram tot clarissimis

Apostasia Grynçi.

viris, & eruditis iuuenibus, publicum testimonium perhibuisti, & omnia rationis hominum etiam regeneratorum argumenta, vno & solo verbo, etiam cum tui ipsius laude & commendatione, confutasti. Quos omnes contra te, in nouissimo die, grauissimos testes desertionis, apostasiæ, & perfidiæ, habebis. Neq; verò te frustrà consoleris, sicut in Heidelbergensi conflictu te feciſſe audio, vt dicas,

Excusatio Grynæi.

te, cùm adhuc puer esses, pueriliter sensisse. **Du bist ein grosser Bub gewesen.** *Et vt maximè per ætatem tum temporis sapere*

Veritas doctrinæ nostræ, à Grynæo Tubingæ defensa.

non potuisses, eò magis tibi expendendum esset, non te, sed Spiritũ sanctum per te locutum, vt manifestè confutata sint omnia, quæ ex Philosophia, quantumuis illa Seueriori, & ratione humana, expresso Dei verbo opposuerunt. Quo vno tu eo tempore victisti & triumphasti, cuius te denuò admoneo, vt & tuæ & aliorum saluti rectiùs consulas, & pedem reuoces, nec vlterius post mortuum tuum Galenum, per Bartolum & Baldum, vanis verbis persuaderi tibi patiaris, vt contra stimulum calcitres, quod tibi non minus durum erit, quàm Paulo fuit. Nec dubites, si in hac impietate perseueraueris, eundẽ tragicum exitum & interitum, tibi quoq; expectandũ fore. Peccatũ tuũ in foribus dormit, quòd cum euigilauerit, tu videris, vbi sis permansurus.

Au-

Audaciam præiudicandi aliis Ecclesijs reformatis, & multis millibus piorum sanctum Iesu Christi nomen inuocantiũ, quòd nobis tribuit, & accusat Opinator, qua fide & conscientia hanc causam agat, aperte ostendit. Quæ enim hæc fides aut religio esset, eam tanquam certam & indubitatam profiteri non velle, aut debere, ne alijs præiudicare videaris? Non hæc audacia aut temeritas est, intrepidè suam fidem in verbo Domini fundatam profiteri, sed pietatis officium est, & confessionis necessitas requirit: qua nemini præiudicatur rectè sentienti, & in verbo Domini acquiescenti, sed qui Spiritum Domini habet, & verbo Domini se subijcit, aliquot millibus locorum distans, idem iudicat & sentit, neq; tanquam præiudicium, sed pium consensum habet. In quibus enim vnus est Spiritus, in ijs est etiam consensus, & vt maximè dissensio aliqua incidat, tamen cùm Spiritus Prophetarum Prophetis sint subiecti, facilè componitur. Qui autem, verbi Dei nulla ratione habita, suas opiniones pertinaciter defendũt, & Prophetis rectè monentibus non obtemperant, hos Paulus, tanquam hæreticos, vitandos, & fugiendos docet, & grauiter monet.

Qua fide & conscientia Grynæus causam Zuinglianorum agat.

Zuingliani de veritate suæ doctrinę dubitant.

Hæretici fugiendi. Tit. 3.

Et quod de Ecclesijs vestris, bipenni reformatis, nostrum sit iudicium, quo nomine nostras Ecclesias minimè intelligitis, suprà satis dictum est: Sed væ omnibus vobis deformatoribus, cum vestro Galeno, Hippocrate, Baldo, & Bartolo: dignam enim aliquando laborum vestrorum mercedem accepturos, vos minimè dubitare debetis.

Similiter quoq; vanum est, quod de licentia, contradictorijs in disputationibus serijs vtendi, idq; in despectum rationis humanæ, nugatur Hypocrita: non enim adeò plumbei & stipites sumus, vt non intelligamus, quæ contradictionem implicant, minimè vera esse posse. Sed in hoc non modò insciticæ, verùm etiam malitiæ vos accusamus, quòd contradictoria fingitis, cùm præter naturales proprietates, corpori Christi, diuinã maiestatem accessisse, cum Scriptura sacra dicimus: & simul docemus, hoc nequaquã contra-

Figmentũ Zuinglianorum de cõtradictionibus.

dictionem implicare, cùm alterum per se humanitati, tanquam subiecto insit, alterum verò per, & propter vnionem tribuatur.

Corpori Christi quomodo non contradictoria tribuantur.

Ex quorum numero sunt, quòd proprietate naturæ suæ, corpus Christi finitum & circumscriptum sit: ratione verò vnionis, & per vnionem, particeps factum sit infinitæ potentiæ & maiestatis, ratione cuius, nullo loco circumscribitur. Hæc, quoniam non eodem, & eiusdem respectu corpori Christi tribuuntur, ideo etiam nullam contradictionem implicant, sicut suprà, & in Refutatione Cacodoxi Consensus, copiosè explicatum est.

Quapropter in despectum rationis humanæ nequaquam contradictoria asserimus, vel propugnamus, sicut hoc loco Hypocrita nugatur, sed corpori Christi, secundum Scripturam sacram, maiestatem tribuimus, quæ supra naturam corporis est, vt maximè ratio humana id non capiat, & huic cum veritate humanæ naturæ pugnare videatur. Fides enim capit, quòd oculus non videt, & ratio nõ intelligit. Ideoq; pro gloria & honore Dei, & veritatis eius, in despectũ rationis humanæ, verbo Dei, quod ratio intelligere nõ potest, credere docemus, monemus, & diligẽter hortamur: ac tãquã Satanæ ministrũ fugere iubem⁹, qui cõtrariũ docet.

Despectus rationis humanæ.

Quæ omnia, neq; tristia, neq; δύσφημα sunt, sed aperto Dei verbo confirmata, quorum nos nunquam neq; pœnitet, neq; pudet: sed alacri animo, & bona cõscientia, coram tribunali Domini nostri Iesu Christi comparere, & auditores nostros in hac confessione adducere, parati sumus, quòd videlicet à verbis Testamenti, & simplici eorum intelligentia & sensu, non recesserimus, freti ipsius veritate & potentia, qui non fallere possit, & quæ promisit, præstare queat, rationem, intellectum, sensum, νόημα, omnem cogitationem, ac Philosophiam, captiuam ducentes in ipsius obsequium, cùm præstare possit supra id quod intelligimus. Et hanc voluntatem & testificationem, certum est, illi gratam esse, quam etiam in omnibus Mysterijs à nobis requirit.

Contrà verò impossibile est, pari fiducia de nouissimo die

Zvuinglianos cogitare, aut coram illius tribunali comparere posse, qui apertè fatentur: se à scripto verborum Testamenti Christi, ad Grammaticã figuram recedere, & verba eius aliter, quàm sonant, interpretari, ex quibus certa sententia depromi non possit, sed aliud cogitandum esse. Quod ne faciamus, aut credamus, D. N. Iesus Christus clementer à nobis auertere velit. Amen.

Zvuinglianorum trepidatio, & mala conscientia, in mala causa.

GRYNÆVS.

Ex his, quę à nobis hactenus dicta & demonstrata sunt, colligere promptum est, non de tota quidem doctrina Eucharistica: sed tamẽ de prẽsentia, IN, CVM, SVB PANE, & de manducationis corporis Christi ratione, & de quibusdam circumstantijs & fundamentis, controuersiam esse, seriam quidem illam, sed tamen, qua Ecclesiam suam exercere velit Christus, vt qui probati sunt, manifesti fiant inter nos. 1. Cor. 11. 19. 1. 2. 3. 4. 5.

Hortamur autem in Domino eos, quibus dedit Christus idipsum nobiscum sentire, vt adijciant fidei suæ virtutem, virtuti verò scientiam, scientiæ verò temperantiam, temperantię pietatem, pietati verò animum in fratres propensum, animo verò in fratres propenso, charitatem, 1. Pet. 1. 5. 6. 7. 6.

Monemus etiam eos, qui veritatem quidem agnoscunt Dei dono, quia tamen multis in locis exosam vident, Polypi mentem obtinent, nec quid sentiant, profitentur: vt ne contra conscientiam agant, ne videlicet etiam intelligentiæ lumen tandem amittant. Nunquam enim non illis accuratè cogitandum est id, quod beatus Hieronymus hac commemorabili sententia monuit: Si propter timorem mortis veritatem tacere impietas est, quomodo non est maior impietas, propter miserum ventrem, & honoris vanam spem, tacere veritatem? 7.

8. Eos, qui in hoc negotio nondum per ętatem versati sunt, amantissimè rogamus, vt soli Christo sese adiungant: ex illius solius verbo, quid de illo statuendum sit, in timore Dei studiosè discant: & meminerint dic-
9. tũ vetus: Veritatis inuestigatio, peccatis impeditur: Calculi eorũ ne pręuertant cognitionẽ tantę rei. Deniq; hoc sibi persuadeãt, & inuestigationi veritatis, ce-
10. leritatẽ, iramq;, nõ minus, quàm consilio, Thucydide teste, officere plurimũ: & sectę alicui per imprudentiã
11. addictos, seruili conditione vti, quãdo ab aliorũ nutu & renutu pẽdent: & in horum gratiã, diuersa modestè docentibus, maledicunt, nec eos audire, aut eorũ scripta legere volunt: persimilesq; ijs sunt, qui incurabili
12. scabie laborant, vt alicubi Galenus monet. Si verè dixit Alcinous ille Platonicus: δεῖ ἐλευθέριον εἶναι τῇ γνώμῃ τὸν μέλλοντα φιλοσοφεῖν: quantò æquius est, eum, qui θεολογεῖν, hoc est, diuinas res inuestigare & cognoscere cupiat, liberali mente & sententia esse?

13. Postremò eos, qui fortè absentes dentata charta prouocare ad triste certamẽ, quàm coràm placidè cõferre sententias, malunt, admonitos volumus, nobis (quibus persuasum est, per gloriam & ignominiã Christo Iesu seruire) nec animũ, nec otiũ esse, ad instituendam πόρρωθεν velitationem vllam: Deũ potius pro illis inuocabimus, & charitate certabimus, non conuitijs:
14. nec in aliena scripta censoriam temerè nobis virgulã sumemus. Dominus noster Iesus Christus, det piã pa-
15. cem Ecclesię, reducat, quasi postliminij iure, veritatẽ in ea loca, è quibus exulat: benedicat studijs florentissimæ iuuentutis: extrudat operarios fidos in messem suam, & sanctificet nos totos ad opus suũ, ad quod ille nos vocauit. Amen. Scripsi Heidelbergę, 26. Martij, Anno nouissimi temporis, 1584. Da-

Dauid Propheta Psal. 31.

In te Deus speraui, non confundar in æternum.

IACOBVS ANDREÆ.

In hac vltima Thesi Opinator, primùm duplici ratione magnitudinem offendiculi extenuare studet, quod ex controuersia Sacramentaria natum est. Primùm, quòd non de tota doctrina Eucharistica disceptatio fuerit, sed duntaxat de quibusdam eius partibus, videlicet, de præsentia corporis Christi, IN, SVB, CVM *pane, item de eius manducatione, & de quibusdam circumstantijs & fundamentis. Deinde etiam Ecclesiæ Dei non adeò pernitiosam fuisse, qua Deus duntaxat suos probare voluerit. Quibus verbis, quasi sarcasmo quodam, Satan nos ridet: si enim veram præsentiam, veramq; manducationem corporis Christi, eiusq; fundamenta sustuleris, quid in Eucharistia reliquum erit? Num tam plumbeos & stupidos esse nos iudicat Hypocrita, vt non credamus, seu potius non sentiamus, panem & vinum adesse? & ore corporis manducari?*

Offendiculi extenuatio, quod dederunt Zuingl.

Præterea, quot millium animarum iactura facta, quæ seductæ à simplici & germana sententia verborum Testamenti Christi, naufragiũ circa fidem fecerunt, & æterno exitio adiudicati sunt? Hæc omnia rident Zuingliani cum suo Hypocrita, nec multum referre existimant, siue hoc modo, siue aliter de cœna Domini sentiant: qua etiam omnino carere queamus, iuxta illud Augustini, sed non bona fide allegatum testimonium: Crede & manducasti.

Interitus animarũ, ex dogmate Zuingliano.

Nos verò planè in contraria sententia sumus, & nihil dubitamus, Deum seuerè, & horribiliter profanatoribus Testamenti sui irasci, & nisi pœnitentiam agant, igni infernali eos adiudicaturum: eos præsertim, qui propter humanæ rationis iudicium, fidem verbis Testamenti eius derogant, nec κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda, & aliunde aliam sententiam verborum quærendam esse, contendunt: quòd essentiales proprietates corporis naturalis, iuxta

Sacram. profanatoribus Deus horribiliter irascitur.

Philosophiam solidam & seueram, literalem sensum non admittant: quoniam vnum & idem numero corpus, simul & semel in diuersis locis esse non possit. In quem errorem delapsi sunt, quòd aperte fateantur: se de corpore Christi non aliter iudicare posse, quàm CORPORIS NATVRA IVBEAT, *& admittat.*

Causa erroris Zuuingl. de cœna Domini.

Diximus autem suprà, corpus Christi quidem per omnia nostris corporibus, quò ad essentiam, peccato excepto, simile esse, sed propter personalem vnionem, non modò super omnia corpora humana, verùm etiam supra omnes angelicas naturas exaltatum, & in Deum assumptum esse: qua ratione extra OMNEM LOCVM *&* TEMPVS *constitutum esse, manifestum est, nisi Deum ipsum, certum locũ aut in loco esse dicamus, quod absurdũ, & falsum est.*

Quemadmodum igitur Deus, non sui ipsius diffusione, instar humoris, aeris, aut lucis, vbiq; præsens est, sed IN SEIPSO, *sicut Augustinus loquitur: sic nulla quoq; corporis Christi,* QVOD IN DEVM ASSVMPTVM EST, *in omnia loca diffusio fingenda est, propter præsentiam, quæ illi ratione communicationis huius maiestatis, per vnionem personalem, & sessionem ad Dexteram Dei, tribuitur.*

Corpus Christi vbiq; diffusum.

Nam sicut Deus non factus est maior post conditam machinam mundi, quàm fuit, antequam hic mundus crearetur, nec vt esset, mundo indigebat, sed IN SEIPSO ERAT: *sic cùm cœlum & terram implere dicitur, non fingenda est aliqua eius diffusio, sed in seipso vbique omnibus creaturis præsens est, absq; omni loci & temporis ratione: cui vt nihil præteritum aut futurum, sic nihil quoq; ratione locali, prope, aut remotum, sed omnia diuino modo præsentia sunt. Quod D. Augustinus simili declarat: Sicut, inquit, est magna sapientia, etiam in homine, cuius corpus est paruum: & si duo sunt sapientes, quorum alter corpore grandior, neuter sapientior: non est illa in maiore maior, minor in minore, aut minor in vno, quàm in duobus, sed tanta in hoc, quanta in illo,*

Deus quomodo vbique sit.

Epistola 57. ad Dardanum.

Simile de sapientia.

& ta-

& tanta in vnoquoq; quanta in vtroque. Neq; enim, si æqualiter sunt omnino sapientes, plus sapiunt ambo, quàm singuli, quemadmodum si ambo sunt immortales, non plus viuunt ambo, quã singuli.

Hæc de Deo si quis diligenter expendat, quòd videlicet Deus IN SEIPSO *sit vbiq;, facilè se ipsum quoq; expediet, quomodo de Deo sine locali diffusione & extensione intelligi debeant. Nisi enim (inquit Augustinus) cùm dicitur, Deus est vbiq; totus, addatur* IN SEIPSO, *parum distinctè intelligi posset: ideoque diligenter exponendum esse. Quomodo enim (ait) vbiq;,* SI IN SEIPSO? VBIQVE *scilicet, quia nusquam est & absens,* IN SEIPSO *autem,* QVIA NON CONTINETVR AB EIS, *quibus est præsens, tanquam sine eis esse non possit. Et paulò pòst: Totus* IN SEIPSO EST, *nec in quibus est, ita est, vt indigeat eis,* TANQVAM NON POSSIT ESSE, NISI IN EIS.

Deus quomodo vbique.

Quo nomine à corporibus differt Deus: tolle (inquit Augustinus) spacia locorum corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Loquitur autẽ Augustinus de corporibus, quatenus sunt corpora per se, & sine respectu alterius considerata. Nam corpus, quatenus corpus, circumscriptionem requirit, siue localem, siue definitiuam, quia creatura est, & finita.

Corpora omnia circumscripta & finita.

Quando autem corpus IN DEVM ASSVMPTVM *dicitur, qui vbiq; est* IN SEIPSO, *corpus assumptum, nouum* ESSENDI MODVM *& respectum acquirit, quo ex numero creaturarum quidem non eximitur, permanens proprietate suæ naturæ finitum & circumscriptum, sed particeps factum est &* EIVS MAIESTATIS, *cuius participatione, sine diffusione locali, omnibus reb: præsens est. Qui modus (inquit Stapulensis) non modus, & sine modo est. De quo idem August. in eadẽ Epistola scribit: Noli dubitare,* IBI *nunc esse hominẽ Christũ Iesum, vnde venturus est: memoriterq; recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad Dextram Patris*

Corpus in Deum assumptum.

Patris, nec aliunde, quàm inde venturus est, ad viuos mortuosq; iudicandos: & sic venturus est, illa angelica voce testante, QVEMADMODVM *ire visus est in cœlum, id est,* IN EADEM CARNIS FORMA *& substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit.* SECVNDVM HANC FORMAM, NON EST PVTANDVS VBIQVE DIFFVSVS. *Cauendum enim est, ne ita* DIVINITATEM *astruamus* HOMINIS, *vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est,* ITA SIT VBIQVE, VT DEVS: *nam & de nobis veracissima scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur & sumus: nec tamen, sicut ille, vbiq; sumus.* SED ALITER HOMO ILLE IN DEO, *&* ALITR EST DEVS ILLE IN HOMINE, PROPRIO QVODAM, ET SINGVLARI MODO. VNA ENIM PERSONA DEVS ET HOMO EST, ET VTRVMQVE VNVS CHRISTVS, EST VBIQVE, PER ID QVOD DEVS EST, IN COELO AVTEM, PER ID, QVOD HOMO EST. *Hactenus verba Augustini: quæ ideo hîc coronidis vice integra adscribere visum fuit, quòd ea Zuingliani semper in ore habeant, & illis contra Maiestatem Christo homini communicatam, turpiter abutantur.*

Qua forma Christus non vbique diffusus.

NB.

Nota correctionē præcedentiū verborum Augustini.

Augustinus enim hoc loco collationem instituit Deitatis in corporeæ, cùm corporibus, RATIONE EXISTENTIÆ SVÆ: *& docet, Deum vbiq; diffusum esse, corpus non vbiq; diffusum esse. Vtrumq; autem corrigit, quod de vtroq; dixit: nam Deum ita diffusum intelligit & explicat: quòd non* PER SPACIA LOCORVM, QVASI MOLE DIFFVSA *sit diuinitas, quoniam incorporea est. Nec Pater, Filius & Spiritus Sanctus corpora sunt, quorum amplior sit in tribus, quàm in singulis magnitudo.* NEC LOCA SVIS MOLIBVS CONTINENT, VT DISTANTIBVS SPACIIS, SIMVL ESSE NON POSSINT. *Sic quoq; cùm dixisset: Tolle spacia locorum corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, non erunt: quando hoc ad corpus Christi*

Discrimen inter corpus & Deitatē.

Christi applicat, idq; corporibus nostris probat, qui in Deo sumus, viuimus, & mouemur: non tamen ITA VBIQVE *sumus, sicut ille: statim & hoc quoq; corrigit, ne diuinitatem homini Christo auferat. Aliter (inquit) homo ille in Deo, quoniam & aliter Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumq; vnus est Christus Iesus, vbique per id quod Deus est: in cœlo autem per id, quod homo est.*

Hæc posteriora verba arripiunt, & perpetuò vrgent aduersarij, Augustinum apertè dicere, Christum PER ID, *quod Deus, esse vbique, sed per id quod homo, in cœlo. Ideoq; negare hominem Christum, hoc est, Christum secundum humanitatem suam, in terris nobiscum esse, siue in Sacramento, siue extra Sacramentum consideretur. Sed manifestam esse verborum Augustini deprauationem, ex eo patet, quòd præcedentia verba non considerarunt. Nam inter hos duos scopulos considerate nauigandum esse docet, ne vel* HOMINIS *Christi* DIVINITATEM *negemus, aut corporis Christi veritatem auferamus. Quia vt maximè nos simus, viuamus, & moueamur in Deo, non tamen sumus Deus, aut vna persona cum Deo. Sed hic homo est Deus, & Deus & homo vnus est Christus. Quando ergo dicit Augustinus, per id quod Deus, esse vbiq;, per id verò quod homo, in cœlo: non sic accipiendum est, quasi dimidius Christus sit vbiq;, & dimidius in cœlo: nam Deus sine homine non est Christus, neq; homo sine Deo est Christus: sed Christus est Deus & homo, vnus Christus, non duo, indiuisus: totus in cœlo, Deus & homo, totus vbiq; Deus & homo. Nam quatenus Deus,* IN SEIPSO *est vbiq;, qui vt præsens sit, creaturis non indiget. Sic quatenus assumptus homo (assumptus homo dico cum Augustino) in ipso Deo est, qui vt creaturis adsit, creaturis non indiget: non enim in Deum assumpta est eius humanitas, tanquam in locum, sed in hoc ipsum, quod est extra omnem locum, videlicet* Λόγον, *qui omnia* IN SEIPSO *implet.*

Explicatio verborum Augustini.

Christus quomodo vbique.

Ac ne quid hîc contra mentem Augustini fingere videar, visum est, ex alio loco verba eius recitare, quibus aduersus hanc Zuinglianorum deprauationem, sui ipsius optimus interpres est: sic autem sonant eius verba: Quamuis, inquit, in terra factus sic filius hominis, diuinitatem tamen suam, qua in cælo manens, descendit ad terram, non indignam censuit nomine filij hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine Filij Dei, non quasi duo Christi accipiantur, vnus Deus, & alter homo, sed vnus atq; idem, Deus & homo: Deus, quia in principio erat Verbum, & Deus erat Verbum: Homo, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ac per hoc, PER DISTANTIAM DIVINITATIS ET INFIRMITATIS, *Filius Dei manebat in cœlo, filius hominis ambulabat in terris, per vnitatem verò personæ, qua vtraq; substantia vnus Christus est, & Filius Dei ambulabat in terra, & idem ipse* FILIVS HOMINIS MANEBAT IN COELO. *Fit ergo credibilior fides, ex incredibilioribus creditis. Si enim Diuina substantia longè distantior, & incomparabili diuersitate sublimior,* POTVIT *propter nos ita suscipere humanam substantiam, vt vna persona fieret, ac sic filius hominis, qui erat in terra,* PER CARNIS INFIRMITATEM, *idem ipse esset in cœlo* PER PARTICIPATAM CARNI DIVINITATEM: *quantò credibilius alij homines sancti, & fideles eius, fiunt cum homine Christo vnus Christus, &c. Hactenus Augustini verba.*

Tom. 7. De peccatorum meritis & remissione lib. 1. cap. 31.

Quom. filius hominis in cœlo fuerit, cùm esset in terra.

NB.

Hîc quæso gradum siste Hypocrita, & de Augustini sententia paululum colloquamur: vbi filio hominis, filio, inquam, hominis, propter vnitatem personæ duarum naturarum in Christo, duo tribuit: alterum carnis infirmitatem, qua ambulauit in terra: alterum, diuinitatem carni participatam, participatam dicit, non absolutam diuinitatem, qua caro assumpta ad plenitudinem Deitatis est exaltata, SIMVL IN COELO ET TERRA FVISSE *dicitur.* Qua-

Quapropter categoricè respondeas, à me interrogatus: num D. Augustinus de sola Diuinitate loquatur, cùm inquit, filium hominis per participatam diuinitatem in cœlo esse, cùm in terris ambularet, vt idem sit, ac si dixisset: SOLA DIVINITAS EST IN COELO? *Quid taces? Cur non respondes Opinator? Num idem Augustino est: Diuinitas est in cœlo, & filius hominis per participatam Deitatem est in cœlo? Respondeinquam? cur siles Hypocrita? Diuinitas ne participat Diuinitatem? An verò caro? Hîc scio conscientiam tuam constrictam esse, vt nusquã euadere aut elabi possis. Nã propter incredibilem assumptionẽ humanæ substantiæ à substantia diuinitatis factã (inter quæ longè maior diuersitas est atq; distantia, quàm cœli à terra) dicit filium hominis esse in cœlo, dum ambulabat in terra, & cum Nicodemo loqueretur. Quo significare voluit, quòd nisi carnis assumptæ & Filij Dei vnio facta esset personalis, caro ad illam sublimitatem ascendere non potuisset: sed cùm vnus sit Christus, non duo, & totus Christus in cœlo, & in terra est: ideo non solùm diuinitas in cœlo est, sed etiam caro, per participatam hanc diuinitatem.* NB.

Hæc mens & sententia est Augustini, nec aliam totus grex Zuinglianorum ex Augustini verbis euincere, aut demonstrare poterit. Quæ verba, si cum ijs conferas, quæ ad Dardanum scripta extant, res ipsa ostendet, quòd non modò inter se non pugnent, sed etiam se inuicem, & secundum Analogiam fidei nostræ, interpretentur.

Nam quòd illic, Christum secundum id quod homo, esse in cœlo ait: naturam ipsam humanam, in sua essentiali proprietate consideratã intelligit, (qua ratione sola, eo in loco illam cum diuinitate confert) idem hîc per carnis INFIRMITATEM, *videlicet, hanc ipsam naturam, per se, sine* RESPECTV VNIONIS, *ad verbum intelligit: sicut expressè, distantiam*

diuinitatis & INFIRMITATIS nominat: cui INFIRMITATI deinceps vnitatem personæ, & PARTICIPATIONEM diuinitatis opponit, vnde humana natura habet, vt in cœlo sit, quando cũ Nicodemo Christus in terris loqueretur. Quod igitur hîc scribit Augustinus, nos quoq; dicimus, & libenter fatemur, videlicet, per distantiã diuinitatis, & infirmitatis, hoc est, si diuinitatẽ cum humanitate cõparaueris, Filius Dei manebat in cœlo, & Filius hominis ambulabat in terra. Nã singulæ substantiæ, diuina et humana, hoc modo, per se, in proprietate suæ naturæ, considerantur, & quid cuius q; proprium sit, ostenditur. Sed alia ratio humanitatis Christi est, si in vnitate personæ Verbi Dei cõsideretur, qua Filius Dei verè ambulabat in terris, & Filius hominis erat in cœlis, cum Nicodemo assideret. Hæc non est nominis duntaxat communicatio, aut nominum permutatio, sed Realis communicatio. Tu es (inquit Petrus, in terris Christo existente) Filius Dei viui, nec solus homo, sed verè Filius Dei, in terris ambulauit, quod tam Iudæi credere non poterant, neque adhuc credunt, quàm Zuingliani credere non possunt, filium hominis in cœlo fuisse, quando cum Nicodemo colloquebatur.

Causa erroris Zuinglianorum.

Erroris autem huius vnica causa est, LOCI IMAGINATIO: quasi localis sit Filij Dei descensus E COELO in vterum D. virginis Mariæ, & localis ascensus necessarius, vt ad hoc cœlũ redeat Christus, ex quo Filius Dei descendit. Nisi enim hac carnali cogitatione de loco occupati essent, facilè viderent, Filium hominis in cœlo fuisse, quum loqueretur cum Nicodemo, cùm longè sublimius & altius sit, esse vnam cum Deo personam, quàm simul in cœlo esse, quod extra omnem loci rationem fit, diuino & cœlesti modo. Idque non aliter intelligi posse, ipsa CHRISTI verba apertè demonstrant, qui Filium Dei non nominat, sed de Filio hominis loquitur: Nemo, inquit, ascendit in cœlum, nisi qui descendit, filius hominis, qui est in cœlo.

Carnalis imaginatio de descensu & ascensu Christi in cœlum.

lo. Nam Filius Dei non descendit è cœlis locali descensu, qui prius præsens est semper, sed descensus eius est, naturæ humanæ assumptio, in inferioribus terræ, hoc est, in vtero matris, sicut Psal. 139. scriptum est: Non est occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ. Quomodo Filius Dei è cœlo descenderit.

Hæc omnia cùm ignorent Zuingliani, occupati & fascinati cogitationibus, & imaginationibus de loco: ideò, quum de sententia & verbis orthodoxorum Patrum dicitur: Corpus Christi in Eucharistia, SVB PANE, IN, ET CVM PANE *præsens esse, statim loci imaginatio illis occurrit, quasi corpusculum contractis manibus & pedibus,* IN, *vel,* SVB *pane latitare doceamus. Eiusmodi præsentiam dum oppugnant aduersarij nostri, non contra nostram doctrinam, fidem, aut confessionem, sed contra suum ipsorum figmentum pugnant. Nos enim nihil horum fingimus, credimus, aut docemus, sed ab omni carnali cogitatione & imaginatione, ad personam Christi testatoris, & eius verbum, auditores nostros reuocamus, & docemus, quemadmodum, quum de ipsius diuinitatis præsentia cogitamus,* IN OMNIBVS CREATVRIS, *quibus verè, realiter, & essentialiter præsens est, omnem loci cogitationem remoueri necesse est: vt non sit in creaturis, sicut vinum in cantharo, vel aqua in vitro: ita quoque, cùm de præsentia* CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI *in Eucharistia quæritur, docemus, nihil carnale imaginandum, sed hanc præsentiam à Mysterio vnionis personalis repetimus, qua humana Christi natura, in Deum assumpta est, sicut suprà verbis Augustini expositum est. Quam imaginationem de loco, si abijcere possent aduersarij nostri, non modò verba Testamenti Christi, verùm etiam omnes promissiones, de præsentia totius Christi, in sua simplici, germana, genuina, & literali sententia, sine omni humana glossa, retinerentur, quum inquit Christus:*

Vbi sunt duo vel tres in meo nomine congregati, EGO SVM IN MEDIO IPSORVM. *Item: Ego sum vobiscum semper omnibus diebus, vsq; ad consumationem seculi. Nam quòd Pronomen* (EGO) *pro diuinitate interpretantur, quæ non est totus Christus, glossa textui aperiè repugnat. Hinc, cùm inter cœlum, in quo sit corpus Christi, & inter terram, ingens διάστημα & interuallum sit, nullo modo fieri posse, ratiocinantur, vt Christus etiam secundum humanam naturam, simul in cœlo & in terra adesse possit. Quasi verò non sublimior modus sit maiestatis diuinæ, quo Deus omnibus rebus præsens est, & in quam maiestatem humana natura assumpta est, quàm localis duntaxat modus, quo corpora hominum se inuicem attingunt, qui corde & animis à se inuicem disiunctissimi sunt.*

Cœlestis modus præsentiæ locali præstantior.

Et sic in aduersarijs impletur illud Irenæi, quod libenter in nos torquerẽt: MVLTA MALE INTERPRETARI OPORTERE EOS, QVI VNVM NON VOLVNT RECTE INTELLIGERE.

Incertitudo glossæ Zvuinglianorum de Christo.

Quis enim vnquam me certum reddet, cùm inquit Christus: Ego sum vobiscũ, vt idem significet, quod, diuinitas mea erit semper vobiscum, cùm summa consolatio nobis in eo repositа sit, quòd sciamus, hominem istum, carnem & sanguinem, & fratrem nostrũ, nobiscum esse? Qui cùm sit Deus, & exaltatus ad celsitudinem Deitatis propriam, nobis non modò possit, sed etiam velit opitulari, in omnibus necessitatibus nostris. Quapropter tutissimum est, abiecta hac glossa, quam falsa imaginatio loci peperit, textu niti, qui nobis integrum Christum præsentem sistit, in seipso, non localiter vbique præsentem, quæ præsentia consolatione plenissima est.

Etsi enim nobis satis fortis est Deitas omnipotens & omnipræsens, vt nos ex omnibus periculis eripiat & conseruet: tamen, quia sine mediatore nobis semper formidabilis est, ideo humanitatis Christi certa & indubitata præsentia, dulcissimam consola-

tionem

tionem affert, qua perturbatæ conſcientiæ eriguntur. Quapropter nunquam nos à textu verborum Dei, ad eiuſmodi gloſſas abduci patiamur, ſiue veteres ſint, ſiue recentes.

Et huc pertinet illud vulgare, ſed graue, verum, & pijſſimum dictum: Textu, non gloſſis nitendum.

Multos ſpecioſa fefellit
gloſſa, verbo nitere, TVTVS ERIS.

Idem iudicium eſt de manducatione carnis Chriſti, & eius ratione Sacramentali, quam Zuingliani contra aperta verba Teſtamenti Chriſti, ab orthodoxa Eccleſia veteri, iam inde à temporibus Apoſtolorum aſſertam, manifeſtè negant.

Nullam enim corporis Chriſti manducationem aliam nouerunt, neq; nouiſſe, vel admittere volunt, quàm eam ſolam, de qua Ioh. 6. cap. diſſeritur: quam dicunt nihil aliud eſſe, quàm credere, corpus Chriſti pro nobis traditum. Id cùm in omnibus conuiuijs, prandijs, & cœnis fieri poſſit, imò, ſi Chriſtiana conuiuia celebrare volunt, fieri debeat, cùm manducatio hæc fidei ſit perpetua, nullis locis aut temporibus alligata: certum eſt, Zuinglianorũ cœnã Dominicã, ab alijs piorum cõuiuijs, ratione manducationis carnis Chriſti, nihil differre. Nec memoria mortis Chriſti adeò inſigne diſcrimen facere poteſt, cùm omnibus momentis horarũ, memoria mortis Chriſti, apud Chriſtianos omnes, recentiſſima eſſe debeat. Zuingliani vnam tantum rationem mãducandi carnẽ Chriſti admittunt.

Diſcrimen aũt hoc facit, realis præſentia & diſpenſatio corporis & ſanguinis Chriſti in Myſterio, ad quam hoc ſacrũ conuiuiũ inſtituũ eſt: in quo, (in Myſterio, ſupra naturam, & omnẽ humanũ intellectũ poſito) ad confirmationẽ manducationis illius per fidem perpetuæ, corpus Chriſti verè & realiter cum pane manducatur, & ſanguis eius cum vino bibitur. De quo cùm ſuprà ſufficienter dictum ſit, lectorem hîc diutius non detinebimus.

Sicut de circumſtantijs quoque ſatis dictum eſt, quas affectata ignorantia ordinis primæ cœnæ Domini, ad errorem ſuum cõfirmandum, peruersè accommodare ſtudet, quaſi Chriſtus Infirmum fundamentum Zuinglianorum.

panem

panem & vinum cœnæ Domini discipulis distribuerit, ipsiq; manducauerint, & biberint, priusquam diceret: Hoc est corpus meum, &c. hic est sanguis meus, &c. quod ex Marco Euangelista probare conantur, cùm ordinis ratio à Luca potius petenda sit, qui eam quoq; in historia Euangelica conscribenda promisit.

5. *Ad mitigationem offendiculi quod attinet, quo Ecclesia Dei nunc multis annis infelici controuersia hac perturbata fuit, nec turbarum istarum adhuc finis est, verè hoc dicit, quòd Christus hac ipsa Ecclesiam suam exercuerit. Interim tamen authores, & qui causam huic malo dederunt, minimè excusati sunt, sed iuxta illud Christi, vt maximè oporteat venire offendicula, væ tamen, atque iterum væ, inquit, homini, per quem veniunt.* Pœna offendiculi. *Culpam sanè & causam in nos reijcere non possunt, qui constanter verbis Testamenti Christi insistimus, his nitimur, nec patimur nos ab illis, ad glossam humanam incertam abduci, quæ ex verbis Christi probari non potest, neq; eis consentanea est.* Quis causa huius offendiculi.

Qui probati Christiani sint in controuersia Sacramentaria. *Rectè ergo eos probatos & manifestos Christi milites esse dicimus, qui vera & simplici fide his verbis adhærent, sine omni humana glossa, quos etiam suo tempore Dominus coronabit, si vsq; in finem perseuerauerint. Qui verò relicto verbo Christi, ad humanam glossam se conuertit: is sciat se Christo nullum cultum præstare, nec veram fidem retinere, sed incerta opinione niti, qua tandem confundetur. Non enim super petram, sed super arenam ædificata est eiusmodi opinio, ideò leuissimo vento tentationum concussa, corruit, & consistere non potest.*

6. *Huic cognata est adhortatio ad virtutes Christianis dignas, in qua suæ opinionis socios alloquitur, & duo præsupponit, alterum, quòd Dominus & Saluator Christus dederit illis idipsum cum Hypocrita sentire, cùm non ignoret, erroris huius authorem vnicum esse spiritum tenebrarum, de quo Zuinglius dicit: Aeter an albus fuerit, se non meminisse, sicut suprà docuimus.*

Deus non est author consensus Zuinglianorum.

Dein-

Deinde præsupponit etiam, quòd ipse & sui erroris propugnatores habeant fidem, cui pij reliquas virtutes adijcere debeant, cùm nihil aliud quàm incerta, imò manifestè falsa sit opinio, SCRIPTO *verborum Cœnæ Domini planè contraria, qua corpus noui Testamenti abolent, & vmbras atq; typos Mosaicos in Ecclesiam reuocant, atque hoc modo Sacramenta noui Testamenti euacuant.* Zvvingliani vera fide carent.

Quapropter, si maximè reliquis virtutibus ornati essent, Hypocritas tamen, non verè Christi fideles, repræsentarent. Quicquid enim non ex fide est, peccatum est: fidem autem in Christum veram non habet, qui ipsum in verbis Testamenti eius mendacij arguit, & propter cæcum rationis humanæ iudicium (quod Mysterium Regni Dei non capit) scriptum verborum institutionis non recipit, sed in Metonymiam, & inanem figuram Grammaticam peruertit, quæ in permutatione nominum duntaxat consistit, quod verè fideles non faciunt, sed verbis Testamenti Christi simpliciter fidem habent, qui neq; fallere, neq; mentiri potest &c. Hypocritæ Zvvingliani.

In altera admonitione, eos alloquitur, qui clàm cum ipso eius q; errore faciunt, sed propter odium aut periculum declinandum, non profiteri audent. Quæ sanè minimè reprehendenda esset, si doctrina, quam profitentur, verbo DOMINI *consentanea esset. Nam veritati, & eius ingenuæ confessioni, nihil anteponi, ac ne quidem ipsa vita præferri debet: iuxta illud Christi: Nolite metuere eos, qui corpus occidunt, &c. Item: Quisquis me confitebitur coram hominibus, illum confitebor coram Patre meo cœlesti.* Admonitio ad clandestinos fratres. 7.

Sed quoniam in maximo, & quidem non vno, sed multiplici errore versantur, inde fit, vt conscientia eorum sit cauteriata, nec profiteri cũ fiducia possint, quod sentiunt, cùm verbo Christi aduersentur, & humana duntaxat autoritate & interpretatione nitantur. Quapropter cùm in periculo versantur, simulant & dissimulant, & sibi silentium imponi patiuntur, donec melior aura aspirauerit, & brachium seculare nacti fuerint, tunc erumpunt, Conscientia Zvving cauteriata.

& inhumanitate & crudelitate Papistas, si non superant, saltem æquant.

Lumen intelligentiæ Zuinglianæ.

Diligenter verò notandum, quod illis minatur, videlicet, ne fortè INTELLIGENTIÆ LVMEN AMITTANT, *si contra conscientiam agant. Lumen autem intelligentiæ appellat, quòd quis iudicio rationis & intellectus humani intelligit, panem esse panem, & vinum esse vinum: Item, panem & vinum habere nomen corporis & sanguinis Christi: Item, corpus & sanguinem Christi per hæc significari. Hoc tanquam singulare lumen Spiritus sancti prædicat, quasi verò homo non regeneratus illa doceri, & capere non posset?*

8. *In tertia admonitione eos alloquitur, qui per ætatem, hanc controuersiam nondum cognoscendam susceperunt, aut iudicare potuerunt: quibus præceptum tradit, & regulam præscribit, quam si Opinator ipse sequeretur, has turbas in Academia Heidelbergensi nunquam dedisset.*

Regula pia iuuentuti studiosè tradita: Ex solius Christi verbo in cœna Domini statuendum.

Rectè enim monet eos, Tyrones inprimis, VT SOLI CHRISTO SE ADIVNGANT, EX ILLIVS SOLIVS VERBO, *quid de illo statuendum sit, in timore Dei studiosè discant. Nam extra institutionem Cœnæ* DOMINI, *& eius explicationem, quæ in Paulina Epistola extat, in tota Scriptura sacra, nihil de hoc Mysterio extat: Ideo ex solius Christi verbis de hoc Mysterio iudicandum & credendum est, quod Euangelistæ & Apostoli nobis tradiderunt. His si iuuentus vera & indubitata fide adhæreat, nulla prorsus disputatione, aut curiosa, aut prolixa inquisitione opus est: nam verba Christi sunt plana, perspicua, quamuis sensus & ratio non capiant: tamen fides, in verbum omnipotentis & veracis Filij Dei respiciens, intelligit & capit.*

9. *Omnem verò curam & solicitudinem eò intendant, vt se à peccatis mundent, & dignos conuiuas, vera fiducia, solius innocentiæ Christi, præbeãt. Hoc enim Apostolus exigit, cùm diligenter mo-*

ter monet, vt quisq; seipsum prius probet, quàm de pane illo edat, & poculo Domini bibat.

Facilè autem cauere possunt, ne calculi eorum cognitionem tantæ rei præuertant, si oculos mentis perpetuò in verba Testamenti Christi, diligenter intentos habeant. Mysterium enim hoc, sicut nunc aliquoties dictum est, non intelligitur, sed creditur. Ideoq; tutissimi sunt, qui nihil prorsus disputant, sed verbo credunt, & Christo laudem veritatis & omnipotentiæ vera fide tribuunt, & hoc Mysterio corde fideli pœnitenti vtuntur. 10.

De celeritate quod dicit, quàm inuestigationi veritatis noceat, illud psalmi opponimus: Hodie cũ audieritis vocẽ Domini, nolite obdurare corda vestra. Nihil hîc obscurum, dubium, ambiguum, verba Testamenti Christi sunt clara, perspicua, adeoq; veritas ipsa. Ideoq; eius inuestigatio est, de eorum veritate non dubitare, sed firmiter credere, hoc esse, quod Christus affirmat, suum corpus, & suum sanguinem. 11. Celeritas in assentiendo. Psalm. 95.

Hîc nulla opus est Philosophia, nullo rationis humanæ acumine, quibus hæc Mysteria abscondita sunt, neq; his instrumentis comprehendi possunt, sed SOLA FIDE OPVS *est, quæ capit & intelligit.* 12.

Iure autem irascuntur verè pij omnibus illis, qui, quum modulo rationis suæ mysteria hæc comprehendere non possunt, à scripto verborum institutionis Christi, homines simplices, ad cogitationes humanas, philosophiæ et rationis humanæ, abducunt, & loco corporis & sanguinis Christi, eos figura Grãmatica, Metonymia, pascere volunt: de quo Domino rationem reddituri sunt. 13.

Damnamus autem nos quoq; seruilem conditionem, qua sectæ alicui per imprudentiam addicti, ab aliorum nutu & renutu pendent, & semper illud Apostoli in ore nostro sit: Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. Hoc verò accidit illis, qui scripto verborum Testamenti Christi relicto, se ad glossam huma- 14. Seruilis conditio, qui in rebus diuinis ab aliorum nutu pendent. 1. Corinth. 6.

nam abduci patiuntur, in qua tamdiu consistunt, quamdiu glossarum autores in ea perseuerant: ab ijs autem deserti, in tentationibus, miserè succumbunt, cuius rei, si opus esset, plurima exempla commemorare possem.

Nihil verò horum metuendum est illis, minimeq; seruilis eorũ conditio est: qui SCRIPTVM VERBORVM *Christi, eiusq; germanum, literalem, & non ab homine excogitatum, & aliunde allatum sensum, retinent, qui in libertatem à Christo asserti, &* EIVS SOLIVS SERVI, *ab ipsius ore & nutu pendent, qui dixit, & facta sunt, qui est firma petra, & eius verbum veritas, quod fallere non potest. Qui etiam in tentationibus consistunt, & non confunduntur in æternum. Hæc (inquiunt) Christus dixit: his verbis ego firma fide assentior, in his per gratiam ipsius persisto, nulla mihi hîc opus est humana interpretatione, nulla Grammatica figura: verba sunt perspicua & clara, et quamuis non intelligã, quomodo id fiat, quod promittit, de eius tamen veritate & potentia nihil dubito, qui, quod promisit, potest quoque præstare. Hoc firmiter credo.*

Lutherani ab ore & nutu Christi pendent.

Certitudo fidei Lutheranorum.

Eiusmodi securitatem & certitudinem, adeoq; animi πληροφορίαν, scio, Hypocrita noster, suæ opinionis socijs & discipulis, nunquam promittere potest SVA METONYMIA: *quin eos in perpetua dubitatione, de voluntate & sententia verborum Christi, relinquit, & tandem in desperationem præcipitat, nisi Deus mirabiliter eos liberauerit.*

15. *Quod sequentia eius verba manifestè docent, quibus nostros auditores accusat, quòd à nutu & renutu nostro pendentes, in* NOSTRAM GRATIAM, *diuersa modestè docentibus, maledicant, nec eos audire, nec eorum scripta legere velint.*

In fidei negotio nemo ab alterius nutu pendeat.

Sed heus, bone vir, vnde demonstrabis, nostros auditores à nostro nutu, & renutu pendere? quis ex nostris hoc vnquam docuit, vt facerent? Quin sedulò monemus semper: VT AD SOLVM CHRI-

CHRISTI VERBVM *respiciant, huic nihil addant, nihil detrahant, eius verba non mutent, illis nullum alium sensum affingant, quàm litera ipsa ostendit. Cuius rei etiam aduersarios nostros testes habemus, & inprimis Hypocritam nostrum, qui* FATETVR, *nos scriptum verborum Christi retinere in verbis Cœnæ* DOMINI, *& eò, tanquam ad fundamentum suæ fidei, auditores nostros deducere. Hoc ne est à* NVTV ET RENVTV NOSTRO *pendere?*

Deinde quis vnquam docuit, VT IN GRATIAM NOSTRAM, *alijs, diuersa & contraria docentibus, maledicant, eorum libros non legant, eos non audiant?*

Non enim vllius fidei dominamur, ideoq; in gratiam nostram aliquid credere vel non credere, tanta seueritate prohibemus, quanta singulis æterna salus animæ curæ est: Maledictus, inquit DOMINVS *per Prophetam, vir, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Id cùm de rebus huius seculi dictum sit, quantò magis locum habebit in spiritualibus, vbi* IN SOLVM DEVM, *& verbum eius, respiciendum est, ne ad Idola, & humanorum cordium inuentiones, (vt Scriptura appellat) conuertamur.*

In gratiam nostrã Zwing. non fugiendi.

Ier. 17.

Interim officij nostri esse scimus, si quis SCRIPTO *verborum Christi diuersam, & contrariam doctrinam asserat, vt illud Apostoli auditoribus nostris commendemus: Si quis aliud Euangelium Euãgelizauerit vobis, etiamsi Angelus è cœlo esset, Anathema sit. Et Paulus ipse tales doctores execratur, qui fidem simplicium peruertunt: Vtinam, inquit, excindantur,* QVI VOS CONTVRBANT. *Item: Hæreticum hominem, postea vnam & alteram admonitione deuita, sciens quòd peruersus sit, & proprio iudicio damnatus. Non iubet eos audire, eorum libros legere, sed iubet eos fugere, vitare. Quid enim librorum eorum lectio ipsos iuuaret, aut quid prodest, vt eos audiant?*

Autores falsorum dogmatum maledicti.

Gal. 1.

Gal. 5.

Tit 3.

1. Thess. 5. *Sed obijcit hypocrita: Omnia probate, & quod bonum est tenete: Nemo inauditus damnandus. Cui respondeo. An verò in Ecclesia non satis sufficienterq; auditi sunt doctores Zvuingliani & Caluiniani? Nam vt de publicis solennioribus colloquijs nihil dicamus, in quibus Marpurgi Zvuinglius & Oecolampadius, Maulbrunnæ eorũ discipuli, in præsentia Illust: Principum auditi sunt, an verò non orbem terræ repleuerunt suis libris? qui nunc ad annos quinquaginta ab omnibus lecti sunt? Num adeò indocti sunt, vt ita scripserint, ne à quoquam intelligi possint? Aut nos tam bardos & stupidos esse arbitrantur, vt non intelligamus, quæ sit eorum sententia? Qui in hoc solùm elaborant, vt nobis demonstrent, panẽ esse panem, vinum esse vinum. Quid quæso opus est sermone vel scripto, vt id nobis persuadeant? Oculi, manus, lingua, nares, adeoq; omnes sensus nostri hoc docent.*

Zvvingliani suffi-cienter auditi.

Zvvingliani fugiendi & eorum libri non legendi.

Rectè ergo auditores nostri faciunt, & præcepto Apostoli obtemperant, quòd eiusmodi doctores peruersos fugiunt, & eorũ libros non legunt, de quorum impia doctrina constat, quòd auditores & lectores, A SCRIPTO *verborum Testamenti Christi, ad rationis & Philosophiæ (quam tanquam radium diuinæ sapientiæ commendant) cogitationes & iudicium abducant, vt mysteria hæc nõ credant,* SED INTELLIGANT. *Qua in re, pia corda nobis monitoribus non indigent.*

Synodo propter controuersiam Sacramentariam non opus est.

Multò minùs Synodo, vel vniuersali, vel particulari, ad hanc controuersiam dijudicandam opus est: Sicut etiam ad reprimendas hæreses pullulantes, non semper celebratæ sunt: sed verbo Domini statim eo loco damnatæ & repressæ sunt, vbi natæ fuerunt, quod Augustinus testatur.

Sic in hac quoq; controuersia planè opus non est, quoniam cõtrouersia non est ignota: partes litigantes se inuicem, quæ cuiusq; sententia sit, probè intelligunt. Nos Scriptum verborum Testamenti Christi retinemus, & secundum literam accipimus ac credi-

mus,

mus, & auditores nostros idem credere docemus. Id si nobiscum sentiunt Zuingliani & Caluiniani, controuersia composita est: Si facere recusant, NVNQVAM *illis cedemus, si mille Synodi cogerentur. Non.n. possumus, neq; volumus,* A SCRIPTO *verborum Testamenti Christi recedere: sicut neq; illi à somnio suæ rationis, & Philosophiæ humanæ recedunt. Ideo frustrà Synodus cogeretur, cùm neutra pars alteri sit cessura. Interim pia corda nequaquam in suspenso tenentur, sed electio est penes ipsum lectorem, vel auditorem, an velit cum textu verborum Christi, & Scripto perseuerare, an verò contra Scriptum, glossam Zuinglianorum amplecti.*

Quam verò vulnerata sit in hac causa hypocritæ nostri cõsci- 16.
entia, vel hæc pauca eius verba docent, cum ait: Quosdam in aliorũ gratiam, DIVERSA MODESTE DOCENTIBVS, *maledicere. Intelligit enim se, suæq; opinionis erroneæ socios, quib. nostri iniustè maledicant, quòd diuersa quidem à nostra doctrina, sed modestè, doceant: ideoq; non tam inclementer tractandos esse. Nec tantum animi aut spiritus habet, vt audeat dicere, se contraria, imò contradictoria docere, vt auditoribus suis falsò persuadeat, non tanti momenti controuersiam esse, vt propter illam odio digni iudicandi sint, qui nobiscum non sentiunt. Interim tamen principi Palatino persuadere non desinunt, bona conscientia eis animarum curam committi non posse, qui* DIVERSVM *ab ipsis docent. Quos si audiret, & illorum monitis obtemperaret, omnes Ministros fidos & synceros, ex vniuerso Palatinatu, contra Filij Dei, & Electoris Palatini Testamentum, & vltimam voluntatem scripto declaratam, iuniori Principi, Consiliarijs, Scholæ & Ecclesijs commendatam, in exilium eijceret.*

Hæc scil. est illa Hypocritæ nostri, sociorumq; eius MODE- 17.
STIA, *sub qua mendax, crudelis, & sanguinarius spiritus latet, quotidie erumpens tanta vanitate & impudentia, vt quos hactenus demen-*

dementatos, sibiq; obnoxios habuerunt, ab illis deficiant, & ad ouile Christi, ex spelunca rapacissimorum hostium, redeant.

Et quanta in scriptis ipsorum modestia sit, lectio eorum docet, in quibus nullum conuitiorum genus omittunt, quod non in syncteros Ecclesiarum nostrarum Ministros euomuerint, vt de apertis mendacijs, calumnijs, & criminibus falsi, nihil dicamus, de quibus in Refutatione cacodoxi Consensus pius lector satis admonitus est, vt hypocriticum hunc spiritum, suis notis descriptum, cognoscere, & ab eo sibi cauere possit.

18. *Quod verò nostris ex Galeno incurabilem scabiem obijcit, vt quasi, ipsius opinione, ijs similes sint, qui ea laborãt, quid magis apertè in Zuinglianos & Caluinianos dici posset? Scabie enim illos, propemodum incurabili, laborare, inde patet, quòd neq; apud seipsos, neq; apud alios quiescere possunt. Minatur* DOMINVS *populo*
Deut. 28. *Israel, si ab ipsius verbo recesserint: Percutiet, inquit Mose,* DOMINVS, *te scabie & prurigine, vt non possis curari. Sed longè maior plaga, spiritualis est prurigo, de qua Apostolus: Erit, inquit Apostolus, tempus, quum sanam doctrinam non tolerabunt,* SED AVRIBVS PRVRIENTES, *ipsi sibi* PRO CVPIDITATIBVS SVIS *coaceruabunt doctores, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas verò conuertentur.*

Hac scabie correptos esse Zuinglianos & Caluinianos, vel hæc vna pars doctrinæ Christianæ, de cœna Domini, docet. Ipsi enim fatentur, se A SCRIPTO VERBORVM *Testamenti Christi recedere, atq; illud, quibus possunt modis, oppugnare, atque nos accusare non desinunt, quòd* SCRIPTVM *hoc, tanquam fundamentum fidei, & confessionis nostræ, asseramus, neque ab eo per figuram Grammaticam, Metonymiam, abduci patiamur. An verò hoc non est sanam doctrinam auersari, & eam non tolerare?*

Deinde

Deinde scabie Zuingliana correpti, & auribus prurientes, coaceruant sibi doctores, ex omnibus partibus mundi collectos, Parthos, Medos, Elamitas, Iudæos, & Proselytos, Gallos, Belgas, Silesios, Heluetios, Rhetos, Anglos, Polonos, Hungaros, &c. qui pruritui ipsorum fricationibus satisfaciant, & quibus possunt coloribus, pessimam causam ornent.

Ingens verò damnum, in hoc periculosissimo morbo acceperunt, quòd peritissimum medicum amiserunt, Doctorem Erastum, Hypocritæ nostri affinem, qui & autor, & hortator fuisse perhibetur, vt voluptatem huius pruritus etiam experiatur. Sed ehem, eius vices Iurista supplere potest, quem Maulbronnæ ad latus assidentem habuerunt: quandoquidem hi per alembicum Theologis inspirauerunt, quid ad erroris ipsorum defensionem veritati opponere, & ad quæsita respondere, debeant. Et verumq;, non solùm coram Deo, sed etiam coram Illustrissimis Principibus pudere debuisset, tãquam ἀλοτριοεπισκόπους, falcem in alienã messem mittere, & Theologis professione præscribere, quomodo suam causam contra aduersarios tueri possint, aut debeant. Sed afflicta valetudo perito medico, & mala causa astuto Iurista, aduocato & patrono opus habet: qui Ozæ mercedem, suo tempore, pro sua opera 2. Sam 6.
in arca Domini sustinenda, dignam & meritam accipient, de quo Iurista minimè dubitare debet.

Sed quis, quæso, intelligere potuisset, quanta eruditio polyhi- 19.
storis nostri, & quàm multæ lectionis esset, nisi nos per Alcinoum Platonicum docuisset, quomodo res diuinas inuestigare, & cognoscere debeamus: δεῖ, inquit, ἐλεύθεριον εἶναι, τῇ γνώμῃ τὸ μέλλοντα φιλοσοφεῖν. Cui iure Paulus Apostolus, tanquam barbarus Iudæus, cedere debet, qui ad inuestigationem veritatis, ante omnia intellectum humanum in obsequium Christi CAPTIVVM *ducere iubet. Sicut Esaias quoq;: Si credideritis, inquit, intelligetis.*

Hæc paradoxa, & δύσφημα sunt, in oculis & auribus doctissimi, celeberrimi, & in omni scibili, excellentissimi domini Doctoris Ioan. Iacobi Grynæi, Hypocritæ nostri, si tamen illum nominis Doctoris, quod hypocrysi sua perfida redemit, non pudet. Is enim rationem humanam, tanquam radium diuinæ sapientiæ magnifacit, ne Deo pro tanto dono ingratus esse videatur.

In rebus humanis licet ludere, & liberè in vtramq; partem disputare: sed in rebus diuinis, oportet pium disputatorem ESSE SERVVM DOMINI, EIVSQVE CAPTIVVM: *nec licet liberè* A SCRIPTO *verborum eius recedere, quasi historiæ verba essent, in quibus non magnopere situm esset, hoc vel aliq modo intelligere: sed oportet ea in vero timore, ac fide non simulata, amplecti, honorare, & ab illis ad pilum non recedere, quod Alcinous Platonicus Hypocritæ ignorauit.*

Sed valeant Platonici, Aristotelici, Alcinous, Galenus, Hypocrates, Baldus & Bartolus, qui sua libertate in sua professione vti possunt pro voluntate. Nos in seruitutem Iesu Christi redacti, cum libertate summa gaudemus, quando SCRIPTO *verbi ipsius nos humili & simplici fide subijcientes, omnibus omnium hominum, quantumuis sapientissimorum & eruditissimorum, glossis, & commentis, renunciamus.*

Postremò, cùm intelligeret Hypocrita non defuturos absentes, qui scripto impiam hanc & hæreticam Disputationem essent confutaturi, sibi posc principia cauere voluit, protestatione facta, sibi neq; ANIMVM, NEQVE OTIVM ESSE, *adinstituendam πόρρωθεν velitationem* VLLAM.

Sed, heus bone vir, qua conscientia tuam Disputationem in exteris regnis legi cupis, & scripto petitus, nihil respondere cogitas? Cur non tacuisti, & Disputationem tuam tecum retinuisti, si omnem velitationem detrectas? An ignoras illud Petri: ESTOTE SEMPER PARATI *ad respondendum* CVILIBET *petenti rationem eius spei, quæ in vobis est, cum*

LENI-

LENITATE ET REVERENTIA? *Quam lenitatem & reuerentiam, plerunq; omnes de te, tanquam insigni Hyprocrita sibi pollicebantur: vt qui non conuitijs pugnare, sed* PATIENTIA *animi confirmatus, per gloriam & ignominiam Christo seruire cupias.*

Sed quomodo ad velitationem cum absentibus scripto susceptam descenderes, cùm tanta patientia tua, tuorumq; patronorum, Bartoli & Baldi, non fuerit, vt Dominum Doctorem PATIENTEM, *virum optimum & Doctissimum (sancta voluntate Electoris palatini Ludouici Superintendentem generalem, quem prius eijci curauistis, quàm hæc tua Disputatio institueretur) in hac publica Disputatione audires, eiq; locum opponendi dares? Qui ad reddendam rationem suæ fidei aduenerat, quam in vniuerso Electorali Palatinatu, tanquam pius & fidus Episcopus, plantari, & subditis proponi curauit. Hic, inquam, vir excellentissimus, etiam Collegis eius proipso intercedentibus, impetrare non potuit, vt in Disputatione audiretur, à quo nullæ turbæ vobis metuendæ fuerunt, cùm homo sit ingenio placidissimo, adeoq; verè, nomine, &* RE PATIENS. *Idem quoque reliquis opponentibus, magna ex parte accidisse audimus, cùm nihil amplius respondere posses, silentium illis impositum est. Quemadmodum & respondentem habuisti, Marcum Beumlerum, qui non tanta eruditione fuit, vt opponentium argumenta assumere potuisset. Cui in Academia nostra, per integram diem, in celeberrimo consessu omnium Professorum, & totius studiosæ iuuentutis, locum dedi: cuius insciti & ineptiæ in disputando tantæ fuerũt, vt pleriq; oẽs mirarentur, quòd tam diu eas patienter audire potuerim, cui tamen nullũ silentiũ impositum est, ne forte conqueri posset, si non satis sufficienter q; auditũ esse. Quod ipse quoq; nisi vanissimus esse, & haberi velit, publicè se confessum negare non potest: seq; apud suos hãc patientiã prædicaturum, publicè etiam promisit: in qua Disp: adeò confusus fuit, cùm suorũ opinionẽ amplius descendere non posset, ad suos Tigurinos se*

perscripturum affirmabat, si fortè pia concordia sanciri inter nos posset.

Quia verò contrarium illum nunc dicere, & quàm grauiter doctrinam nostram confutauerit, & me publicè, coram toto cœtu Scholastico confuderit, gloriari eum audio: quanta vanitas eius sit, confessus celebris doctissimorum virorum, & studiosæ iuuentutis, testari potest. Sed dignum patellâ operculum, & dignus præses excellentissimus tali respondente. Quem, mirum est, si tua, qua apud principem autoritate vales, electis optimis, doctissimis, & synceris doctoribus ac præceptoribus, DOMO SAPIENTIÆ *non præfeceris:* QVEM *omnes, quotquot ferè in schola nostra sunt,* PRO STVLTO *habuerunt, homine ineptissimo: qui quouis loco & tempore, de rebus grauissimis, quas neque didicit, neque intelligit, disputare præsumit.*

Qui instar bdere assurgere vt posset, sub ipsius ementito nomine, passus est breue scriptum, aduersus meam, de vera Domini nostri Iesu Christi inuocatione, in Academia Tubingensi habitam disputationem, in lucem ædi: cuius ipsum authorem non esse, non modò omnes nouerunt, quibus hic ineptus, & STVLTVS *homo non ignotus est: Sed res ipsa docet, in re Theologica exercitatum hominem esse, qui artes palliandi errores compertas, & benè notas habet.*

Quod argumenti genus, cùm potissimum ad Rabulam Forensem, Lambertum Danæum, ex Iurista nuper Theologum factum, pertineat, ad cuius impietatẽ satis responsum, & pleraq; à me, in vltimo contra ipsum edito Scripto, confutata sunt, quæ hic personatus Bemlerus affert, responsum amplius tantisper differam, donec ipse respondeat Rabula, & sic vna fidelia ambos parietes simul dealbare queam. Interea temporis, mihi quoque VSVM LATINÆ LINGVÆ *(quem ille mendacissimo ore in fuga*

ex Saxo-

ex Saxonia, metus & periculi plena, me amisisse scripsit) SICVT TIBI STVDIA TVA *apud nos Tubingæ,* CONFIRMARE *licebit, ne barbaries orationis meæ, teneras & delicatas aures Caluinianorum & Zuinglianorum, amplius offendat. In qua tamen, malo Grammatica, quàm Theologica errata, mihi monstrari: quòd illa laudem eruditionis detrahere, hæc verò, nisi resipiscerem, in infernum præcipitare possent.*

Quòd charitate, non conuitijs se pugnaturum iactitat Hypocrita: haud obscurè Lutherum, & Ecclesiarum nostrarum Doctores, notat: Qui cùm in scriptis suis, Zuinglianos & Caluinianos seductores (Doctores dicere volebam) dignis suis elogijs ornant, conuitia esse dicunt, Theologis indigna, quos lenitate & mansuetudine Spiritus commendari oporteat.

Sed maledicta charitas, quæ falsis Doctoribus parcit, quos Christus ex patre Diabolo esse dicit, & progeniem viperarum appellat: Similiter quoq; Paulus ventres. Quæ non sunt conuitia, sed nomina, quæ falsis Doctoribus competunt, & TRIBVI DEBENT, *vt omnes pij sibi ab illis caueant. Sicut in Diabolum non conuitiatur, quisquis eius malitiam exagitat: sic neq; in Deum, neq; in legem charitatis peccat, qui falsos Doctores, & animarum seductores, vituperat, & suis dignis elogijs ornat.*

Longè verò mendacissimum, & Spiritus vertiginis certissimum argumentum, in Hypocrita nostro esse, quòd hîc ait: SE IN ALIENA SCRIPTA VIRGVLAM CENSORIAM NON SVMPTVRVM, *suprà copiosè demonstrasse nos, confidimus.*

Hanc enim virgulam censoriam in Scripta Lutheri grauissima, & TEMERE *sine iudicio, sumpsisse, ostendimus: quem non ignorantia simplici, sed affectata (nisi fortè scripta superbus Spiritus non legerit, de quo cum quoquam litigare nolo) & extrema malitia fingit, de Cœnæ Domini contraria &*

contradictoria scripsisse, idq; æstu, calore, & paroxismo contentionis, extra quem longè aliter scripserit. Cuius contrarium pio lectori ad oculum demonstrauimus. Et hæc vanitas Zuinglianorum in cacodoxi ipsorum consensus Refutatione, plurimis in locis, potissimùm verò in fine eius, ostensum est, quò lectorem etiam breuitatis causa remittimus.

Et hæc quidem, qua potui breuitate, contra Disputationem Hypocritæ Grynæi Heidelbergæ propositam. De qua, quid & quantum glorietur, mihi ignotum est. Sed cùm aliquoties ad iudicium auditorum prouocauerit, visum fuit in fine adijcere, quod nomine studiosæ iuuentutis, Disputatione absoluta, publica scheda omnibus significatum fuit. De qua Hypocritæ cum autoribus litigare licebit. Ego meam sententiam scripsi, quam non dubito esse veram, inuictam, verbo Testamenti, tanquam fundamento, & Orthodoxæ quoq; Ecclesiæ perpetuo consensu confirmata. Hypocritæ verò nostri, Zuinglianorum & Caluinianorum opinionem, in hac eius Disputatione comprehensam, erroneam, falsam, hæreticam, verbo Domini, & eruditæ antiquitatis Orthodoxæ Doctrinæ contrariam.

Quapropter cùm omnibus manifestum sit, quàm turpiter præses cum suo Respondente stulto in hac Disputatione se dederit, in qua, pro fundamentis suæ opinionis, nihil nisi rationis humanæ, tanquam radij diuinæ sapientiæ, & Philosophiæ, stulta argumenta attulerunt. DOMINVM DEVM SALVATOREM NOSTRVM IESVM CHRISTVM, *tanquam seuerissimum iudicem, vel tandem timere incipiant, qui Principi Palatino autores & strenui hortatores perpetuò sunt, vt, quibus possint fraudibus & dolis, multipliciq; prætextu (Iuliani Imperatoris Apostatæ artibus non dissimiles) eiectis pijs Doctoribus, quasi non propter*

pter Doctrinam quam professi sunt, suo loco moti, sed alias ob causas ab officio dimissi sint, huius impietatis assertores, homines indoctissimi, contra præceptum Dei, contra Testamentum Christi, contra Testamentum Optimi Electoris Palatini Ludouici, & hæredis Regni filij relicti voluntatem, Ecclesijs præficiantur.

Cogitent etiam illud Syracidæ, Lachrimæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas: à maxilla enim ascendunt vsque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis: Item, Oratio humiliantis se, nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, ET NON DISCEDET, *donec altissimus aspiciat. Et illud Psalmistæ: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum,* Ecclesi 35. Ibidem. *nunc exurgam dicit* DOMINVS. *Quomodo enim non ingemiscerent subditi Electoralis Palatinatus, qui intra annos quadraginta, nunc quartam Religionis publicam mutationem, cum dolore maximo aspicere coacti sunt. Primùm enim Otto Heinricus, Ecclesias Palatinatus piè instaurari curauit, quamprimùm ad Electoratus dignitatem ascendit. Hunc postquam secutus est Fridericus* III *abolita Religione, quæ synceram confessionem Augustanam profitetur, Zuingliana & Caluiniana hæresis, cũ summo totius Romani Imperij scandalo, & cum summo gemitu subditorum, in Palatinatum inuecta est. Cui cùm succederet in patrio Regno, Dux Ludouicus Elector, denuò veram Religionem instaurari curauit, & vt non tam Regni, quàm etiam pietatis paternæ hæredem haberet filium, Testamento cauit, executione quatuor Imperij Principibus commendata, vt Religio hæc, post mortem ipsius sarta tectaque conseruetur, & filius in ea piè, sanctéque educetur.*

Quorum

Quorum omnium nulla ratione habita, Theologi Caluiniani, cum consiliarijs, ab ipsis iusto Dei iudicio dementatis, à Diabolo excæcatis, Duci Ioanni Casimiro Palatino persuadere conantur, vt fratris Electoris Ludouici sancto Testamento abolito, veram hanc ab illo postliminio reductam Religionem denuò aboleat, & filium relictum vi ad conciones Caluinistarum blasphemas audiendas adigat: adeoque omnia eò dirigat, vt Zuingliana hæresis ab omnibus & singulis, ab infimo ad maximum recipiatur, probetur, confirmetur, & ad posteritatem quoq; transmittatur.

Hæc videns & audiens pium pectus, quomodo non ingemisceret? Quis enim magnitudinem huius horribilis offendiculi cogitare, ne dum eloqui posset? quòd si præstaret, vt in collo suspensa mola asinaria, in profundum maris demergatur, QVI VNVM *duntaxat offenderit, qui in Christum credit: Quid igitur ei expectandum, qui tot millia animarum in Palatinatu, hac Religionis quarta mutatione horribiliter offendunt, & Spiritum sanctum in eis conturbant: Caueant ergo sibi ab istis piorum gemitibus, qui iudicium Dei aduersus pessimos istos homines maturabunt, & Ducem Ioannem Casimirum Palatinum liberabunt, vt Zuinglianorum & Caluinianorum malitiam, astutiam, fraudes & impostoras, tandem cognoscat, & digna illis mercede numerata, locus concedatur ijs, qui Testamẽti filij Dei, & fratris defuncti, satisfaciant, sicut pium & iustum est, vt offendiculum maximum tollatur. Id nisi fiat, horribile Dei iudicium sentient, quod fortassis* DOMINVS *etiam in hac vita in illis exercebit, vt doceat, se ad dextram virtutis & Maiestatis Dei sedere, & impios hos conatus ipsi displicere.*

Quòd vltimo loco votum suæ Disputationi adiecit, hypocrisis ipsius pallium est. Quo primum optat, vt D. N. Iesus Christus Ecclesiæ suæ piam pacem concedat, quam ipse cum

socijs

socijs in Palatinatu, nunc cum tanto scandalo perturbat, & porrò perturbare non desinit. Item, vt postliminij iure, veritatem in ea loca, quibus exulat, reducat: quam ipsi ex vniuerso Palatinatu, non solùm temerario, sed impio quoq; conatu, expellere conantur, & maledictionem studijs florentissimæ iuuentuti afferũt, si eorum impia doctrina se patientur seduci. Item, vt extrudat operarios fidos in messem suam, quos, illi recens aduenientes homines turbulenti, seditiosi, factiosi, passim ex Palatinatu eijcere tentant: & fortassis hoc vnum illis sibi obstare putant, quòd successores non habere queant, factioni ipsorum fauentes, quos in illorum locum substituant.

Quod idem petit: vt sanctificet ipsos totos, ad opus suum, ad quod Deus illos vocauerit: certum est, inane votum esse.

Non enim Dei, sed Diaboli opus est, quòd propositum habent, vt hæresin Zuinglianam & Caluinianam, abolita syncera doctrina de Sacramentis, & alijs cœlestis doctrinæ partibus quàmplurimis, in Ecclesias Palatinatus introducant. Sicut etiã de nulla legitima vocatione, vel coram Deo, vel coram hominibus, verè gloriari possunt: cùm contra Testamentum & vltimam voluntatem Electoris defuncti, contra voluntatem filij hæredis relicti, contra voluntatem tutorum, & executorum trium, Testamenti optimi principis in Domino defuncti, sese ingerant, ad opus Diaboli perficiendũ, à quo toti obsessi eiusmodi agunt, donec mensura iræ Dei completa, tandem suam dignam mercedem accipiant.

Interim Dominus noster Iesus Christus, piorũ corda in Palatinatu, suo sancto Spiritu corroboret, atq; confirmet, vt horum Pseudodoctorum impijs conatibus, se suis pijs precibus opponant, & exauditionem clementem suarum precum, & iudicium Domini aduersus eiusmodi rerum machinatores, patienter expectent. Dubium enim non est, Deum piorum preces exauditurum, & præstiturum, quod in Psalmo 5. scriptum: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, Amen.

STVDIOSA IVVENTVS HEIDELBERgensis, omnibus Lecturis salutem.

CVM D. Ioannes Iacobus Grynæus, per integrum hoc octiduum, in Disputatione extrauagante, toties ad iudicium nostrum prouocârit: agnoscimus sanè, nos veritati debere testimonium, & rogatos dissimulare non posse, quæ nostra sit de eius dictis sententia. Et quanquam in ipso disputationis progressu, cùm aliter non liceret, nutibus, & pedum strepitu, hoc ipsum testati sumus: tamen, cùm crebris suis ἀποσροφαῖς censuram nostram efflagitârit, hoc etiam scripto testatum facimus: Ioannem Iacobum Grynæum, non disputatoris, sed calumniatoris, non Theologi, sed sophistæ partes egregiè sustinuisse, principia Philosophica & Theologica impudenter negasse: scopum controuersiæ dedita opera declinasse: nihil ad rem respondisse: semel concessa & data mox reuocasse: cœlum & terram miscuisse, vt elaberetur: & nihil non tentasse, vt nuper natam Sacramentariam opinionem tueretur: præceptores nostros, & ministros Ecclesiæ nostræ Heidelbergensium synceros & constantes, suo præiudicio grauaret: & blesa eloquentia, infirmiores in suam sententiam pertraheret. Tantum aũt abest, vt nos à pia confessione rancidis suis declamationibus dimouerit, vt etiam amplius in veritate cõfirmârit. Miramur etiam, hominem, aliâs non indoctum, tam leuiter linguam suam venalem prostituisse, nouo exemplo se in nostram Academiam intrusisse, & quantum in ipso fuit, priuilegia, non tantùm Theologicæ, sed etiam Philosophicæ facultatis, labefactasse. Sed mirum non est, Apostatam sui ordinis fieri persecutorem. Nostrum hoc breue, sed verum illi testimonium nunc sufficiat. Quod restat, aliâs publico scripto explicabimus, vt intelligat, nostram illi censuram non defuisse. Heidelbergæ 11. April. Anno, &c. 84.

Ex αὐτογράφῳ.

T. I. M.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Prior numerus paginam, posterior lineam indicat.

Pag. 18. in thesi 43. ab initio desunt sequentia verba. Neminem autem moueat, quòd modus præsentiæ, quem Maiestate definimus dextræ Dei, diffusionem corporis non exigat. Corpus enim, vt maximè extenderetur, vbique tamen nunquam esset totum, nisi ratione partium, hic, scilicet, pedes, alibi caput, hic manus dextera, alibi sinistra esset, nullibi verò totum. Atque hoc modo, nisi se inuerteret, &c. Pag. 38. lin. 16. promississe. 39. 9. ore 60. 20. andabatismum. 61. 1. πληροφορίᾳ. 79. 10. durissimas. 81. 23. panes 87. 3 vini 103. 15. præscripti 126 27. post eius, adde, non, 136. 22. νοητὰ. 159 9. significat. 166. 9. offerunt 183. 15. hær. 186. 12. exteras nationes. 190. 22. pro fact⁹, dispensata. 195. vlt. verbo. 197. 1. ILLVD. 8. quid. 218. 28. separatas actiones. 225 17. Si. 240. 12. quam. 249 26. sociorumque. 269 vlt. abijcere. 282. 6. ἀθεολογία. 288. 24. ostendit. 299. 14. flagitiosè 299. 22. dele, illos. L. vlt. potest 300. 22. non. 301. 28. extremum. 305. 15. venit. 306. 5. similiter. 9. sonat. 315. 24. gratia regenerationis efficacitate. 316. 5. circumducant, proponant. 318. 19. πνευματικὴν. 322. 24. errore.